ISAACI VOSSII

VARIARUM

OBSERVATIONUM

LIBER.

LONDINI:

Proſtant apud *Robertum Scott* Bibliopolam.

MDCLXXXV.

De Antiquæ Romæ et Aliarum quarumdam Urbium magnitudine.

Cap. I. *De mensura mœniorum veteris Romæ* pag. 1

II. *De* xxxvii *vrbis Romæ portis totidemque viis. De Tribubus* p. 8

III. *Qualia fuerint mœnia Romæ antequam à Sylla vel potius ab Augusto Cæsare ampliarentur* p. 10

IV. *Occurritur quibusdam argumentis quæ huic tantæ magnitudini adversari videntur* p. 14

V. *Quantus fuerit veteris Romæ cum suburbiis ambitus* p. 22

VI. *Quando Roma fuerit maxima & hominum in Roma multitudo* p. 26

VII. *Quomodo urbs & civitas & mœnia Romana paulatim decreverint* p. 34

VIII. *De magnitudine Babylonis & Nini* p. 37

IX. *De Thebis Ægyptiis* p. 41

X. *De Alexandria* p. 47

XI. *De Carthagine* p. 51

XII. *De Cairo & Babylone Ægyptiaca* p. 53

XIII. *De magnis Sinarum urbibus* p. 56

De Artibus et Scientiis Sinarum *pag.* 69

De Origine et Progressu pulveris Bellici apud Europæos *p.* 86

De Triremium et Liburnicarum Constructione *p.* 95

De Emendatione Longitudinum *p.* 141.

De Patefacienda per Septentrionem ad Japonenses et Indos Navigatione *p.* 187

De Apparentibus in Luna Circulis *p.* 195

Diurna Telluris Conversione omnia gravia tendere ad Medium *p.* 201.

De

De Sibyllinis aliisque quæ Christi Natalem præcessere oraculis.

Epistola ad Thomam Brunonem pag 209
Præfatio p. 215
Cap. I. *De Danielis hebdomadibus* p. 216
II. *Explicatio prophetiæ Jacobi de Christo Gen.* 49. p. 220
III. *Quomodo Vaticinia de Christo fuerint attributa Herodi, deque Herodianorum secta* p. 223
IV. *De oraculis Sibyllinis, quando & à quibus fuere conscripta* p. 229
V. *Interpretatio* iv. *eclogæ Virgilii* p. 234
VI. *De prohibitione librorum Sibyllinorum* p. 241
VII. *De libris apocryphis* p. 243
VIII. *De hodiernis quæ supersunt Sibyllinis* p. 247
IX. *De altera Sibylla Erythræa cujus carmina non a Judæis sed ab Ethnicis fuere conficta* p. 254
X. *Judæorum Alexandrinorum de rege venturo sententia* p. 257
XI. *Tertulliani & Josephi de Christo Testimonia vindicantur* p. 260
XII. *De ordine & divisione sacrorum librorum quem Judæi perverterunt* p. 263
XIII. *Vindi-*

XIII. *Vindicantur nonnulla* LXX. *interpretum loca male à quibuſdam reprehenſa* p. 265
XIV. *Quomodo diſputandum cum Judæis & qua præcipue ratione ſint convincendi* p. 270
XV. *De litteris Samariticis* p. 281
XVI. *De Judæorum Grammaticâ & de Judæis Helleniſtis* p. 284
Ad Judæos p. 293

RESPONSIO AD OBJECTA NUPERÆ CRITICÆ SACRÆ p. 297

AD ITERATAS PATRIS SIMONII OBJECTIONES ALTERA RESPONSIO p. 345

Augustissimo Monarchæ

CAROLO II.

D. G.

MAGNÆ BRITANNIÆ, FRANCIÆ

ET HIBERNIÆ REGI,

DEFENSORI FIDEI,

ET OMNIUM

QUOTQUOT IN ORBE CHRISTIANO

SOL ASPICIT URBIUM

MAXIMÆ, OPULENTISSIMÆ & PULCHERRIMÆ

CONDITORI:

Observationum suarum Librum,

DEDICAT CONSECRATQUE

Observantissimus Cliens,

ISAACUS VOSSIUS.

ISAACI VOSSII
DE
ANTIQUA URBIS ROMÆ MAGNITUDINE.

CAP. I.

De Mensura mœniorum veteris Romæ.

SÆPIUS miratus sum plerosque eos qui de Urbe ROMA & antiquis ejus scripsere mœnibus, adeo ea angusto inclusisse spatio, ut illa nunquam undecim millium ambitum excessisse existiment. Cum enim veteres isti, qui supersunt muri, hanc fere conficiant mensuram, & nusquam hoc tempore alii compareant; rem factam se habere putant si audacter affirment, istam orbis quondam dominam non laxioribus unquam clausam terminatamque fuisse mœnibus. Errorem suum vel exinde cognoscere potuissent quod communi scriptorum consensu constet jam anno urbis conditæ CCXCI murum hujus urbis parem aut etiam aliquanto ampliorem habitum fuisse Athenienſium aut Syracusiorum mœnibus, quæ in ambitu CLXXX. vel etiam ducenta, si aliquos sequamur, continebant stadia, quæ viginti quinque passuum conficiunt millia, vel ut minimum XXII. cum semisse. Nimis autem absurdum fuerit existi-

mare domita postmodum tota Italia, Græcia, Africa, Ægypto, Hispania & Gallia, toto denique usque ad Eufratem subacto Oriente, & in infinitum propemodum post tot triumphos crescente civitate; adeo nihilominus decrevisse urbem, ut non nisi quartam partem, ejus quam prius obtinuisset areæ, suis circumscriberet mœnibus. Quapropter non inutilem spero me præstiturum operam, si quod omnibus urbibus & omnibus ubique contigit rebus publicis, idem quoque Romæ contigisse ostendero, certisque documentis palam fecero, urbem illam florente populari regimine & libertate integra, non ad eam modo quam diximus, quamque superstites etiamnum testantur muri, verum ad vicies minimum majorem provectam fuisse amplitudinem: eandem vero eversa libertate & oppressa primum à Sylla & deinceps à Pompeio & Cæsaribus republica, ita paulatim esse diminutam, donec tandem in eam, quam Justinianei, qui hoc tempore supersunt, declarant muri, deficeret mensuram. Animus non est ea hic repetere quæ jam sæpius ab aliis occupata fuere, nec exponere quibus initiis & progressibus urbs & civitas Romana ad tantam provecta sit magnitudinem. Primum fuisse Syllam qui post reges produxerit Pomœrium complures scribunt. Sed aliud pomœrium, aliud murum ampliare, ut postea dicemus. At vero jam diu antea muros urbis prolatos fuisse colligo ex Horatio, cum in Arte scribit tibias antiquis Romanis admodum fuisse simplices, minimeque spissa theatrorum sedilia, sed vero

Postquam cæpit agros extendere victor, & urbem
Latior amplecti murus, vinoque diurno
Placari Genius festis impune diebus,
Accessit numerisque modisque licentia major.

Cum enim ex Livio lib. vii. constet primos ludiones ex Hetruria accitos fuisse anno Urbis CCCXC. clarum satis sit de quo tempore hæc Horatii verba intelligenda sint, ut dubitan-

bitandum minime ſit, quin ſæpius eodem manente pomœrio, urbe tamen & civitate creſcente, creverit etiam murorum ambitus. Ab Auguſto vero aucta fuiſſe conſtat mœnia. Quænam autem & quanta fuerit hæc ampliatio, licet antiqui non prodiderint ſcriptores, ex eo tamen quod murus prior ad centum & octoginta protenderetur ſtadia, & quod aperta eſſet pars urbis ad Campum Martium ſatis veriſimiliter poteſt confici. Antiqua nempe mœnia à decimo viæ Oſtienſis milliari lapide uſque ad Anienem fluvium excurrebant. Quod vero ab Aniene uſque ad Tiberim interjacet ſpatium id ſupplevit Auguſtus. Nondum iſte exſtabat murus cum ſuam Dionyſius Halicarnaſſenſis ederet hiſtoriam; is quippe veteris tantum mentionem fecit muri, qui non excedebat viginti quinque paſſ. millia, ut paulo ante monuimus. Sed vero cum Auguſtus poſt illud tempus, quo iſta ſcribebat Dionyſius, totis XXIV. imperarit annis, manifeſtum eſt, eo demum tempore aucta ab illo fuiſſe mœnia. Ut vero ſciamus tempore Auguſti hoc quod diximus augmentum acceſſiſſe mœnibus Romanis, adſcribam verba Plinii, idque eo lubentius, quod illa non intellecta multis viris doctis & antiquitatum Romanarum ſtudioſis multorum fuerint cauſa errorum, dum ea vel temere corrigunt, vel ineptis interpretamentis in abſurdos conantur abducere ſenſus. Sic itaque ille, lib. iii. cap. v. *Mœnia ejus collegere ambitu imperatoribus Cenſoribuſque Veſpaſianis anno conditæ* DCCCXXVIII. *paſſ.* XXX, *M. Complexa montes ſeptem ipſa dividitur in regiones quatuordecim. Compita earum* CCLXV. *Ejuſdem ſpatii menſura currente à milliario in capite Romani fori conſtituto ad ſingulas portas, quæ ſunt hodie numero triginta ſeptem, ita ut duodecim portæ ſemel numerentur, prætereanturque ex veteribus ſeptem quæ eſſe deſierunt; efficit paſſuum per directum* XXX M. DCCLXV. *Ad extrema vero tectorum cum caſtris prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum menſura colligit paulo amplius ſeptuaginta millia paſſuum.* Hæc eſt conſtans

fere veterum librorum ſcriptura niſi quod & in vulgatis, & in longe pluribus manu exaratis codicibus in primo commate non XXX. M. ſed vero XIII. millia & CC inſuper exhibeantur paſſus. Hujus autem varietatis, qualis & in multis quoque aliis occurrit locis, non aliunde petenda eſt cauſa, quam quod tempore Theodoſii & poſtea, non defuerint complures qui Plinii exemplaria depravarunt & nulla ſcriptoris habita ratione, ſuorum temporum menſuras pro menſuris ſubſtituerunt veteribus. Verum id eſſe ſatis colligas è ſcripto de menſura orbis terræ quod anno XV. regni ſui fieri curavit imperator Theodoſius, quodque in multorum paſſim occurrit Bibliothecis; quia tamen nondum quod ſciam editum, non pigebit ipſa adſcribere verba.

Poſt congregatam Epiſtolam de quæſtionibus decem artis Grammaticæ, cogitavi ut liber de menſura provinciarum orbis terræ ſequeretur, ſecundum illorum auctoritatem, quos ſacratiſſ. Theodoſius imperator ad provincias prædictas menſurandas miſerat. Et juxta Plinii Secundi præclaram auctoritatem ipſarum dimenſionem volo ſupplens oſtendere. Sed duabus cauſis contra temporum rationem ſcripturam miſſorum Theodoſii verbis Plinii Secundi ordine ſcribendi propono, eo quod illi in duodenis noviſſimis verſibus diligentius antiquis feciſſe ſe affirmant, & quod exemplaria codicum naturalis hiſtoriæ Plinii Secundi quæ ſcrutatus ſui nimis à ſcriptoribus ultimorum temporum diſſipata prævidi. Sermones quidem prædictorum Miſſorum quia minus vitioſe ſcripti ſunt quantum potuero corrigere curabo. At ubi in libris Plinii Secundi corrupte abſque dubio numeros fieri cognovero, loca eorum vacua interim fore faciam, ut ſi non invenero certa exemplaria, quicunque repererit emendet. Nam ubi dubitavero num certi necne ſint numeri, ſicut certos caraxabo, ut prædictus quiſque veros viderit, veraciter corrigat. Nulli ſtuporem præbere debet quando numerus millium inter Plinium Secundum ac miſſos Imperatoris diſſentit, quoniam illi ſicut prædixi, quod intentius vere hoc opus perfecerunt quam veteres teſtantur.

Non

Non eſt itaque obſcura ratio quamobrem in multis Plinii exemplaribus extrita veteri menſura alius ſubſtitutus ſit numerus continens menſuram murorum quos fecit Juſtinianus, quique hodie etiamnum magna ex parte ſuperſunt. Quod ſi quis dubitet, illum vel ipſe redarguet Plinius, cum ſtatim poſtea modum explicat, quo inita fuerit hæc menſura. Cum enim ut Dionyſius Halicarnaſſenſis ſcribit difficile admodum fuerit mœniorum ambientium Romam colligere menſuram, quod propter ædificia intus & extus cingentia non ubique pateret aditus ad murum, rationem explicat qua mœniorum haberi potuerit longitudo. Dicit itaque ſuo tempore portas Romæ fuiſſe triginta ſeptem, æqualibus intervallis diſtantes à lapide milliario in media urbe conſtituto. Hinc patet mœnia illa quæ deſcribit hoc loco Plinius, in ſemicirculum fuiſſe diſpoſita, & eandem prorſus habuiſſe figuram, quam Fabius Pictor antiquæ tribuit civitati ſeu agro Romano, cum eum arcus formam, cujus chorda eſſet Tiberis, reddidiſſe teſtatur. Si exactus iſte fuiſſet ſemicirculus, facilis fuiſſet dimenſio. Dato enim intervallo à milliario ad portas, id eſt, data ſemidiametro, datur quoque ſemicirculus. Sed propter obliquitatem Tiberis non conſtabat quantam partem circuli abſumerent mœnia. Rectam vero diametrum invenire & hoc quoque difficile cum in Tranſtiberina regione eadem quæ in ipſa Roma occurreret difficultas, quod omnia ædificiis eſſent occupata. Eadem ratio obſtabat, quominus & portarum intervalla cognoſcerentur. Quamvis illæ ut æquali à milliario aureo diſtabant menſura, ita quoque paribus à ſe invicem diſtarent intervallis, quo tamen exactior fiat calculus & minor committatur error, dicit tutiſſimum fuiſſe ut duodecim portæ ſemel ſimulque numerentur per directum, neglectis & præteritis ſeptem antiquis portis milliario viciniòribus, & hac ratione menſores Veſpaſianorum collegiſſe longitudinem muri XXX M. & paſſ. DCCLXV. quem paulo ante triginta millium paſſuum rotundiore dixerat numero. Sit itaque milliarium au-

reum quod in capite fori Romani prope Tiberim erat positum, A. Ipse Tiberis BC. Mœnia Romæ qualia sub Augusto & Vespasiano erant BDEC. In hoc muro notentur



XXXVII. portæ, quæ conficiunt XXXVI. intervalla. Si in exactum semicirculum dispositа fuissent mœnia, haberemus tria æqualia & æquilatera triangula, qualia sex integer continet circulus, facilisque omnino fuisset dimensio. Verum quia ut diximus non constabat quantam circuli partem mœnia absolverent, dicit duodecim portas, id est, duodecim portarum intervalla, simul numerata fuisse mensura currente per vicos rectiores, quod eo facilius fieri poterat, quod Augustus & Nero vicos qui antea enormes erant, direxerant. Quamvis vero ea dimensio alibi quoque fieri potuerit, ponamus tamen eam institutam fuisse à C versus E per vicos CFE. Cum vero omnes portæ æqualibus à milliario, id est, à centro urbis, abessent intervallis, clarum est data recta CFE, dari quoque perpendicularem AF & residuum ejus FG &

FG & ſimiliter arcum ſeu curvaturam muri CGE, quæ cum tertiam longitudinis muri contineret partem, oportet ut fuerit paſſuum decem millium & inſuper CCLV. cum totius muri teſte Plinio longitudo fuerit triginta millium & DCCLXV. paſſuum. Ex hoc porro Plinii loco certo & manifeſte cognoſcitur mœniorum Romæ amplitudo. Sed & hoc quoque cognoſcitur à medio urbis, ſive à milliario conſtituto in capite fori, ad ſingulas portas intervallum fuiſſe decem millium paſſuum, ita ut tota diameter paſſuum fuerit viginti millium. Hinc quoque patet mœnia Romana ambitu ſuo non totum impleſſe & abſolviſſe ſemicirculum. Si enim diametrus fuerit viginti millium, neceſſum eſt ſecundum rationes Geometricas, ut dimidius circulus contineat triginta & unum millia & inſuper paſſus 428$\frac{4}{7}$. Deſunt ergo paſſus 663$\frac{3}{7}$. Tantillo nempe ſpatio mœnia Romana ſemicirculo minora fuere. Jam vero ſi ſcire velimus utrum hæc Veſpaſiani juſſu facta dimenſio recte inſtituta ſit, optime id noſtro cognoſcere poſſimus ſeculo. Quippe cum nulla ædificia & nullæ excelſæ moles facultatem metiendi impediant, & notus ſit ſitus fori Romani in cujus capite prope Tiberim collocatum erat milliarium; auſim promittere futurum ut ſiquis à foro Romano veluti centro deſcribat ſemicirculum ad ripas Tiberis decem utrimque diſtantes paſſuum millibus, ambitum illum aliquanto minorem inveniat ſemicirculo, ita ut ad cognoſcendam Plinianæ menſuræ veritatem, vel ſolum hoc ſufficiat argumentum.

CAP.

CAP. II.

De triginta ſeptem URBIS ROMÆ portis totidemque viis. De tribubus.

CUM in antiquiore Roma nulla portarum in tractu Tranſtiberino apud ſcriptores occurrat mentio, ſiquidem & nullus præter Sublicium erat pons, qui tamen & ipſe belli tempore diſſolvebatur; minime dubitandum quin triginta ſeptem iſtæ portæ, quas memorat Plinius, omnes in eo, quem hactenus deſcripſimus, fuerint muro, &, niſi fallor, manifeſte id ipſum Plinii indicant verba. Cum ille muro tribuat longitudinem triginta millium & præterea paſſuum DCCLXV. & ex eo quod addit, ſufficere ut duodecim portæ ſemel numerentur, ſatis manifeſte conficitur æqualia fuiſſe portarum intervalla, ita ut inter ſingulas portas ſpatium interceſſerit paſſuum DCCCLIV$\frac{VII}{XII}$. Quæ ſane juſta & legitima eſt menſura. Stultum vero fuerit in ambitu undecim vel tredecim millium tantam portarum multitudinem fingere. Portas quoque triginta ſeptem Romæ fuiſſe affirmat. P. Victor ad finem ſcripti de regionibus urbis. Sed cum Valentiniani tempore compilator iſte vixerit, non potuit ſic ſcripſiſſe aut ſenſiſſe, itaque libenter ab aliquo e Plinio additum exiſtimo. Porro ſi quis numerum portarum quæ in antiquis marmoribus & apud Feſtum & alios memorantur ſimul componat, inveniet verum eſſe quod ſcribit Plinius. Sed & ex viarum numero idem deprehendi poteſt. Siquis enim vel earum ſolum, quarum apud antiquos ſcriptores ſupereſt memoria, ſubducat numerum, plures quam triginta inveniet, neglectis etiam iis, quas in Tranſtiberina conſtat fuiſſe regione.

Sed

Sed & ex tribuum numero facile aliquis colligat quanta olim fuerit Roma, ſi urbanas cum illis componamus tribubus quæ in agris, id eſt in ſuburbiis, habitarent. Sub regibus & poſtea quamdiu Romana ſtetit Reſpublica, nunquam plures quam quatuor tribus fuere urbanæ, quæ Romæ, quatenus ſeptem continetur montibus, fixum haberent domicilium. At vero in agro ſuburbano primo quidem XVI, dein XXI, mox XXVI, deinceps XXXV, tandem etiam poſt bellum Marſicum quadraginta quinque numeratæ fuere tribus. Tot & etiam plures fuiſſe, licet ex antiquis ſatis colligere poſſimus monumentis propter antiqui tamen numeri religionem, non plures quam triginta quinque dicebantur. Quamdiu vero hic numerus ſubſtitit, uſque ad tempora Sullana, omnes iſtas tribus Romæ habitâſſe certis confici poteſt teſtimoniis; neque obeſt quod eaſdem per totam Italiam diſperſas poſtmodum fuiſſe conſtet. Sub Regibus nempe quando ager Romanus nuſquam ultra decimum octavum à foro Romano extendebatur lapidem, iſte nihilominus ſufficiebat ager alendis tam ruſticis quam urbanis tribubus. Aucta deinceps republica Romana, cum ex victis aut dedititiis Italiæ populis innumeri civitate donarentur, creſceretque non numerus tantum, ſed & amplitudo & frequentia tribuum, nec alendæ tantæ multitudini Romanus ſufficeret ager; neceſſum fuit ut victarum gentium agri aut toti, aut ex parte, victoribus cederent. Suadente itaque utilitate diviſi inter victores fuere agri, victique ad augendam civitatem Romanam per tribus fuere diſperſi, miſſis Roma novis colonis, qui & agrorum curam haberent, & ſimul illos, qui in provinciis remanſiſſent, (ſi quid forſan rerum novarum molirentur) comprimerent. Hac ratione factum eſt ut tribus quæ antea Romæ erant, diviſæ fuerint, & partim Romæ agitarent, partim vero per provincias diſpergerentur. Quamvis autem in provinciis plurimum verſarentur, præcipui tamen etiam Romæ ſuos habebant lares, ad quos comitiorum tempore revertebantur, Hæc

cum multis ſcriptorum teſtimoniis vera eſſe cognoſcamus, non eſt ut dubitemus, quin Romæ omnes quas diximus tribus, præcipuam ſuam habuerint ſedem, & cum in provinciis, coloniis & municipiis, tribuum nomina & ſtationes fuiſſe dicuntur, id ea qua monuimus ratione eſſe accipiendum.

CAP. III.

Qualia fuerint mœnia Romæ antequam à Sylla, vel potius ab Auguſto Cæſare ampliarentur.

UT hæc quæ deſcripſimus, ita quoque antiquiora mœnia non totam ambiiſſe urbem, ſed à parte Hetruriæ Tiberim loco muri fuiſſe habitum, præter multos alios non uno in loco teſtatur Dionyſius Halicarnaſſenſis. Idem lib. VIII. anno urbis conditæ CCXCI. ſcribit iſtoc tempore muros urbis Romæ non fuiſſe majores mœnibus Athenienſium. Conſtat vero illa fuiſſe ſtadiorum CLXXX. aut circiter. Ad itineris diurni longitudinem porrecta fuiſſe teſtatur Ariſtides in Panathenaica. Iter vero unius diei licet non eadem ſemper accipiatur ratione, quippe ſi per multos dies continuandum ſit iter, σταθμοὶ ſeu manſiones viginti ut plurimum paſſuum abſolvuntur millibus, ſed ſi unius diei iter ſeorſim ſpectes, multo patet latius. Itaque Strabo itineri diurno ſtadia adſignat ducenta & quinquaginta & aliquando etiam plura quam trecenta. Procopius cum decem & ducentis id componit ſtadiis. Sed vero Græci antiquiores, ut Herodotus in Melpomene & Dicæarchus & complures alii itineri diurno terreſtri ducenta tribuunt ſtadia, quæ viginti quinque paſſuum conficiunt millia. Qui Syracuſarum mœnibus æqualem faciunt ambitum Athenarum, conſentiunt, quippe & illis CLXXX. ſtadiorum tribuitur ambitus.

Habe-

Habemus itaque antiqui muri Romani longitudinem porrectam ad millia XXII. & paſſus quingentos, aut etiam millia XXIV, ſi ſtadia ſeptem cum ſemiſſe, cum ſingulis componamus paſſuum millibus. Sed & hoc quoque patet muros à Sulla & poſtea ab Auguſto ampliatos ſex millibus & paſſibus DCCLXV, aut ſi alterum ſequamur calculum octo millibus & paſſibus CCLXV productiores fuiſſe iſtis antiquis.

Unde incœperit & ubi deſierit antiquus iſte murus, multis dictu admodum videbitur difficile. Cum ne eorum quidem mœniorum quæ conſtruxit Auguſtus, quæque deſcribit Plinius, ullæ hac tempeſtate ſuperſint reliquiæ; nemini mirum videri debet, ſi priſci iſtius muri nulla hoc tempore compareant veſtigia, præſertim cum ſua quoque ætate illa inventu difficilia fuiſſe teſtetur prædictus Halicarnaſſenſis. Parum hic juvant ſcriptores antiqui, è quorum ſilentio ſatis manifeſtum veteres Romanos ſtante libertate & durante Republica non magnam murorum geſſiſſe curam, confiſos potius virtute & multitudine civium. Crebra quidem prolati pomœrii occurrit mentio, ſed nihil hoc ad muros, cum conſtet non tantum poſt reges exactos, ſed jam quoque antea, creſcente civitate creviſſe quoque mœnia extra pomœrium, quod ſeptem montium ambitu etiam cum ampliſſimum eſſet terminabatur,

Sed vero omnis dubitatio & difficultas ceſſabit, ſi Dionyſium Halicarnaſſeum & Plinium ſequamur, & veteris iſtius muri initium promoveamus ad decimum viæ Oſtienſis lapidem, unde demum ad CLXXX ſtadia procurrebat ad Anienem, æquali ſemper intervallo à milliario diſtans aureo. Non ulterius procedebat murus tempore Reip. exſtructus. Spatium enim quod Anienem & Tiberim interjacet ſine mœnibus fuiſſe tempore Hannibalis & poſtea, conſtat ex hiſtoria. Alterum vero confirmat Pompeius Feſtus *Puilia ſaxa eſſe ad portam quæ ſit ſecundum Tiberim, ait Fabius Pictor. Quem locum putat Labeo dici, ubi fuerit*

Ficana, via Oſtienſi, ad lapidem undecimum. Neque enim proba videtur lectio vulgata. Verum multo magis ipſum hoc confirmat intervallum, ſi enim murum hunc ab initio undecimi lapidis ſive à Ficana, ut habet Feſtus perſequaris uſque ad Anienem, habebis ſtadia CLXXX ſeu tot quot diximus paſſ. millia. Quod ſi iſti longitudini adjicias id quod Auguſtus huic muro addidit, producendo eum ab Aniene iterum ad Tiberim, invenies reliqua quæ ſuperſunt octo paſſuum millia. Supra enim Fidenas & Cruſtumerium excurrebant mœnia Auguſtea. At vero prius aperta erat via ad Campum Martium, nulloque præcingebatur muro. Propoſuerat quidem Cæſar obſtruere hunc hiatum, ſed Auguſtus demum perfecit. Clarum hinc fit quanto ſpatio mœnia urbis ampliare voluerit Nero Cæſar, cum in animo habuit ea Hoſtiam uſque producere. Cum enim ad Ficanam murus iſte jam antiquitus fuerit promotus, facile colligere poſſimus illum non magnam admodum rem præſtiturum fuiſſe, ſi quod voluit perfeciſſet, & veteres muros Oſtiam uſque continuaſſet. Verum ſi ea tantum parte non autem circumcirca murus fuiſſet ampliatus, convenientem non habuiſſet circinationem, ut mirum non ſit prætermiſſum fuiſſe opus. Sed neque hoc mirum cuiquam debet videri, quod jam ſub Regibus & mox poſtea tanta fuerint Urbis & mœniorum incrementa Oſtiam verſus, parum tamen creſcente urbe ab ea parte qua Anio fluit. Non tantum propter utilitatem ex vicinia maris ut plerunque fieri ſolet, ſed & ratione ſitus id contigiſſe, quia nempe planior & ædificationi aptior ſit iſta agri Romani portio, docent nos Feſti ſchedæ, *Poſticum Palatii dicta eſt ea regio urbis quam Romulus obverſam poſuit, ea parte, in qua plurimum erat agri Romani ad mare verſus & qua molliſſime adibatur urbs: cum Etruſcorum agrum à Romano Tiberis diſcluderet, cæteræ vicinæ civitates colles aliquot haberent oppoſitos.* Perperam vulgo legitur *Pectuſcum Palatii*, & alieno prorſus uti multa alia inſertum loco. Ab aruſpicibus nempe indi-


Tibur.
Anio fluvius.
Lacus Gabinus.
Gabij.
Ad decimum.
Tusculanum Ciceronis.
Murus tempore Reip. exstructus, complectens millia, pass. quinquentos, portas XXVIII.
Longus XXII
Murus Augusti, longus. Millia octo, passus 265. portas continens novem.
Nomentum.
Aricia.
Bovillæ.
Tiberis fl.
Pons Milvius.
Milliarium aureum.
Pons Sublicius.
tractus transtiberinus.
ETRVRIÆ PARS.
Tiberis fl.
Ficana.
Ostia.
5
10
Millia passuum.
Tho: Cross Jun Sculp.

inditum nomen, qui cum cardinem vocarent eam lineam quæ decumanum ad angulos ſecaret rectos, poſticam dixere iſtam cardinis partem, quæ à centro deſignationis meridiem ſpectaret. Poſticum itaque Palatii ſeu poſtica linea ea erat, quæ à foro Romano Oſtiam verſus tendit.

CAP. IV.

Occurritur quibuſdam argumentis quæ huic tantæ magnitudini adverſari videntur.

POmœrium vel ipſo atteſtante vocabulo extra muros & ſolis Palatini montis radicibus terminatum primitus fuiſſe uno conſenſu fatentur plerique. Prolatum deinceps fuiſſe à Regibus & præcipue Servio Tullio & hoc quoque conſtat. Ampliatis ab illo & ab aliis poſtmodum mœnibus, pomœrium jam non tantum extra ſed etiam intra muros fuiſſe & hoc quoque plerique teſtantur ſcriptores. Ex iiſdem quoque clarum pomœrii terminos nunquam exceſſiſſe ſeptem colles: ſiquidem conſtat ne Aventinum quidem uſque ad tempora Claudii Cæſaris intra pomœrium fuiſſe. Religione prohibitos ne produceretur pomœrium ſcribit Dionyſius Halicarnaſſenſis. Nempe vetabant augures, pontifices & reliqui ſacerdotes, quorum intererat ut multa ædificiis vacua in media urbe & Palatino vicina relinquerentur loca, apta captandis auguriis, luſtrandis agris & circumcundis muris, exhibendis ludis & ſpectaculis, ædificandis circis, unde non modicum redundabat emolumentum. Dicitur quidem Sulla protuliſſe pomœrium, ideoque auxiſſe pontificum & augurum collegium; ſed tamen jus antiqui pomœrii manſiſſe vel ex eo colligas, quod ne Aventinus quidem collis ejus ætate intra pomœrium fuerit receptus, & quod exteriores muri quos deſcripſimus

ita

ita ædificiis fuerint obruti, ut nullum omnino ibi pomœrium fuisse videatur. Hinc satis ut puto clare conficias, Pontificum & augurum, quorum in potestate erat terminos ponere, prævaluisse autoritatem, idque obtinuisse, ut Roma non mœniorum laxitate, sed pomœrii finibus terminaretur, & ut quidquid extra pomœrium & septem esset colles suburbiis accenseretur. Si sic statuamus, cessabunt omnes fere controversiæ, quæ complures doctos & antiquitatis studiosos hactenus exercuerunt viros, cum vix quidquam in veterum occurrat scriptorum libris, quod non facile hac ratione intelligas.

Quando itaque urbem septem circumscribi & contineri collibus scribunt veteres, hoc de pomœrio, id est, præcipua ejus intelligendum est parte: utpote quæ Palatium & atria comprenderet nobilium. Ut vero ait Ovidius Jovis describens regiam ad exemplum civitatis Romanæ. *Plebs habitat diversa locis*, ita quoque quidquid extra pomœrium esset, extra urbem esse credebatur, nulla habita mœniorum ratione quæ inconspicua erant & ipsis ædificiis depressiora. Inde est quod Aristides in *Orat. de laudibus Romæ*, ne digna quidem ea existimaverit quorum faceret mentionem & neget Romam alia habuisse mœnia, quam Euphratem & Phasin & cæteros Romani imperii terminos. A populo & plebe Romana & insuper ab infinita gentium multitudine habitabatur quidquid esset extra pomœrium. Ibi vivebant omnes orbis Romani populi vicatim divisi, ut idem habet Aristides, ibi totæ nationes simul & confertim habitabant, ut Cappadocum, Scytharum, Ponticorum, & aliarum complures, ut apud Galenum loquitur Polemo. In Transtiberino suburbio agebant Judæi & Ægyptii. Alibi Catti, Germani, Daci & Britanni, denique longe maxima urbis pars erant exteri ut testatur Seneca, & *mundi fæce repleta* ut Lucanus. Innumeræ quoque erant ibi nobilium villæ quæ tamen licet intra mœnia essent, suburbana nihilominus dicebantur.

Ampli-

Ampliandum tamen hoc in loco judicium, ut rem totam conficiamus. Nam si hic subsistamus quid sentiemus de Plinio, qui cum omnium quotquot fuere urbium longe maximam faciat Romam, utpote cui tribuat ambitum majorem LXX. pass. millibus, terminari tamen eam ab Oriente affirmat aggere Tarquinii Superbi sito inter portam Collinam & Esquilinam, ideoque vix duobus pass. millibus distantem à media Roma? Quid item dicemus de Dionysio Halicarnasseo, cum scribit post Reges non ampliatum fuisse Pomœrium, religione non permittente, cum tamen idem anno Urbis CCXCI. mœnia Romæ æquasse aut etiam superasse affirmet muros Athenarum aut Syracusarum? Adeone sui existememus oblitos fuisse utrosque scriptores, ut nescirent quid scriberent? Vulgus tamen antiquariorum sic censent. Sed nos scimus errare eos quam plurimum, cum antiquæ urbis mensuram ex hodiernis conantur colligere reliquiis, & Aggerem Tarquinii, quem hoc in loco memorat Plinius, tam vicinum Aureo fuisse contendunt Milliari, ut non nisi duobus ab eo passuum abfuerit millibus, cum decem minimum abfuisse ex ipso possit confici Plinio. Quærat aliquis, an ergo Tarquinii tempore tanta jam fuerit Roma, ut agger iste adeoque ipsa urbis portæ & muri civitatis totis decem pass. millibus à medio remoti esse potuerint foro? Quamvis ex eo quem adduximus Dionysii loco haud obscure cognoscamus non defuisse olim inter Romanos qui sic crederent, & præsertim inter sacerdotes & augures, quorum intererat rebus & operibus suis religionis ergo majorem quam par sit adscribere vetustatem; licet etiam necesse sit jam tum quoque magnam admodum fuisse Romam, utpote in qua centum & triginta civium numerarentur millia; vix tamen mihi persuaserim aggerem istum Tarquinii, quando primum fuit exstructus, pluribus quam quatuor millibus à primo remotum fuisse Milliario. Sed quomodo inde ad decimum migravit lapidem? Respondeat pro me Livius, qui de pomœrio agens lib. primo

sic

sic scribit; *in urbis incremento, semper quantum mœnia processura erant, tantum termini consecrati proferebantur.* Cum vero agger iste Tarquinii medius esset Collinam inter & Esquilinam portas, necessum quoque fuit, ut prolatis mœnibus & portis urbis, simul quoque medius produceretur agger seu murus. Dixeris hac ratione non eundem fore aggerem. Quidni? præsertim si ex iisdem reædificatus fuerit lapidibus; ut plerunque fieri solet. Licet vero id non sit, nihil tamen obest, cum ex augurum & pontificum arbitrio nomina imponerentur, & solenne omnibus semper seculis & locis fuerit, ut si quando portæ & mœnia promoventur & ampliantur, antiqua ut plurimum serventur nomina. Si exempla petas, & illa quoque accipe. Lucum Camœnarum & Antrum Egeriæ, quod Numa solebat frequentare, quamvis verus eorum hoc tempore ignoretur situs, illud tamen constat haud longe extra portam fuisse Capenam, quæ tunc admodum mediæ urbi erat vicina. Crescente deinceps sub Consulibus civitate & promotis ad decimum lapidem mœnibus & portis urbis, simul quoque migravit fons & Antrum Egeriæ & Camœnarum Silva ad decimum quintum lapidem. Ariciam quippe omnia hæc fuere translata ad Nemus Dianæ, quod quam latissime patebat, adeo ut finitimum esset mœnibus & extremis Romæ suburbiis. Manium Egerium primum è Romanis sacerdotibus tractum hunc Nemorensem Dianæ consecrasse constat è Festo. Sed vero Cato Originum II. vocat hunc Bæbium Egerium. Verba ejus hæc sunt apud Priscianum, lib. iv. *Lucum Dianium in nemore Aricino Egerius Bæbius Tusculanus dedicavit dictator Latinus.* Pari ratione cum multa alia veteris Pomœrii loca, tum quoque Lacus Juturnæ & Clivus Virbii una cum urbis mœnibus fuere prolata. Clivus Virbii erat prius ad quartum lapidem vicinus Esquiliis vico Patritio & Aggeri antiquo, quæ præcipue loca à tenuioris conditionis hominibus aut etiam à mendicis tenebantur. Iste Virbii clivus & ipse quoque ad colles migravit Aricinos,

& factus eſt ſtatio mendicorum, Judaicorum præcipue. Judæis quippe ſacerdotes Luci Nemorenſis totum locarant Aricinum ſaltum, unde Juvenalis & ipſam quoque ſilvam ejectis Camœnis dicit mendicare. Notanda vero ad hunc Juvenalis locum verba veteris Scholiaſtæ; *In via Appia ad portam Capenam, id eſt ad Camœnas. Madidam ideo, quia ſupra eam aquæductus eſt, quem nunc appellant Arcum ſtillantem. Primum enim uſque ibidem fuerunt portæ, quæ porta Capena vocabatur* Nempe eo, quo iſte interpres ſcribebat tempore, porta Capena ad illum redierat locum, quo ſub primis fuerat regibus, quoque nunc fere viſitur. At vero tempore Juvenalis dicit portam iſtam vicinam fuiſſe Ariciæ & Luco Camœnarum ad decimum ab urbe remotam lapidem, ut oſtendimus, quemadmodum & cæteræ urbis portæ, quæ poſtmodum diminuta Roma eſſe deſierunt, ita ut ſex vel ſeptem in unam coaluerint. Quin & amplius addo, creſcente perpetuo pomœrio & mœniorum amplitudine & ipſos quoque creviſſe montes & quam latiſſime finium ſuorum protuliſſe terminos. Semper quidem augures & ſacrorum antiſtites voluerunt ut univerſa Roma ſeptem contineretur montibus; ſed redundante civium & incolarum copia, cum pauci iſti colles tantam non caperent multitudinem, primo quidem exædificata fuit tota ea planities, quæ ultra Aventinum Oſtiam verſus jacet. Mox deinceps agri qui longius à flumine abſunt & crebris aſſurgunt collibus & illi quoque inhabitari cœperunt, & urbi acceſſerunt. Manſit nihilominus antiquæ religionis mos, ut Roma non niſi à ſeptem comprehendi diceretur montibus: ſingulis quippe montibus augures & Sacerdotes complures adjecere colles, qui velut appendices iiſdem accederent; ita ut uno eodemque omnes cenſerentur nomine. Eſquilino itaque monti addiderunt Ciſpium & Oppium montes, qui utrique complures continebant colles. Idem Cœlio, Quirinali & alliis contigit montibus, ut facile aliquis ex ſacris Argeorum colligat libris, quorum fragmenta

menta ſervavit nobis Varro quarto de LL libro. Fruſtra ſunt qui in illis, quæ hoc tempore ſuperſunt mœnibus, tot montium capita ſeu juga invenire conantur aut ex Rufi & Victoris de regionibus urbis libellis priſcam ſatagunt explicare magnitudinem, cum illorum ætate, ne viceſima quidem antiquæ urbis pars ſuperfuerit. Vel ſolæ Eſquiliæ majores erant, quam ſit totum illud, quod hodiernis includitur muris ſpatium. Illud quippe ne totos quidem ſeptem amplectitur colles, cum major horum extra muros exulet portio. Si neglectis amfractibus & laciniis muri ambitum perſequaris, ne integra quidem decem paſſuum conficies millia: imo ne ſeptem quidem ſi omittas eam partem, quæ eſt ad Tiberim, ubi nullus olim murus. Tiberis quippe erat loco muri, ut Dionyſius Halicarnaſſenſis & alii paſſim teſtantur. Tantillo tamen ſpatio complures totam quanta olim fuit includunt Romam, ita ut neceſſe ſit illam nuſquam fuiſſe, cum domus Neronis totam iſtam occuparet aream. Inſtant tamen nonnulli & quia nulla alia murorum hoc tempore ſuperſunt veſtigia præter ea quæ Belliſarius exſtruxiſſe dicitur, ideo etiam Romam laxioribus unquam incluſam fuiſſe negant mœnibus. Verum an ideo Capitolium non fuit, quia nullæ noſtra ætate comparent reliquiæ? Antiqua mœnia qualia ſub primis fuere regibus, una cum ſeptem portis Plinii & Veſpaſiani ſeculo eſſe jam deſierant. Quæ poſtea fabricata fuere vix erant conſpicua tempore Dionyſii Halicarnaſſenſis. Aureliani murus non ſuperérat ætate Juſtiniani. Si antiquiora, quæ decem ut oſtendimus à Miliario aureo aberant paſſ. millibus ſcrutari & inquirere velimus mœnia, aperienda eſt tellus ad ſexaginta vel plurium pedum profunditatem, & ſic demum fieri poterit ut & illa & alia muris editiora ædificia in conſpectum veniant. Et nos quoque olim ad quadraginta fere pedes tellurem vidimus ſubrutam ſummaque ibique columnarum vix emergentia conſpeximus capita, ut vel hinc aliquis cognoſcat, quam

fruſtra illi ſint qui antiquam Romam in hodiernæ urbis quærunt ſuperficie. Longo tempore non ædificia tantum, ſed & integræ ſubſidunt urbes, nec quidquam profuere inſanæ operum ſubſtructiones ut non altius & profundius illa rerum domina terras ſubierit, quam olim ſupra fundamenta exſtiterit. Non quidem negaverim ſupereſſe etiamnum vetuſta quædam monumenta ſupra terram multum eminentia, cujuſmodi ſunt Pyramides in Ægyto, murus Sinenſium, & in ipſa Roma Amphitheatrum, Pantheum, columnæ Trajani & Adriani & alia nonnulla; verum id ſoli minus cedentis & ſaxei factum eſt beneficio & ſimul quod ipſa olim fundamenta multum ſupra terram exſtarent: nam ſane omnium harum molium culmina multo altiora fuiſſe quam vulgo exiſtimant, certis colligi poteſt documentis. Septizonii quod Severi eſſe creditur, ne quarta quidem altitudinis ſupereſt portio. Venientibus ex Africa in ipſo mari culmen ejus olim conſpiciebatur. Septem quippe adſurgebat zonis totidemque columnarum ordinibus invicem ſibi ſuperſtructis, collium Romæ & ſimul totidem planetarum præ ſe ferens imaginem. Ut vero credam etiam Pyramidas depreſſiores eſſe quam olim fuerint, facit menſura hodierna, quæ non reſpondet altitudini aut latitudini antiquæ. De muro Sinico ſeu potius Serico, licet certi nihil habeam, fieri tamen poteſt, ut & ille quoque inſtauratus fuerit ſicubi ſubfideret. Ut ut ſit, in vanum laborant, qui antiquæ Bobylonis aut Nini ſcrutantur reliquias, vix enim aliter fieri poteſt ut non urbes iſtæ ducentis aut pluribus infra telluris ſuperficiem depreſſæ ſint pedibus utpote in molli & riguo exſtructæ ſolo. Quotidiana quin etiam docent experimenta quælibet communia quoque ædificia, in quibuſlibet fere locis, habita tamen ratione ſoli & ponderis prementis, ſeculi ſpatio minimum uno, aliquando etiam duobus aut tribus pedibus præſertim in molli ſolo ſubſidere, & quidem quanto altiora ſolidioriſque fuerint operis, tanto profundius deprimi.

primi. Tiberim vero fuiſſe terminum Romæ, opus non eſt ut moneamus, cum in eo plerique conveniant antiqui ſcriptores. Quod vero dicunt, niſi transtiberina regio accenſeatur Urbi, jam verum non eſſe ut forum Romanum & milliarium aureum fuerit in media Roma & umbilico urbis in eo omnino fugit illos ratio. Oſtendimus mœnia Romana in ſemicirculi formam cinxiſſe urbem: atqui omnes in eo conſentiunt Geometræ, idem eſſe ſemicirculi centrum, quod circuli: cum centrum non tantum dicatur id punctum, quod in medio circuli ſeu figuræ, ſed & quod in ipſo figuræ occurrat ambitu, uti in ſemicirculo; aut etiam quod ſit extra figuram, ſi minor ſemicirculo fuerit ſectio. Quod vero exiſtimant caſtra Prætoria, quorum in ſupra memoratis Plinius meminit verbis, olim in eodem fuiſſe loco ubi nunc viſuntur, id manifeſte vel ex ipſo Plinio falſum eſſe evincitur, cum illa longe extra mœnia in fine collocat ſuburbiorum. Conſtat plura fuiſſe caſtra prætoria, pluribuſque in locis diſperſa, quamvis non ignorem Tiberium Cæſarem prætorianos in una conduxiſſe caſtra. Sero demum ſub iis qui poſtea regnarunt Imperatoribus una cum mœnibus migraſſe ad illum in quo hoc oſtenduntur tempore, clarum fiet ex iis quæ poſtea dicentur.

CAP.

CAP. V.

Quantus fuerit veteris ROMÆ, cum ſuburbiis ambitus.

POSTQUAM mœniorum Romæ amplitudinem expoſuit Plinius, addit quoque menſuram quam totius civitatis computatis quoque ſuburbiis colligat ambitus, neglecta tamen ut ante Transtiberina regione utpote quæ Romæ non accenſebatur. Patet id exinde quod menſuram ineundam eſſe dicat ab eodem milliario, & quidem per vicos, id eſt per directum, nulla habita obliquitatis Tiberis ratione, quippe ſic multo major emergat menſura. Planum eſt itaque ex iis quæ diximus, ſi longitudini mœniorum, addas quoque iſtud ſpatium quod Tiberis alluit, id eſt millia paſſuum viginti, habituros nos ambitum totius urbis millium quinquaginta & præterea paſſuum DCCLXV. Immenſa licet hæc videatur magnitudo, non tamen ſibi conſtabit Plinius cum hoc ipſo in loco ſcribat, *nullius urbis magnitudinem in toto orbe potuiſſe ei comparari.* Ipſe quippe Babylonem ſexaginta millia paſſuum in ambitu habuiſſe affirmat. Itaque ſecundum hanc menſuram area Babylonis exceſſiſſet aream urbis Romanæ tertia ſui parte. Ut itaque Babylonis magnitudinem ſuperet Roma, dicit addenda eſſe ſuburbia & extrema urbis tecta. Conſtat vero illa non tantum uſque ad Oſtiam, verum etiam uſque ad mare excurriſſe. In altera vero parte quæ à mari eſt remotiſſima, ad Nomentum fere producebantur ædificia, In ſpatio intermedio pene ad Tibur, & in via Appia ad Ariciam fere extendebantur ſuburbia. Egreſſis quippe Roma, prima occurrebat Aricia, & qui illic erant, jam non amplius

amplius verſabantur Romæ, ut docet Arrianus ad Epictetum. At vero Bovillæ ſitæ ad undecimum lapidem, ut habet vetus interpres Perſii, ſuburbium erat Romæ & contiguum mœnibus, quæ decimo ut oſtendimus terminabantur lapide. Itaque apud Suetonium corpus Auguſti à Nola Campaniæ Bovillas uſque portant decuriones. A Bovillis vero equeſtris ordo ſuſcipit urbique infert. Si itaque ſtatuamus ſolis quatuor paſſuum millibus extra mœnia excurriſſe ſuburbia & ponamus calculum, inveniemus eorum ambitum quadraginta quatuor paſſuum millium. Cui menſuræ ſi addamus ſpatium quod ab Oſtia ad Nomentum pene protendebatur, id eſt millia viginti octo, habebimus univerſum Romæ veteris ambitum millium LXXII, unde manifeſtum fit recte ſe habere menſuram Plinianam, cum ſupra LXX huic adſignat paſſuum millia.

Si quis itaque componat veteris Romæ aream, additis ſuburbanis cum area antiquæ Babylonis quam quadratam fuiſſe conſtat, inveniet Romam tribus undecimis partibus majorem fuiſſe Babylone. Sed Plinius ſuburbana Babylolis, veluti ignota, neglexit. In tanta tamen urbis vaſtitate nulla hic habetur ratio totius Tranſtiberinæ regionis, quæ extra urbem cenſebatur. Domus quippe Neronis, ab ea parte, qua fluebat Tiberis, cingebat & terminabat totam Romam. Ipſe itaque Plinius lib. XXXIII. cap. III. poſtquam de Theatro Pompeii eſſet locutus, addit; *Et quota pars ea apparatus fuit aureæ domus ambientis urbem?* & iterum Lib. XXXVI. cap. XV. *Bis vidimus urbem totam cingi domibus principum Caii & Neronis, & hujus quidem, nequid deeſſet, aurea.* Noti ſunt verſiculi;

Roma domus fiet. Veios migrate Quirites,
Si non & Veios occupat iſta domus.

In latitudinem domus hæc producebatur uſque ad Eſquilias. Plures porticus triplices milliarias, id eſt ſingulas mille

mille paſſuum continebat. Cætera vide apud Suetonium. Facile inde conficias, nullam, ne in tota quidem Europa, eſſe tam amplam civitatem, quam fuerit domus iſta Neronis.

Multum vero amplitudini Romæ accedet ſi & Tranſtiberinum quoque huic ſubjungamus tractum. Non ille longum tantum Janiculi comprehendebat jugum & vicinos huic colles, ſed, ſi nonullis credendum Ocriculum uſque, ad intervallum nempe XXXVI mill. paſſ. in via Flaminia Romana excurrebant ædificia. Verum cum nullum idoneum ſatis hujus rei hactenus invenerim teſtem, aliis hoc libenter inveſtigandum relinquam. Interim habitatiſſimam fuiſſe hanc viam nemo prudens negaverit, cum conſtet triumphantes hac urbem ingredi ſolitos, unde & triumphalis dicta, & totam Romam in hac videndam ſe obtuliſſe ut canit Martialis. Nec ſane poſt Appiam viarum reginam, ullam aliam Flaminia illuſtriorem fuiſſe viam, immenſa rudera & perpetui viarum ſatis oſtendunt aggeres; præſertim ſi quis terram ſubruat.

Omnibus tamen his merito quis objiciat, cum conſtet Auguſtum urbem in quatuordecim diviſiſſe regiones & totidem quoque agnoſcat Plinius, fieri non poſſe ut Tiberis fuerit Romæ terminus, cum decima quarta regio à pleriſque trans Tiberim ſtatuatur. Verum ego audacter vel ex ſola hac Plinii deſcriptione auſim affirmare nullam Auguſti vel Plinii ætate XIV urbis regionum fuiſſe trans Tiberim. Quod ſi quis alium quoque petat teſtem, audiat Tacitum Annal. XV, ubi agit de incendio Neronis; *Quippe in regiones quatuordecim Roma dividitur: quarum quatuor integræ manebant, tres ſolo tenus dejectæ: ſeptem reliquis pauca tectorum veſtigia ſupererant lacera & ſemiuſta.* Si enim ætate Neronis XIV, urbis regio non fuit cis Tiberim, putidum ſane fuiſſet monere eam intactam ab igne perſtitiſſe.

In

In marmore Capitolino quo recenſentur vici quinque Urbis regionum, reliquarum enim regionum deſcriptiones in eo non comparent, memoratur etiam regio urbis decima quarta, ſed non additur eam fuiſſe Tranſtiberinam. Occurrit in hoc lapide vicus januclenſis, quod omnino accipiendum videtur de vico XIV regionis Ciſtiberinæ, à qua per pontem januclenſem, via patebat ad Janiculum. Onufrius Panuinus omnes vicos qui in hoc marmore recenſentur tranſtulit in ſcriptum P. Victoris de regionibus urbis, invitis, ut puto, antiquis libris, in quibus nulla vicorum comparent nomina. Qua quidem in re miror ejus imprudentiam, quod nulla cæterarum urbis regionum habita ratione, quinque tantum regionum vicus inſeruerit. Potuiſſet enim eadem licentia ex Sexti Rufi, de eodem argumento ſcripto, plurum quoque regionum vicos ſupplere. Fruſtra itaque ex Victore aliquis conficiat vicos qui in lapide Capitolino decimæ quartæ urbis regioni adſcribuntur fuiſſe trans Tiberim, cum conſtet totum Tranſtiberinum tractum tempore Trajani fuiſſe extra urbem. Ne Severi quidem Cæſaris tempore eum urbi accenſum fuiſſe inde exiſtimo, quod Paulus Juriſconſultus ubi agit de Præfecto Vigilum ſcribat, ſeptem cohortes opportunis locis conſtitutas fuiſſe, ita ut binas regiones Urbis unaquæque cohors tueatur, præpoſitis eis Tribunis. Neque enim veriſimile uni Tribuno ſeu Libertino, ut habet Dio, commiſſas fuiſſe excubias in Cis & Tranſtiberina regione. Quis autem primus fuerit qui pomœrium Romæ ultra Tiberim produxerit an Aurelianus an alius, certo affirmare non poſſum. Alii judicent.

CAP. VI.

Quando Roma fuerit maxima & hominum in Roma multitudo.

UT ex censibus institutis & conditis lustris certissimum crescentis Reipublicæ potest haberi argumentum, ita contra eorum neglectum & supinas curas certissimum decrescentis aut fatiscentis Reip. fuisse indicium, de eo dubitare nos non permittunt scriptores antiqui. Ut itaque sciamus quibus gradibus urbs & civitas Romana ad tantam provecta sit magnitudinem, dicendum nonnihil de censibus.

Primum lustrum institutum fuisse constat regnante Servio Tullio. Idem quoque alia instituit lustra in quibus censa dicuntur civium millia LXXX & LXXXIV.

Anno Urbis conditæ CCXLV Censa fuere civium millia CXXX.

A. U. C. CCLVI. Censa fuere millia civium CL & insuper DCC.

A. U. C. CCLX. Propter intestinas discordias & seditiones & insuper bella externa, reperta fuere non plura civium millia quam centum & Decem.

A. U. C. CCLXXIX. Censa fuere millia centum & triginta.

A. U. C.

A.U.C. CCLXXXVIII. Cenſa vivium capita centum quatuor & viginti, & inſuper ducenta quindecim, præter orbos orbaſque, ut habet Livius.

A.U.C. CCXCIV. Cenſa fuere civium millia CXXXII. & inſuper CCCCXIX.

A.U.C. CCCLXI. Cenſa CLII millia & DLXXX.

A.U.C. CCCCX. Cenſa millia CLX.

A.U.C. CDXXXV. Millia CCL.

A.U.C. CDLIX. Millia CCLXII.

A.U.C. CDLXXII. Millia CCLXXVIII & ccxxII.

A.U.C. CDLXXVIII. Poſt pulſum Italia Pyrrhum, cenſa fuere millia civium ccLxxI & ccxxIV, unde apparet bello hoc Epirotico multos fuiſſe abſumptos cives.

A.U.C. CDLXXXVIII. Millia ccxcII, & ccxxIV.

A.U.C. DI. Cenſa millia ccxcVII & inſuper ccxxVII.

A.U.C. DVI. Cenſa millia ccLI & ccxxII. Unde apparet quam multi primi belli Punici tempore terra marique perierint.

A.U.C. DXII. Cenſa millia ccLx.

A.U.C. DXXXVIII. Cenſa millia ccLxx & ccxIII.

A.U.C. DXLIV. Cenſa fuere tantum civium millia cxxxVII & cVIII. Unde colligas dimidiam Romanæ civitatis partem ſecundo bello Punico pene fuiſſe abſorptam.

A.U.C. DXLIX. Convocatis undique civibus cenſa fuere Romæ millia ccxv.

A.U.C. DLIX. Cenſa milla ccXLIII. DccIV.

A.U.C. DLXIV. Cenſa milliaccLVIII.cccxxVIII

A.U.C. DLXXIV. Cenſa millia ccLXXIII.ccxLIV.

A.U.C. DLXXIX.	Cenſa millia CCLXIX. XV.
A.U.C. DLXXXIV.	Cenſa millia CCCXII. DCCCCV.
A.U.C. DLXXXIX.	Cenſa millia CCCXXVII.XXII.
A.U.C. DXCIV.	Cenſa millia CCCXXVIII.CCCXIV.
A.U.C. DXCIX.	Cenſa millia CCCXXIV.
A.U.C. DCVI.	Cenſa millia CCCXXII.
A.U.C. DCXI.	Cenſa millia CCCXXVIII.I DXLII
A.U.C. DCXVII.	Cenſa millia CCCXXXIII.
A.U.C. DCXXII.	Cenſa millia CCCLXVI.I. DCCCCXIII.
A.U.C. DCXXVIII.	Cenſa millia CCCXC. DCCXXXV.
A.U.C. DCXXXVIII.	Cenſa millia CCCXCIV. CCCXXVI.
A.U.C. DCLXVII.	Cenſa miillia CCCCLXIV. uti habet Euſebii Chronicon, quamvis exemplaria nonnulla manu exarata ampliorem exhibeant numerum, nempe CCCCLXXXIII.

Hic ultimus & maximus liberæ etiamnum Reipublicæ fuit cenſus, ſiquidem oppreſſa Republica primum quidem tyrannide Syllæ, deinceps Pompeii, & demum Cæſaris, multum diminuta eſt Roma, & quamvis in cenſu habito Annô Urbis DCLXXXIII cenſita fuerint DCCCC civium millia, uti habent pleraque Livianæ epitomes ſcripta exemplaria, & confirmatur à Phlegonte Tralliano, ipſa tamen hæc civium multitudo ſignum pereuntis potius quam creſcentis fuit Reipublicæ. Antea pauci admodum civitate Romana donabantur, vixque ullis niſi Romæ domicilium habentibus honor iſte concedebatur: ſiquidem ut in duabus aut pluribus urbibus jure civitatis aliquis frueretur ſtante republica non permittebant Romanæ leges. At vero poſt Syllæ dominatum plerique fere Italiæ populi jus civitatis obtinuere, ita ut vere dici poſſit Romam decreviſſe creſcente poſt Syllam civium numero. Non quidem negaverim poſt bellum Mithridaticum & denuo tempore Auguſtô frequentiorem forſan fuiſſe Romam hominibus, quam unquam

unquam alias, non tamen civibus aut inquilinis, ſed ſervis & advenis undique ex toto imperio confluentibus & jus Romanorum civium occupantibus. Poſt bellum civile quantum diminutus fuerit Romæ civium numerus, manifeſte docent epitome Liviana & Plutarchus cum affirmant, non niſi centum quinquaginta civium millia fuiſſa reperta. Scio quidem ſagaciſſimum Lipſium adducere locum ex Suetonio & Dione unde adſtruere conatur numerum civium poſt bellum civile non fuiſſe diminutum, & erraſſe utrumque ſcriptorem; ſed vero illos alter manifeſtior Dionis tuetur locus, qui eodem XLIII. occurrit libro, cum dicit Cæſarem poſt peractum bellum civile, promiſiſſe prœmia illis qui plures procreaſſent liberos, propterea quod bellis civilibus vehementer eſſet exhauſta urbis frequentia, idque non tantum è cenſu, cui ipſe præerat, ſed & ipſis quoque oculis & conſpectu civitatis potuiſſe deprehendi. Ἐπειδήτε δεινὴ ὀλιγανθρωπία ἐχὰ τὸ τῶν ἀπολωλότων πλῆθος, ὡς ἔκτε τῶν ἀπογραφῶν, (καὶ γὰρ ἐκείνας τάτε ἄλλα ὥσπερ τις τιμητὴς ἐποίησε,) καὶ ἐκ τῆς ὄψεως αὐτῆς ἠλέγκετο, ἦν πολυπαιδίας ἆθλα ἐπέθηκεν. Aliter itaque accipiendus Suetonii locus de cenſu vel potius recenſu Cæſaris, ſic nempe, quod cum ex nongentis civium millibus qui ante bellum civile numerabantur, ſupereſſent etiamnum trecenta & viginti ſupra trecenta millia qui publico frumento alerentur, adflicta & diminuta Republica & exhauſto ærario numerum iſtum retraxerit Cæſar ad centum & quinquaginta millia: ſed verius forſan credamus totum hoc fuiſſe tantùm prætextum & commentum Cæſaris ad cælandam civium paucitatem. Neque enim fallit Livii epitome, in qua legas lib. CXV. *Recenſum egit, quo cenſa ſunt civium capita centum quinquaginta millia*, nec ſollicitandus hic locus cum in hac lectione omnes conſpirent libri veteres.

Quod vero luſtra attinet quæ inſtituit & condidit Auguſtus, in quibus cenſita fuere ſupra quadragies centena civium Romanorum capita, illa ad rem nihil faciunt, cum

non

non urbis, ſed Romani imperii magnitudinem oſtendant. Stante Republica Romæ tantum cenſus fuit habitus. Primus fuit Auguſtus qui in provinciis cenſum inſtituit. Illum auxit Claudius, ſub quo Tacitus numerata fuiſſe ſcribit ſexagies novies centena ſexaginta quatuor civium millia. Et hic maximus civium Romanorum eſſet cenſus niſi longe illo majorem deſcriberet Euſebius in Chronicis, cum dicit Auguſtum cum Tiberio cenſum Romæ agitaſſe in quo inventa fuerint ſupra nonagies ſexcenta & ſeptuaginta hominum millia, ſic enim in optimis & antiquiſſimis ſcriptum invenio libris: Verum de hoc amplius deliberandum cenſeo. Si verus ſit hic numerus & cenſus hic non civium ſed hominum fuerit, opportet ut numerus incolarum Romæ ſub Auguſto minor multo fuerit quam tempore Reipublicæ, ut ex iis quæ mox dicentur patebit.

Quod ſi de civibus Romanis intellexit, peccavit dupliciter, tum quod cenſum qui per totum imperium fuit inſtitutus Romæ habitum dicat, tum quoque in numero, qui vel ipſo teſte Auguſto in lapide quo geſta ejus continentur, ne dimidiam quidam partem hujus multitudinis exequat. Quamvis autem lapidis hujus auctoritas, alio non egeat teſtimonio, illud tamen poſſit exhibere Suidas, cum in voce Αὔγυστος, affirmat hoc regnante in imperio Romano cenſa fuiſſe undecim millia & ſeptendecim ſupra quadragies centena hominum millia, ſive ut ipſe loquitur, myriades ccccx, & inſuper MXI. Miror itaque hunc Suidæ locum qui unice confirmatur Ancyrano marmore, ſollicitari à Lipſio & aliis viris doctis. Ne quis autem errorem literis numeralibus ſubeſſe exiſtimet, apponam integra verba prout in libris ſcriptis integris vocabulis concipiuntur. Αὔγυστος Καῖσαρ δόξαν αὐτῷ πάντας τοὺς οἰκήτορας τῶν Ῥωμαίων κατὰ πρόσωπον ἀριθμεῖν, βουλόμενος γνῶναι πόσον ἐστὶ πλῆθος, καὶ εὑρίσκονται οἱ τὴν Ῥωμαίων οἰκοῦντες τετρακόσιαι δέκα μυριάδες, καὶ χίλιοι δεκαεπτὰ ἄνδρες.

Ut

Ut vero ad Euſebium redeam, quamvis manifeſtum ſit illum erraſſe, non tamen è nihilo ortum exiſtimo hunc errorem. Nempe ultimum luſtrum quod ſub Veſpaſiano conditum eſt, quodque Cenſorinus affirmat fuiſſe LXXV, confudit cum poſtremo luſtro Auguſti. Omninoque rationi conſentaneum eſt, ut ſi Tiberii tempore in imperio Romano numerata fuerint ſeptuagies ſere centena civium millia, liberalitate vel potius avaritia Veſpaſiani & Titi, numerus ille auctus fuerit ad nonagies ſexcentena & ſeptuaginta millia. Clarum eſt itaque civium qui Romæ verſarentur nullam apud ſcriptores occurrere mentionem poſt recenſum Cæſaris quo redacti fuere ad centum quinquaginta millium ſummam. An ſub Auguſto & qui ſubſecuti ſunt Cæſaribus, creverit horum numerus, non conſtat, & veriſimile non creviſſe, cum civitatis jus ad victas tranſierit gentes, qui victores ſuos poſtmodum premerent.

Si itaque inquiramus tempus quo florentiſſima & maxima fuerit civitas Romana, non male hoc ut exiſtimo, referemus ad illos annos qui proxime dictaturam Syllæ præceſſerunt, quando & maximus legitimorum civium fuit numerus, & integra etiamnum fuit libertas. Primus enim qui Rempublicam perdidit fuit Sylla utpote qui non ex populi & ſenatus, ſed ex ſuo arbitrio conſules & magiſtratus creant, qui nunquam niſi multis lictoribus & ſatellitibus ſtipatus in publicum prodierit, qui tribunorum plebis poteſtatem, facem ut ipſe putabat ſeditionum, ſed ſimul Reipublicæ animam penitus ſuſtulerit.

Quamvis enim Senatorum potentia & multitudine etiam ante Syllam gravaretur Reſpublica, ſupererat nihilominus libertas, cum quot Senatorum, totidem quoque Equitum in judicando numerentur ſuffragia. Quin & C. Gracchum conſtat legem tuliſſe de duplicando equeſtri ordine, & ut trecentis ſenatoribus, ſexcenti equites admiſcerentur, ut nempe hac ratione ordo equeſtris præva-

leret

leret Senatui. Poſt Sullam vero omnia hæc adeo immutata fuere, ut nulla plebis in comitiis habita fuerit ratio. Quod autem L. Cottam & Pompeium, licet poſtea pœnitentem, tribunitiam poteſtatem in integrum quodammodo reſtituiſſe ſcripſerint nonnulli, fuit id quidem, ſed ad breve tempus & nomine tenus, nec quidquam profuit Reipublicæ, cum ad Senatum penitus tranſlata fuerit tribunitia poteſtas, ſeveriſſimeque obſervaretur, nequis Eques aut Plebeus crearetur tribunus plebis. Senatoribus tantum honor iſte concedebatur, ſoluſque fuit Auguſtus qui etiam equeſtris ordinis viris tribunatum petere permiſerit. Sub ſequentibus vero Cæſaribus notum eſt nullos fuiſſe Tribunos, præterquam ipſos Cæſares.

At vero ſi magnitudinem Romæ non civium numero, ſed laxitate mœniorum metiri velimus, nullum eſt dubium quin ſub Auguſto longe fuerit maxima. Is quippe mœnia antiqua ad triginta ut oſtendimus paſſuum millia produxit, unde & Quirini & Romuli conditoris urbis retulit cognomen. Itaque Manilius Lib. IV. ubi de libra agit, de illo ſic ſcribit.

Qua genitus Cæſarque meus hanc condidit urbem.

Sic enim habet optimus meus liber, longe Gemblacenſi præſtantior. Sed & Latinus Pacatus in Panegyrico Theodoſii Auguſtum mœnibus ornaſſe Romam teſtatur.

Incolarum quod attinet numerum, illum admodum difficile fuerit inveſtigare, cum nullus eorum habitus unquam fuerit cenſus, neque conſtet quando horum numerus fuerit maximus, num ante Syllam, aut poſt bellum Mithridaticum, an vero tempore Auguſti, quando Roma victarum gentium facta eſt colonia. Interim minime dubitandum exiſtimo, quin numerus eorum longe fuerit major, ac ſit ille quem ſubduxerit Lipſius, & vel ſolos ſervos numerum quem ille poſuerit ſuperaſſe. Athenis quando viginti

viginti civium numerabantur millia, ſimul quoque numerata fuere quater centena ſervorum millia. Si ad eundum calculum revoces civium legitimorum numerum qui Romæ domicilium habuere, qui utique non pauciores fuere quadringentis millibus, habebis octuagies centena millia, ita ut hac ratione plures Romæ ſervi fuerint, quam ullum hoc tempore Europæ regnum contineat homines.

Sed ex ipſa urbis Romanæ area, certius aliquanto de hominum multitudine haberi poſſit argumentum. Quanta ea fuerit ex iis quæ antea diximus ſatis poteſt colligi. Componamus hanc aream cum areis duarum maximarum orbis Chriſtiani civitatium Londinenſi nempe & Pariſiorum urbe. Si menſores non fallunt, duæ iſtæ civitates ſimul junctæ aream inſident quæ fere leucam conficiat Germanicam, ſive ſedecim millia paſſuum quadrata. Atqui area urbis Romanæ additis ſuburbiis octodecies majus continebat ſpatium. Quod ſi tractum Tranſtiberinum addamus, plus quam vicies major fuit Romæ area, ac ſit illa quam prædictæ duæ impleant civitates. Antiquam vero Romam minus olim habitatam fuiſſe ac iſtæ ſint urbes, nemo ut opinor exiſtimet, cum conſtet longe altiores & plurium contignationum fuiſſe domos, quam noſtra fieri ſoleant ætate. Quo autem pares tanto ferendo eſſent oneri, ex cæſis parietes ſtruebantur lapidibus. Lateritii enim operis parietes in urbe fieri lex vetabat, ut lib. II. cap. VIII. docet Vitruvius, hanc etiam addens cauſam; *In ea autem majeſtate urbis & civium infinita frequentia, innumerabiles habitationes opus fuit explicare. Ergo cum recipere non poſſet area plana tantam multitudinem in urbe, ad auxilium altitudinis ædificiorum res ipſa coegit devenire. Itaque pilis lapideis, ſtructuris teſtaceis, parietibus cæmentitiis altitudines exſtructæ contignationibus crebris coaxatæ, & cœnaculorum ſummas utilitates perficiunt & deſpectationes. Ergo menianis & contignationibus variis alto ſpatio multiplicatis, populus Romanus egregias habet ſine impeditione habitationes.* Iſtam

tamen ſublimitatem coercuit Auguſtus & poſtea Nero, modum ædificiorum ſtatuentes LXX pedum altitudinem.

Jam vero, ſiquis non plebis & vulgi ſequatur judicium, ſed conſulat cordatos & qui de rebus bene judicant, inveniet eos fere in eo conſpirare, ut exiſtiment numerum incolarum in utriſque urbibus Pariſiorum nempe & Londinenſi, non excedere ſexties centena hominum millia. Quod ſi quis non contentus hoc numero plures exiſtimet, frequentiorem quoquo efficiet Romam. Poſito itaque hoc calculo habebis centies & quadragies centena hominum millia, ſive ut vulgò loquuntur quatuordecim milliones, quantam multitudinem ne tria quidem ampliſſima orbis Chriſtiani poſſint conferre regna, ut ex iis quæ poſtmodum dicentur fiet manifeſtum.

CAP. VII.

Quomodo urbs & civitas & mœnia Romana paulatim decreverint.

DIſperſa ut diximus per totum imperium civitate Romana non eſt ut quiſquam miretur ipſam paulatim periiſſe Romam; verum ut ſub Regibus & Monarchis omnia ad ſpeciem creſcunt & ampla magis & magnifica videntur, ita quoque ſub Auguſto major viſa eſt Roma, aucto in infinitum pene civium, inquilinorum, & hominum ab exteris gentibus advenientium numero, introductis prætorianis & cætera domus Cæſareæ pompa, inſtauratis in Auguſtiorem modum templis & ædificiis publicis, ampliatis denique civitatis mœnibus. Plus etiamnum ornatus ab illis qui ſubſecuti ſunt acceſſit Cæſaribus, ſiquidem conſtat ex incendio Neronis pulchriorem prodiiſſe Romam. Omnia tamen hæc ornamenta vix

quid

quidquam aliud præſtitere, niſi ut citius periret Roma. Recte itaque ſcriptor ille, qui ſub Trajano floruit, ſenectam Romæ inchoat ab Auguſto, optimo alias principe ſi triumviratus auferas annos.

Quod autem putant plerique ſub Aureliano Cæſare majorem fuiſſe Romam quam unquam alias, id tantum abeſt ut verum ſit, ut ne dimidiam quidem antiquæ magnitudinis partem Aureliani tempeſtate ſuperfuiſſe exiſtimem, & ne quartam aut ſextam forſan incolarum partem. Laxis quidem ille & firmis muris Romam cinxiſſe dicitur, ſed nimium laxando & ampliando mœnia, ſæpe perire civitates, crebris ſatis conſtat experimentis. Vopiſcus quinquaginta fere paſſuum millia in circuitu habuiſſe ſcribit, quæ tamen non ipſum, ſed Probum perfeciſſe affirmat Zozimus. Idem addit mœnibus antea caruiſſe Romam: Quod licet de Transtiberina accipi poſſit regione, quæ mœnibus carebat, utpote deficientibus jamdudum antiquis iſtis ſtructis ab Anco Martio, malo tamen de tota accipi Roma, idque eo libentius quod jam tempore Dionyſii Halicarnaſſenſis mœnia Romana fuerint admodum obſervatu difficilia. Inde eſt quod Ariſtides, ut diximus, credidit Romam carere mœnibus. Sic quoque Cairum Ægyptiam & multas alias urbes mœnibus carere putant complures, quod illa lateant urbanis undique obruta ædificiis. Si Aureliani tempore exiſtiterunt, qualiacunque demum illa fuerint quæ Plinii ætate etiamnum ſupererant mœnia, & murus ductus fuit ab ea parte qua fluit Tiberis, jam habemus quinquaginta paſſ. millia, & plura ſi obliquitatem Tiberis perſequamur. Sed vero muri iſti antiqui non ſupererant ut puto tempore Aureliani abſorpti proculdubio ab aliis ædificiis urbanis. Conſtat præterea hoc regnante tractum Tranſtiberinum Urbi fuiſſe accenſum. Quod ſi ſit, oportet ampliores quinquaginta paſſuum millibus fuerint iſti muri, omnino itaque alia & prorſus nova, ſed anguſtiora, exiſtimo ea fuiſſe mœnia, quæ inſtituit Aurelianus & perfecit Probus. Ponamus quadraginta octo

aut novem fuiſſe paſſ. millium. Attamen de hac quoque menſura tria cum dimidio auferenda ſunt paſſ. millia, illo ſiquidem tempore decima ſexta ſui parte decreverant millia paſſuum, ut non niſi quadraginta quinque ut plurimum relinquantur millia. Hanc veram mœniorum Aureliani exiſtimo fuiſſe menſuram, quam ſiquis cum antiquiore conferat Roma, non niſi dimidium priſtinæ laxitatis inveniet, & minus etiamnum, ſi mœnia iſtæc fuerint lacinioſa, & non ad normam directa.

Poſt abſolutos à Probo Imperatore muros uſque ad conditam Conſtantinopolin, interceſſere anni plus minus quinquaginta. Breve quidem hoc ſpacium, ſed ſi afflictiſſimam Romani populi ſpectes conditionem, vix ulla infeliciora invenias tempora. Nihil tamen æque perdidit Romam, quam Conſtantinopolis. Si vis ſcire quantum ea damni intulerit, ſpectes magnitudinem ejus, quæ utique è ruinis veteris ſuſcitata fuit urbis ut non immerito dixeris, non à Barbaris, ſed prius à Conſtantino everſam fuiſſe Romam. Quantum autem poſtmodum decreverit Roma, id demum patuit octoginta annis poſt conditam Conſtantinopolin, quando nempe urbe à Gothis capta menſus eſt ejus mœnia Ammon Geometra & reperit ea in ambitu habuiſſe millia paſſ. XXI, uti teſtatur Olympiodorus apud Photium. Hujus menſuræ ſi colligas aream, & componas cum capacitate murorum Aureliani, invenies ne quintam quidem laxitatis continuiſſe partem.

Denique everſis ſæpe & demum ſub Juſtiniano reparatis à Belliſario urbis muris, rediere tandem ad eam menſuram qua ſub primis quoque fuere regibus, vix ſolum cingentes pomerium, & ne undecim quidem paſſuum millia ambitu ſuo abſolventes. Ipſam vero hodiernam ſi ſpectes Romam, illa fere tota Campo ſubſidet Martio, & ne ducenteſimam quidem urbis antiquæ continet partem, ut mirer non defuiſſe complures noſtro hoc ſeculo doctos viros, qui eam cum antiqua auſi fuerint comparare Roma.

De

De mœniorum & urbis Romanæ magnitudine hæc dicta ſufficiant, unde quis facile conficiat, recte ſe habere locum Plinii, minimeque audiendos eſſe iſtos, qui eum quid ſcriberet neſciſſe exiſtimant. Merito hoc convitio notaſſent Plinium, ſi quemadmodum ipſi volunt ſcripſiſſet, & ad amplificandam ſupra omnes alias quæ unquam fuere urbes Romæ magnitudinem, mœnia ejus deſcripſiſſet & tredecim tantum iis adſignaſſet millia. Non effugit multorum ineptam reprehenſionem Lipſius, quod XXII paſſuum millium longitudinem mœnibus Romæ adſcripſerit, ac ſi nimia ea fuiſſet menſura. Sed profecto ne ſic quidem culpa vacaſſet Plinius, quem utique latere non potuit exceſſiſſe hanc menſuram Carthaginis, Antiochiæ, Seleuciæ, aliarumque urbium & præcipue Babylonis muros, quos ipſe in ambitu ſexaginta millia paſſuum habuiſſe ſcribit. Verum ut ſciamus rectene ſe habeat hæc menſura, & ut comparatio inter Romam & Babylonem poſſit inſtitui, non intempeſtivum erit, ſi & de Babylone pauca dicamus.

CAP. VIII.

De magnitudine Babylonis & Nini.

IN colligenda mœniorum Babylonis amplitudine Herodotum ſecutus eſt Plinius, cum LX paſſuum millia eam in ambitu habere ſcribit, utpote quæ conveniant cum CCCCLXXX ſtadiis. Ut itaque majorem Babylone faceret Romam, neceſſe habuit addere ſuburbia: verum hac ratione in cenſum quoque venire debuiſſent Babylonis ſuburbia, quibus non caruiſſe ſatis ex iis que ſuperſunt Beroſi colligi poteſt fragmentis. Quod ſi Cteſiæ & Clitarcho oculatis teſtibus maluiſſet credere Plinius, quorum prior CCCLX alter CCCLXV, aut etiam

etiam Straboni, qui CCCLXXX ſtadiorum ambitum ei adſignarunt ; jam confeciſſet majorem Romæ quam Babylonis ambitum, etiam abſque ſuburbiis. Dion Caſſius medium videtur voluiſſe ferire inter Herodotum & Cteſiam, cum cccc ſtadiorum ambitum tribuit Babyloni.

Si quæras quænam tantæ fuerit cauſa diſcrepantiæ, non puto me falli ſi dixero Herodotum & complures alios confudiſſe Ninum & Babylonem urbes. Ambitum enim Nini urbis, quæ eſt Ninevi in ſacris literis, fuiſſe ſtadiorum CCCCLXXX ſeu ſexaginta millium, ex Cteſia docet Diodorus Siculus. Longior erat quam latior, utpote cujus mœnia centum & quinquaginta in directam longitudinem, in latitudinem vero nonaginta colligerent ſtadia. Græci plerique in eo conveniunt, ut affirment eam longe majorem fuiſſe Babylone. Sed & ſacræ conveniunt literæ cum trium dierum iter huic adſignant, dummodo de ambitu intelligas.

Confuſionis cauſam hanc eſſe exiſtimo, quod diruta à Nabuchodoſoro & Cyaxare urbe Nino, cum complures Græci nullam aliam Aſſyriæ noſſent metropolin, præter Babylonem, credentes Ninum non urbis, ſed Regis eſſe nomen, ſimul quoque crediderint non poſſe urbem Nini, niſi de Babylone accipi. Conſtat vero ex ſacris literis, non Ninum, ſed Aſſurem condidiſſe hanc urbem. Non male itaque Scaliger nullum hoc nomine Regem fuiſſe pertendit, nec Ninum, ſed Aſſurem Semiramidis fuiſſe maritum. Quod ſi Aſſur non viri, ſed gentis in S. Literis ſit nomen, eodem res recidit, nam certe Nineve domum ſeu habitaculum ſignificat, quomodo & veteres expoſuere Hebræi. Hinc itaque rumor de condita à Semiramide Babylone, quo nomine Græcos ſugillavit Beroſus. Ipſa quinetiam Semiramis in baſi ſuæ ſtatuæ, non Babylonis, ſed Nini ſe vocat reginam, Ἐγὼ Νίνυ βασιλίσσα. Cætera vide apud Poliænum lib. VIII. Græculi & hæc quoque verba, non de urbe, ſed rege Nino accepere, ac ſi illa merito imperitaſſet, & hinc niſi fallor

nata

nata fabella de occiso à Semiramide Nino. Miror virum doctum, qui eruditas in hunc scriptorem dedit observationes, legendum existimasse μετὰ Νίνον. Porro quo minus suspecta cuiquam esse debeat hæc inscriptio, facit testimonium Isidori Characeni, Scriptoris fide dignissimi, utpote nati in Susiana ad sinum Persicum, eadem qua Dionysius ὁ περιηγητὴς urbe, & ejusdem fere ætatis, cum sub Tiberio & postea floruerit. Is quippe suo etiamnum tempore hanc Semiramidis statuam superfuisse scribit. Verba ejus ex veteri libro integriora quam vulgo legantur, non pigebit adscribere. Sic itaq; ille in Σαθμοῖς Παρθικοῖς. Ὄρος ὃ καλεῖται Ζάγρος, ὅπερ ὁρίζει τὴν Χαλωνίτιν χώραν, καὶ τὴν τῶν Μήδων. Ἐντεῦθεν Μηδία ἥτις κατέχει σχοίνους κβ'. ἡ ἀρχὴ αὐτῶν καὶ χώρα Κάρινα. ἐν ᾗ κῶμαι ε', ἐν αἷς σταθμὸς, πόλις δὲ εὐδεμία. Ἐν τεῦθεν Καμβαδηνὴ ἥτις κατέχει σχοίνους λά. ἐν ᾗ κῶμαι ε', ἐν αἷς σταθμὸς, πόλις δὲ Βάπτανα ἐπ' ὄρους κειμένη· ἔνθα Σεμιράμιδος ἄγαλμα καὶ στήλη.

Veterum Græcorum errorem secutus est etiam Suidas, cum Ninum urbem à Semiramide Babylonem cognominatam fuisse scribit. Hinc quoque factum ut Ninum ad Euphratem sitam fuisse scripserint nonnulli, quem in errorem etiam Diodorum Siculum impegisse miror. In eo certe minime secutus est Ctesiam, cui optime notus fuit Nini situs.

Quod autem Ninum alii ad Tigrim, alii vero ad Lycum amnem collocarunt, in eo nullum est dissidium, utrique verum dixerunt, cum totum illud spatium quod à Tigri ad Lycum extenditur occuparit hæc civitas. A nullo certius peti possit verus Nini situs, quam à Ptolemæo, qui eam ponit ad Tigrim, quinquaginta circiter passuum millibus ab eo loco, ubi Tigri miscetur Lycus. Verum idem cum obliquitatem Luci non signaverit, contentus fontes indicasse & præterea locum ubi amnis hic Tigri miscetur, certo ex illo haberi non potest, quanta fuerit Nini cum suburbiis longitudo. Si amnis hic recto potius quam tortuoso incedat tramite, habebimus intervallum inter duo hæc flumina

quadra-

quadraginta aut ut plurimum quadraginta quinque millium paſſuum. Non eſt autem inſolens ut magnarum urbium ſuburbia, ad æquale, aut etiam in longius excurrant ſpatium, quam ſint illa, quæ muris includuntur ſpatia. Cum autem Ninus intra muros longa fuerit centum & quinquaginta ſtadia, & ſita fuerit inter Tigrim & Lycum, non eſt incredibile ſuburbia ejus non attigiſſe tantum utrumque flumen ſed & exceſſiſſe. Quod ſi non hac ratione ejus ſpectemus longitudinem, ſed potius illam ad ripas Tigris porrectam fuiſſe exiſtimemus uſque ad confluentem Tigris & Lyci, ad ſpatium millium quinquaginta, uti ponit Ptolemæus, habebis & ſic quoque trium dierum iter, nec opus erit verba Prophetæ ad urbis reſtringere ambitum. Sic quoque verum erit quod ſcribit Ariſtoteles in Politicis capta Babylone fuiſſe quoſdam in remotiſſima civitatis parte, qui non niſi poſt tertium diem captos ſe eſſe cenſerint. Nempe & ille Babylonem pro Nino accepit.

Quod itaque ambitum Babylonis attinet, clarum eſt Plinium dum Herodotum ſequitur erraſſe, & menſuram mœniorum Nini, non Babylonis poſuiſſe. De Cteſiæ vero & Clitarchi menſura minime dubitandum exiſtimo. Verum illud non conſtat an tempore Cteſiæ aut etiam Alexandri tantæ ac prius magnitudinis fuerit Babylon, ac ne illud quidem auſim præſtare, ſub Nabuchodonoſoro majorem quam alias fuiſſe. Dicitur quidem ille ampliaſſe Babylonis mœnia, ſed cum pluribus urbs illa quam bis mille ante hunc floruerit annis, quis vadem ſe ſiſtat vergente ad finem hoc regno idem non illic contigiſſe quod Romæ factum fuiſſe diximus ſub Cæſaribus, qui decreſcente perpetuo urbe & imperio, ſemper tamen amplificatores videri & dici voluerunt?

Verum ut ad Plinium redeam, ſi ille contentus ea quam Cteſias mœnibus Babylonis tribuit menſura, ad hanc urbis ſuæ expendiſſet magnitudinem; utique deprehendiſſet

Romam

Romam etiam intra mœnia ſexta fere ſui parte exceſſiſſe amplitudinem Babylonis.

At vero ſi Nini urbis aream mœnibus incluſam componamus cum area Romæ, & ipſa mœnibus & Tiberi incluſa, inveniemus illam fuiſſe talium partium XI$\frac{1}{10}$, qualium Roma fuit VIII. Tanto itaque major Roma fuit Ninus urbs. Quod ſi ſuburbia ejus, æqualia fuiſſe ſuburbiis ponamus Romanis; non errabimus, ut opinor, etiamſi Ninum tertia minimum ſui parte Roma majorem fuiſſe exiſtimemus.

CAP. IX.

De Thebis Ægyptiis.

INter magnas urbes omnino numerandæ ſunt Thebæ Egyptiæ, centum memorabiles portis & habitatæ à ſeptingentis ætatis militaris millibus, ut refert Tacitus, aut etiam pluribus, utpote cum decies centena armatorum millia ex hac aliquando prodiiſſe & Strabo & complures alii tradiderint. Porrectam fuiſſe ad longitudinem quadringentorum & viginti ſtadiorum ſcribit Euſtathius. Verum ex illis quæ olim ad Melam monuimus, ſatis poteſt colligi, non levem ſuboriri difficultatem ex eo, quod & Herodotus & Ariſtoteles affirment, totam olim Ægyptum Thebarum fuiſſe cenſitam nomine. Favent huic ſententiæ ſacræ literæ, cum Dioſpolin ſeu Thebas non tantam aquis Nili cingi, ſed & mare munimenti loco habere teſtantur: neque enim de ſola Thebarum urbe tam longe à mari remota commode hæc accipi poſſint. Tot tantiſque teſtibus libens aſſurgo, idque eo magis, quod & Ægypti nomen ſic accipi debeat. Totam licet ſpectes Ægyptum, illa nihil aliud eſt quam Nilus, non Homero tantum, ſed & re ipſa auctore.

Ægyptus enim non latius patet, quam quatenus excurrit & inundat Nilus, ut docet Herodotus. Recte itaque Strabo, ἡ ποταμία μόνον ἔστιν Αἴγυπτος· ἡ ἐκατέρωθεν ἐρήμη τοῦ Νείλου. Itaque longæ faſciæ ſepulchrali κηρίᾳ σμηχομένῃ ἐπὶ μῆκος. eam comparat, utpote cujus limites non excedant inundationem Nili nec pateant ultra trecenta ſtadia. Verum non exinde conficias Homerum erraſſe, cum centum huic urbi tribuit portas, aut alios, cum quadringenta & plura eam in longitudine habuiſſe ſcribunt ſtadia. Thebarum nempe eadem fuit conditio atque Alexandriæ, quæ ut totam Mareotida ſuburbiis ſuis implevit, ita hæc quoque omnia Thebaidis oppida velut totidem vicos aut ſuburbia ſuo complectebatur nomine. Nec dubitandum quin antiquitus antequam Nilus in Mœridem & Mariam paludes diſtractus efflueret, utraque hujus fluminis ripa adeo frequentibus fuerit exculta ædificiis, ut pleraque oppida velut unam continuam efficerent civitatem.

CAP. X.

De Alexandria & Carthagine.

ADdamus duas alias Alexandriam & Carthaginem Romanæ civitatis æmulas urbes. Si Alexandrinæ urbis ambitum conſideremus, digna utique non erat, quæ hoc loco recenſeatur. Ejus quippe mœnia nunquam exceſſere menſuram ab Alexandro conditore conſtitutam, ſtadia nempe CXX ſeu quindecim paſſuum millia, quod ipſum tamen ſpatium anguſtius reddebant hinc mare inde Mareotis palus mediam urbem influentes, ita ut ea parte non niſi ſeptem vel octo ſtadiis pateret in latitudine, ut habet Strabo, vel ut plurimum decem, ut ſcribit Joſephus, cum in longitudinem uſque ad triginta expanderetur ſtadia. Quod forma ejus mœniorum ad alia-

aliarum urbium non fuerit exacta normam ſed anguloſa admodum, utpote quam chlamydi Macedonicæ ſimilem fuiſſe conſtat, utique mirum videri non debet, quod in ejus deſcribendo ambitu à ſe invicem diſcefſerint ſcriptores. Verum illud miror Agrippam apud Joſephum in ea quam ad Judæos habuit concione, ut magnitudinem Alexandriæ oſtendat, hanc ipſam fere quam Strabo & alii mœniorum poſuiſſe menſuram, nulla prorſus facta ſuburbiorum mentione, è quibus tamen præcipue & fere ſolis immenſa urbis hujus æſtimanda erat amplitudo. Ut itaque cognoſcamus quanta fuere Alexandriæ ſuburbia, hoc primo monendum, littus quod Canopicum dicebatur à Canopo oppido, hodie Bechur vel Albecura dicto, per ſpatium centum & viginti ſtadiorum, in ea enim menſura exacte conveniunt Strabo & Ptolemæus, totum iſtud continuis habitatum fuiſſe ædificiis, cognoſcitur non tantum ex Strabone & aliis, ſed & ex immenſis quæ hoc quoque tempore ſuperſunt ruinis univerſum hoc intervallum ſine intermiſſione occupantibus. In hoc tractu erat Nicopolis ſuburbium triginta ut Strabo ſcribit ab urbe diſtans ſtadiis, ſeu potius, ut Joſephus habet, viginti, intercedente hippodromo & pluribus aliis ædificiis, quorum etiamnum ſuperſunt rudera, ſed præcipue Nicopolis, quam ipſa Alexandria non minorem fuiſſe affirmat Strabo. Sed & ipſam quoque illam famoſam foſſam, quæ ab Alexandria & Mareoti uſque ad Canopum extendebatur habitatam fuiſſe & quidem magnis vicis docet Strabo. Taceo jam reliqua ſuburbia, & illa preſertim, quæ ultra foſſam per quam Mareotis palus in mare effluebat, in littore olim fuere Libyco. Hactenus ea tantum recenſuimus, quæ è mari ſeſe ſpectanda offerebant, unde tamen ſatis colligas Alexandriæ longitudinem, utpote quæ in littore ad centum & quinquaginta minimum porrecta fuerit ſtadia.

Videamus nunc urbis hujus profunditatem, quem memorat Adrianus Cæſar in Epiſtola ad Servianum. Illam

ut habeamus, dico addendam esse paludem Mareotidem, & quidem totam, si Straboni credere velimus. Is quippe cum trecentorum fere stadiorum longitudinem huic tribuat, latitudinem vero centum & quinquaginta, omnia tamen circumcirca pulcre habitata fuisse affirmat, ἐκ τὰ κύκλῳ πάντα οἰκέμβνα καλῶς. Itaque & Athenæus & Athanasius & Theodoretus & complures alii paludem hanc non vicinam huic urbi, sed in ipsa Alexandria fuisse scribunt; & cognominem paludi Maream, olim magnam urbem, postea magnum Alexandriæ factum fuisse vicum. Sed quid facias Plinio, qui ex Claudio Cæsare prodit paludis hujus trajectum XXX, ambitum vero CD passuum Millium? Cum in hac mensura meliora conveniant exemplaria, non est ut vitio laborare numeros existimemus. Dubium omne tollunt sequentia verba, in quibus etiam major huic paludi tribuitur mensura; *Alii schœnos in longitudinem patere* XL *faciunt, schœnumque stadia triginta, ita fieri longitudinis* CL *mill. pass. tantundem & latitudinis.* Quantumvis hos numeros in angustum redigas, habebis tamen ambitum majorem quadringentis & XXIV pass. millibus, quæ profecto immensa est mensura præ illa Straboniana. Quid item sentias de Palladio in Lausiacis ubi describit iter ad montem Nitriæ, & paludi huic adsignat LXX mill. pass. trajectum, quem se sesquidiei navigatione confeciſse testatur? Hæc & similia cum legunt semidocti rident & exsibilant veterum scriptorum inconstantiam & simplicitatem, ac stoliditatem vocant quidquid ipsi non intelligunt. Sciant itaque isti, omnes recte sensisse & scripsisse, nullamque hic subesse hallucinationem. Ut enim antiquam & naturalem, quam Strabo describit, palus hæc conservaret mensuram; aut ut ad vicies, imo & tricies majorem excresceret amplitudinem, totum hoc ex arbitrio & voluntate populi pendebat Alexandrini, dummodo Nili non deesset beneficium. Cum enim non solum per fossam Canopicam, sed & per plurimas alias ex altiori & superiori Ægypto aqua Nili

Nili in hanc defluceret paludem, ut cum alii, tum præcipue Strabo & Palladius docent; ratio exigit ut pro menſura incrementi Nilaci plus etiam minuſve inundarentur & pingueſcerent arenoſi & deſerti alias exterioris Libyæ agri. Ex immenſa porro paludis hujus magnitudine ſatis quoque intelligimus, fiere aliter vix potuiſſe, quin & Mœris quoque palus pars fieret Mareotidis. Nec aquarum obſtat libramentum, effodiebatur enim tellus in uſum aggerum, unde demum duplex oriebatur compendium, hac enim ratione non tantum quaquaverſum admittebatur aqua, ſed admiſſa etiam in editioribus agris detinebatur quamdiutiſſime. Ex eadem quoque egeſta terra oppidorum & vicorum ſtruebantur fundamenta ut quemadmodum paſſim alibi in Ægypto ſupra aquas exſtarent. Decem aut plures maximos vicos in Mareotide fuiſſe ſcribit Athanaſius, tam vicinos urbi, ut non Alexandrini nomi, ſed ipſius Alexandriæ partes eſſe dicerentur, ideoque æque ac Nicopolis, Eleuſin, Necropolis ac cætera Alexandriæ ſuburbia carebant Epiſcopis, at per Presbyteros regebantur. Itaque Iſchyram qui unius ex iſtis decem vicis ſe Epiſcopum gerebat, negat Athanaſius fuiſſe Epiſcopum. Quod autem in Notitia Mareotis recenſeatur Epiſcoparus, id de altera intelligendum Mareotide, quæ erat longe ultra hanc paludem, vicina fonti Solis & Hammoniacæ regioni. Niſi potius inde id factum exiſtimemus, quod Mareotis oppidum ademptum Alexandrinis attributum fuerit præfecturæ Libycæ & hac ratione factus fuerit Epiſcopatus. Vide legem Juſtiniani de Alexandrinis. Sex porro integros menſes aqua hujus paludis catarractis detinebatur ab Alexandrinis, & cum ex profunda Ægypto, ut eam vocat Joſephus, per hunc lacum primo Alexandriam, deinde Romam deportabantur præcedentis anni meſſes, reconditæ hactenus in inſulis & horreis circumcirca paludem ſitis.

Ut olim ita quoque hoc tempore palus hæc undique cingitur palmis. Nunc latronum domicilium, olim vero accolæ

accolæ erant Judæi. De illis præcipue intelligenda ſunt verba Philonis Judæi, cum ſcribit decies centena Judæorum fuiſſe millia qui Alexandriam & Ægyptum inhabitarent. Jam à temporibus Alexandri jus civitatis æquale cum Macedonibus acceperant. Poſtquam Nilus per multos alveos in ſiticuloſam & incultam fuit derivatus Libyam, regioque illa habitabilis eſſe cœpit; illi primi fuere qui vacantes occupavere agros. Hinc factum exiſtimo ut regio hæc dicta fuerit Palæſtina Libyca. Colligo id ex Vopiſco in vita Aureliani, cum ſcribit currum ejus triumphalem præceſſiſſe ducentas diverſas feras manſuetas è Libyca Palæſtina. Quam autem habitatus fuerit hic tractus vel exinde colligas, quod ex eo tempore Mareotis pro tota accepta fuerit Ægypto, ac ſi univerſa Ægypti opulentia una cum flumine in illam tranſiſſet, fruſtra indignantibus Ægyptiis, quorum regio exhauſta maxima fluminis parte adeo reddita eſt ſicca, ut Nilum non niſi duobus hoc tempore in mare exire oſtiis affirment complures, cum ne conſpicua quidem ſint reliqua, quorundam vero ne locus quidem compareat.

Non autem ſolas paludis hujus oras occupavere Judæi, ſed & interiores vicinæ quoque Libyæ partes & præcipue montem Nitriæ contingentem, ut diximus, hunc lacum, impleviſſe monaſteriis & cœnobiis anachoretarum clare oſtendit idem Philo. Nitriotas vocat Ptolemæus, nec dubitandum quin omnes iſti fuerint Judæi. Sive prædicatione Evangeliſtæ Marci & diſcipulorum ejus, ut Euſebius & alii ſcripſere, ſive ſponte ſua ſola miraculorum Chriſti fama facti fuerint Chriſtiani, non jam quæro; illud conſtat, æque eos ac alios Eſſenos magna ex parte jam à principio Chriſtianam ſuſcepiſſe religionem. Si quis enim Philonis & Paladii de hoc monte conferat verba, certo certius inveniet illum ipſum Nitriæ montem, quem Judæorum tenuere monachi, Chriſtianos poſtmodo tenuiſſe monachos. Cum vero abſurdum ſit exiſtimare, Judæos ex antiquis

antiquis ſuis ſedibus expulſos fuiſſe à Chriſtianis, ſupereſt ut credamus Judæos iſtos monachos ad Chriſti tranſiſſe caſtra, quemadmodum optime obſervatum Thomæ Brunoni, admirandæ doctrinæ viro, de cujus inſignibus erga me meritis alibi dabitur dicendi locus.

Quod autem viri docti obſervant Eſſenos Paleſtinæ non in omnibus conveniſſe cum Therapeutis ſeu Eſſenis Ægyptiis, nihil ad rem facit, cum & qui Judæis in monte Nitriæ ſucceſſere Chriſtiani monachi diverſas habuerint πολιτείας, in quibus unuſquiſque ſuo viveret more, ut monet Palladius. Sufficit quod vitæ ſanctioris gratia fuerint eremi incolæ, unde eos comparat Joſephus iſtis Dacis ſeu Getis, quos ipſe πολισὰς, Strabo κτισὰς nominat. Apud Joſephum non recte πλείσους legitur pro πολισαῖς. Sed & apud Euſtathium ad β. ἰλ ubi interpretatur Ἀθήνας ἐϋκτίμενον πολίεθρον cum πολισὰς dicit eſſe κλισὰς, male depravata hæc vox in πολεμισὰς. Dicebantur vero κλισὰι & πολισὰι quod monaſteria & domicilia in ſolitariis ædificarent locis eſſentque velut conditores eremi. Hinc apud Athanaſium in vita S. Antonii legas, ἡ ἔρημος ἐπιλίθη ὑπὸ μοναχῶν. Et ſane urbes potius quam monaſteria dici poterant iſta habitacula, cum in quibuſdam octo vel etiam decem nonnunquam monachorum reperirentur millia. Copioſi inter illos erant piſtores, coqui, lanii, zythi ſeu cereviſiæ Ægyptiacæ coctores, & ne vinarii quidem ac placentarii deerant, præſertim illis qui in magnis viverent monaſteriis, quique commodis eſſent moribus. Nam ſi qui moroſi & ad vitam civilem minus apti viderentur, illi ſegregati à reliquis in tuguriis agitabant. Nihil denique inter urbes & monaſteria erat diſcriminis, niſi quod in his viri à mulieribus ſeorſim viverent.

Iſtos porro Judæorum ſeu monachos ſeu tharapeutas vicinam quoque impleviſſe Ammoniacam ex eo colligo, quod & eam quoque tenuerint Chriſtianorum monachi, quorum examina diſperſa fuiſſe per totam Libyam proprie dictam,

dictam, ut eam vocat Ptolomæus, docet Palladius in hiſtoria Lauſiaca, digna quæ aliquando integra in lucem prodeat, vix enim pars dimidia vulgo proſtat.

Miratur Strabo quod cum tantam auctoritatem Jovis Ammonis olim habuerint oracula, ſuo tamen tempore ceſſarent, pluſque Sibyllinis quam iſtis tribuerent Romani; ſed profecto poſtquam Judæi facti fuere Ammoniacæ domini, neutiquam mirum debet videri ſiluiſſe Ammonem & ſucceſſiſſe Sibyllina, id eſt Judaica oracula.

Nec tamen exiſtimandum in iſta Judæorum converſione omnia tam pacate fuiſſe geſta, ut non etiam inter hos & novitios Chriſtianos graviſſimæ orirentur contentiones, quin potius illud ipſum quod decimo ſeptimo Trajani anno Andreas quidam geſſit bellum, hac ipſa credo de cauſa fuiſſe ſuſceptum. Ut ſic ſentiam facit præcipue Euſebius initio lib. IV. hiſt. Eccl. ubi bellum iſtud à Judæis ſuſcitatum fuiſſe ſcribit contra cohabitatores Græcos, ſive συνοίκους Ἕλληνας. Cum enim Alexandria, & huic annexa Libya proprie dicta à ſolis teneretur Macedonibus & Judæis, neque enim ullæ aliæ gentes jure civitatis fruebantur, planum eſt illos quos Græcos fuiſſe ſcribit Euſebius fuiſſe Judæos, qui expulſi ab aliis Judæis Alexandriam ſe contulerunt, Hieronymus ſic vertit; *Judæi qui in Libya erant, adverſum cohabitatores ſuos alienigenas dimicant. Similiter in Ægypto & Alexandria. Apud Cyrenen quoque & in Thebaide magna ſeditione contendunt. Verum Gentilium pars ſuperat in Alexandria.* Recte quidem ſi per cohabitatores alienigenas intelligas Judæos qui relicto Judaiſmo facti eſſent Chriſtiani, quales ſolent Judæi appellare alienigenas. Profecto non potuerunt Judæi niſi cum his bellum gerere, cum ſoli, ut diximus, Judæi, totum illum Libyæ tenerent tractum. Oroſius vertit *incolas*. Hæſitant quoque hodierni interpretes, quia nempe ignorant Judæos Alexandriæ & in ſubjecta huic Ægypto & Libya habitantes pro Græcis fuiſſe habitos, & jam ab Alexandri temporibus conceſſum fuiſſe iis,

iis, ut ſe Macedonas appellarent, uti teſtatur Joſephus, cum alibi, tum lib. II cap. 2. de bello Judaico, ὃ χρηματίζειν ἐπέτρεψαν Μακεδόνας. * Per Græcos itaque ſeu Macedonas intelligendi hic ſunt Judæi in Chriſtum credentes. Hinc quoque commeatus Macedonicus, pro Alexandrino apud Symmachum Epiſt. LV. Lib. III. *Ager qui me tenet Tiberim noſtrum juncto aquis latere proſpectat. Hinc libens video quid æternæ urbi indies frugis accedat, quid Romanis horreis Macedonicus adjiciat commeatus.* Non recte locum hunc interpretati ſunt viri docti, neque enim è Macedonia, ſed ex Alexandria annona Romam advehebatur. Hoc quoque addo, curatores & inſtitores catapli Alexandrini fere fuiſſe Judæos, qui meſſes Ægypti vel Puteolos, vel Oſtiam deportabant, unde demum ad ſaltum Arcinum ſeu nemus Camœnarum deferebantur extra portam Capenam, quæ tam temporis decimo ab urbe, id eſt Miliario aureo, aberat lapide, vicina nempe Ariciæ. Judæis quippe licitum non erit habitare in urbe. Hinc facile intelligas loca Juvenalis, quæ hactenus interpretem non invenerunt, cum de Judæis in luco Camœnarum frumentum & fenum vendentibus ſic ſcribit; *quorum Cophinus fenumque ſupellex.* Et alibi, *Cophino fenoque relictis Arcanam Judæa tremens mendicat in anrem.* Cophino enim frumentum metiebantur. Quod autem apud Euſebium & Hyeronimum ſequitur, gentilium partem prævaluiſſe in Alexandria, & hoc quoque bene ſe habet. Qui enim ea in urbe morabantur Judæi, ii non tantum cum Judæis factis Chriſtianis, ſed & cum Macedonibus conflixere, qui non poterant Chriſtianis non favere contra Judæos rebelles. Hinc quoque clarum quod ſequitur, *Hadrianum Alexandriam à Romanis ſubverſam publicis inſtauraſſe impenſis.* Occiſis nempe præcipuis Alexandriæ incolis Judæis, incenſiſque & everſis eorum habitationibus & munimentis. Quod vero ad annum Hadriani quintum

* *Quin & omnes Ægypti Reges poſt Alexandrum Macedonas ſe vocaſſe, eoque nomine præcipue gaviſos eſſe teſtis Pauſanias.*

notat, *Hadrianum in Libyam, quæ à Judæis vaſtata fuerat, colonias deduxiſſe*, vix de aliis intelligi poſſit, quam de Chriſtianis, quibus loca ea habitanda conceſſerit. Iſtæc enim Libyæ deſerta, quæ prius obtinuerant Judæi, ſoli poſtmodum incoluere Chriſtiani. Sed redeamus ad ipſam urbem.

Civium Alexandriæ quod attinet numerum, illum ſcribit Diodorus Siculus ſuo tempore fuiſſe ſupra trecenta millia. Et tamen nullius jus civitatis difficilius obtinebatur quam Alexandrinæ. Præcipue ab hoc honore excludebantur Ægyptii, non tantum propter nimiam calliditatem & malam hujus gentis indolem & præcipue ſævitiam, quæ effecit ut nec Magiſtratum gerere & nullius jure civitatis frui illis permiſerint leges Romanæ, multo vero magis id ipſum carebant Alexandrini, propter perpetuas cum Ægyptiis de aquis Nili contentiones. Itaque Appionem qui civis Alexandrinus videri volebat explodit Joſephus. Trajanus tamen apud Plinium juniorem jus hujus civitatis concedit Harpocrati Jatraliptæ, verum non niſi conſulto prius per præfectum Ægypti populo Alexandrino, addens non temere dandam eſſe civitatem Alexandrinam.

Sed vero vix aliunde magis opulentiam & magnitudinem urbis hujus intelligas, quam ex copia frumenti, quod ex Maria ſeu Mareoti palude Romam deportabatur, quodque ad tertiam anni partem toti ſufficeret populo Romano. Præter vero annonam, in tributis & vectigalibus, tantundem ſola hæc urbs pendebat, quantum tota Gallia.

Merito itaque omnium poſt Romam civitatum maximam vocat Alexandriam non Joſephus tantum & Dion Chryſoſtomus, ſed & complures alii. Ariſteas vero & Diodorus Siculus ne Romam quidem excipiunt, idemque facit Menander Laodicenus Rhetor, qui illam omnium quotquot ſol aſpicit civitatum vocat maximam. Omninoque verum dicit, ejus quippe ætate multum diminuta erat Roma. Florebat vero etiamnum Alexandria, nondum intempeſtivo Zelo & Patriarcha-

Patriarcharum tyrannide expulsis Judæis & paganis Serapidis cultoribus. Postquam ea soli potiti sunt Christiani quorum magna pars erant monachi, Paulatim cœpit deficere, accedente præsertim urbis Bizantinæ invidia propter nimiam Patriarcharum potentiam, supra ipsos quoque sese efferentium imperatores, donec tandem primo à Persis, mox dein à Saracenis & postremum à Turcis capta fere in solitudinem abiit.

CAP. XI.

De Carthagine.

VEniamus nunc ad Carthaginem, ut & hujus quoque cognoscamus magnitudinem. Nonnulli huic ambitum trecentorum & sexaginta stadiorum attribuerunt, ac parem fecere Babyloni, ideo nempe quod tantum Strabo adsignarit ambitum peninsulæ, in qua sita fuerit Carthago. Sed vero Livius, cum à Romanis dirueretur, urbem hanc in ambitu habuisse scribit XXIII passuum millia. Unde conficitur aream Carthaginis paulo tantum plus quartam peninsulæ occupasse partem. Verum quod longa seculorum docuit experientia, ut pleraque magna corpora, ita etiam magnas civitates, non nisi paulatim ad summum molis & potentiæ pervenire gradum, quem postquam attigere paulatim quoque deficere & perire soleant: idem quoque evenit Carthaginiensibus, qui postquam diu maris terrarumque tenuissent imperium, sensere paulatim & ipsi senectutis mala, vexati factionibus domesticis, afflicti bellis Siculis, & demum Romanorum attriti potentia, donec tandem ad eam quam diximus, mensuram eorum redigeretur civitas, illam

quidem magnam, ſi cum aliis conferatur urbibus, ſed tamen plurimum diminutam, ſi cum antiqua & priſca componatur magnitudine. Si quis autem ſcire velit, quo maxime tempore floruerit Carthago, auſim affirmare tempus id vel ipſum quoque bellum præceſſiſſe Trojanum. Didonem condidiſſe Carthaginem eadem ratione qua Auguſtus Romam, Conſtantinus Byzantium, & alii alias condiderunt urbes, libenter credo. Sed & verum forſan, quod ſcribi Appianus, quinquaginta ante bellum Iliacum annis à Tyriis fuiſſe conditam. Nempe urbes condi dicuntur, cum novis augentur colonis. Verum multo antiquiorem eſſe Carthaginem, ex Hannonis confici poteſt periplo, ſeu navigatione extra columnas Herculis. Supereſt etiamnum peripli hujus compendium, multo enim auctius olim fuiſſe exinde colligas, quod complura apud antiquos legas ex illo deſumpta, quæ tamen hoc tempore in eo non invenias. Quanta fuerit jam illo tempore Carthago ex eo cognoſcas, quod poſt conditas trecentas in littore Libyco urbes, redundante nihilominus hominum multitudine, cum ſexaginta pentecontororum Hannonem miſerint claſſe inſtructa commeatu & triginta colonorum millibus, ad explorandos extra columnas Herculis Libyæ tractus, & condendas in illo quoque Oceani littore colonias. Hanc navigationem factam fuiſſe cenſet Strabo paulo poſt bellum Iliacum. Sed vero rectius dixerimus integro minimum ſeculo antiquiorem hoc bello fuiſſe iſtam Hannonis expeditionem. Cum enim non ex nihilo oriantur fabulæ, unde demum tres Gorgones, niſi ex tribus Hannonis Gorgidibus, adſentiente etiam Palæphato? Unde Amaltheæ ſeu Heſperidum cornu, niſi ex ejuſdem nominis promontorio apud Hannonem? Sed & Poma aurea, quæ ex Heſperidum hortis ad Oceanum ſitis decerpſiſſe dicitur Hercules, quis in Europam potuit adducere niſi Hanno, qui primus iſta Oceani littora adiit & ex Promontorio Soloentis nunc *Capite Viridi*, & ex Theôn ochemate nunc *Sierra Liona* dicto, ubi

ubi copioſiſſime proveniunt, primus iſtæc poma Europæ intulit?

Valent hæc argumenta unde certo conficere poſſimus Hannonem præceſſiſſe, aut ſaltem æqualem fuiſſe, temporibus Herculis & Perſei. Hinc quoque patet illa quæ de Didone memorantur, referenda eſſe ad Tyrios inſulanos, non autem ad primam Carthaginis molitionem, utpote quæ longe antiquior fuit Tyro, quæ condita demum paulo ante excidium Trojæ; ideoque cum Tyrii dicuntur conditores Carthaginis, intelligendi Palætyrii & cæteri Phœnices. Nec male hinc interpreteris locum Virgilii, cum dicit, *Carthago aut antiqua Tyros.* Filiam nempe confudit cum matre.

Cum ergo tanta fuerit Carthaginenſium potentia jam Hannois iſtius temporibus, quis non & hoc dederit, exſtitiſſe & floruiſſe horum rempublicam multis ſeculis, & forſan pluribus quam mille annis, antequam ad tantam excreſceret magnitudinem? Quod autem in Græcorum monumentis nullum tantæ potentiæ occurrat veſtigium, mi nime id mirum debet videri, cum vix Iliaca tempora Græcorum attingat literatura.

CAP. XII.

De Cairo & Babylone Ægyptiaca.

CUm è ruinis Alexandriæ ſuum præcipue incrementum acceperit Cairus Ægyptiaca, nonnulla etiam de hac dicamus, idque eo magis, quod cum innumeri & noſtra tempeſtate & ſuperioribus ſeculis hujus videndæ gratia Ægyptum adierint, tanta ſit nihilominus ſcriptorum diſcrepantia, ut non de eadem, ſed de diverſis videantur egiſſe civitatibus

civitatibus. Qui noſtris temporibus Cairum frequentant, negant eam Londino aut Pariſiorum majorem civitate, licet habitantium numero ſuperiorem concedant. Affirmant quippe eam tribus aut ut plurimum quatuor horis commode poſſe circuiri. Itaque non audiendos eſſe contendunt, qui decem aut etiam duodecim leucarum ambitum huic tribuerunt. Verum quam temere hæc ab iis jactentur qui nulla habita temporum ratione Cairum quæ nunc eſt cum eâ quæ pridem fuit confundunt, operæ pretium fuerit paucis oſtendere.

Sex præterierunt ſecula ex quo civitatis hujus nomen Europæis innotuit, ab eo nempe tempore quo ſocietatis viribus Syriam tenuere Chriſtiani. Quanta jam iſtac tempeſtate urbs hæc fuerit, cognoſcas ex Guilhelmo Tyrio Archiepiſcopo, qui libro XIX originem & ſplendorem hujus copioſe deſcribit. Recte is à Memphi eam diſtinguit, utpote quæ in altera Nili ſita fuerit ripa, ſed quod Babylonis Ægyptiæ nomen nuſquam ſe reperiſſe ſcribat, id miror cum præter Joſephum, etiam Strabo Diodorus & Ptolomæus hujus meminerint. Licet vero & olim & etiam noſtro hoc tempore Babylon & Cairus juſto ſatis dirimantur intervallo, ſub Caliphis tamen & Soldanis florentibus Ægyptiorum rebus, adeo auctæ fuere hæ urbes, ut ſe mutuo contingerent, & unam conſtituerent civitatem. Maxime id factum poſtquam uno eodemque cinctæ fuere muro, quod ex Jacobo de Vitriaco colligo, qui lib. III. ubi agit de capta Damiata ſcribit quod *Cayer & Nova Babylonia ad mandatum Soldani uno muro clauſæ ſint, & ſint factæ una eademque civitas.* Nova vero Babylonia, ideo vocabatur, quod jam deſtructa eſſet vetus Babylon Ægyptiaca, quæ quinque milliariis aberat à Nova ut idem paulo poſt teſtatur. Hæc nempo vetus Babylon iſtic fere ſita erat ubi Ptolemæus ſuam collocat Babylona, licet in citeriore Nili ripa, unde apparet bis minimum mutatum fuiſſe Babylonis Ægyptiæ ſitum. Hujus etiamnum ſuperſunt ruinæ & porriguntur

uſque

uſque ad Metream, qui locus veterem & novam Babylonia interjacet, eratque olim velut ſuburbium Cairi. Ex his facile aliquis colligat Cairum olim in longitudine porrectam fuiſſe ad viginti minimum paſſuum millia, & ſane tantundem huic ſpatii tribuunt qui non niſi quinque horarum ſpatio eam pertranſiri ſcripſerunt. Bernardus Bredenbachius nobilis Germanus qui ante annos ducentos curioſe Cairum luſtravit, ita de hac ſcribit; *equitem quatuor horarum ſpatio ſine intermiſſione iter facientem longitudinem civitatis forſan poſſe emetiri, ipſam vero totam non niſi novem vel decem horis circumire.* Judocus Giſtelius, qui eodem tempore Ægyptum adiit, non niſi duodecim horis circumequitari adfirmat. Plus etiamnum dixere alii, qui non niſi biduo circumiri poſſe ſcripſerunt, & duodecim leucarum Germanicarum ambitum huic tribuerunt. Qui minimum poſuit eſt Martinus à Baumgarten, cum ſcribit; *tantæ porro magnitudinis eſt Cayrus, ut vix novem decemve horis quis bene ambulans eam circuire poſſit.* Denique ſi quis omnia eorum qui ante plures quam ducentos floruere annos colligat teſtimonia, convenire in eo inveniet, Cairi ambitum longe majorem fuiſſe triginta paſſuum millibus, quam tamen menſuram velut nimiam vulgo explodunt. De frequentia vero incolarum Cairi inter cætera hæc quoque memorat Bredenbachius; *Præterea populoſior eſt civitas illa, quam alia ulla ſub ſole, creditur que quod tota Italia vix tanto abundet populo, quam urbs hæc ſola. Nam longe plures in ea ſunt homines qui propriis carentes domibus dormiunt ſub divo, quam ſunt Venetiis habitatores.* Et tamen iſtoc tempore Venetorum civitas longe quam nunc erat frequentior.

Ex his facile aliquis intelligat, ſiquis hodiernam Cairum, omiſſa Babylone, & ſuburbiis longe diſſitis, neglectiſque intermediis circumcirca ruinis, componat cum ea quam deſcripſimus vetere Cairo, fore ut vix ſextam vel ſeptimam magnitudinis partem habeamus, etiamſi parem utrique tribuamus

tribuimus latitudinem. Antiqua enim Cairus ad vinginti protendebatur paſſuum millia, cum hodierna etiam qua longiſſima eſt vix tria excedere dicatur. Quamdiu nempe Caliphis & Sultanis legitimis Ægyptus paruit dominis, tam etiam diu crevere opes & felicitas hujus civitatis, nec quidquam præter peſtem, magnis plerunque urbibus infeſtam, in infinitum ituræ obſtabat magnitudini. Ante annos demum CLXV poſtquam per tres dies noctesque in ipſa urbe pugnatum eſſet, jugum Selimi Imperatoris & Turcarum ſubiere, quorum tyrannide, longe quam peſtis deteriore, perpetuo deinceps oppreſſi fuere, donec & Cairus ad eam quam diximus menſuram redigeretur, totaque adeo Ægyptus in ſolitudinem abiret.

CAP. XIII.

De magnis Sinarum urbibus.

QUum boni regiminis nullum ſit certius ſignum quam magnarum urbium copia & frequentia, non eſt ut vaſtas Sinenſium miremur urbes, quarum ſi ſpectemus amplitudinem, tantum illas cæterarum gentium civitates magnitudine ſuperaſſe inveniemus, quantum arte regnandi omnibus aliis meliores ipſi ſemper fuere mortalibus. Non jam loquor de præſenti Sinarum ſtatu & conditione, poſtquam malorum principum & magiſtratuum culpa corrupta eorum Republica in prædam ceſſere Barbaris, omniaque apud ipſos facta fuere minora; ſed de feliciori tempore, cum ſui tantum generis regibus parerent, illis quidem non ſemper bonis, raro tamen tam malis, ut neglecta omni regiminis cura, ſolis ſervirent vitiis. Qui vero inter illos fuere boni, fuere autem quamplurimi, illi vel ipſi Platoni in formanda Republica, meliori etiam,

etiam, quam quod ipſe ſecutus ſit, exemplo eſſe potuiſſent. Nullos inter eos invenias vel Cæſares vel Alexandros, ſimileſque cladibus & pernicie humani generis gaudentes peſtes; Paœm, tranquillitatem, artes & ſcientias, cæteraque quibus vitæ conſtat felicitas excoluere, his ſolis, etiam abſque bellico apparatu, majus ſibi acquiſivere imperium, quam armis quantumvis victricibus ullus vel monarcha, vel ulla unquam ſibi compararit reſpublica. Solum boni regiminis ſufficit exemplum, ut remotiſſimæ etiam gentes, relictis patriis inſtitutis & moribus, damnataque barbarie ſua, Sinenſibus ſponte ſe ſubjicerent, iiſque ſe aggregarent, qui ſoli ſcirent vivere, & ſine ſanguine vincere. Habuere quidem & Sinæ præclaros bellatores, quorum tamen virtutem ipſi nec mirantur, nec laudant, cum non ſine multo ſanguine gerantur bella, nec cæteri propterea cives felicius vivant. Illos ſolos in hiſtoriis commendant & probant Reges, qui juſtitia & moribus inſignes fuere, quique non vi & armis, ſed ſola virtutis fama ſuum ampliarent impeperium, & hac ratione quoſcunque reges & regna ad obſequium allicerent. Quod ſiqui Sinicis nollent parere legibus, non tamen illos bello perſequendos, injuſtum enim & iniquum eſſe ſuos perdere, ut alios faciamus obnoxios, cum longe cariores eſſe debeant illi, qui ſponte ſua, quam qui inviti obſequium præſtant. Nihil ſua referre ſi qui ſuo malo ejuſdem ac ipſi participes fieri nolint felicitatis, ſatis enim late Sinarum patere imperium, ſuamque ſibi ſufficere felicitatem.

Hominum in hoc regno frequentiam, vel ex eo conficias, quod ante ultimum hoc cum Tartaris bellum, conſtet in eo numerata fuiſſe, ſedecim, aut ut alii produnt, ſeptendecim Myriadum millia, vel ut vulgo loquuntur centum & ſeptuaginta Milliones, cujus ſummæ vix ſextam partem in tota poſſis reperire Europa. Alendæ tantæ multitudini ſufficiunt agri, illi quidem etiam ſponte ſua fertiles, ſed accedente humana induſtria adeo ubique exculti, ut nulla

quantumvis exigua uſquam occurrat terræ portio, quæ negligatur, nec uſquam tam ſterile ſolum, cui excolendo Sinicum non ſufficiat ingenium. Alimentum quoque copioſum præſtant flumina affatim piſcoſa & tam vaſta, ut ad octo vel decem paſſ. millia pateant, allicubi etiam ripas habeant utrinque inconſpicuas navigantibus. Tantus vero in illis navium numerus, quantum ne in toto quidem reliquo reperias terrarum orbe. Ad urbem Hancheu conſtat numerata fuiſſe aliquando ſupra triginta onerariarum millia. Ab eadem urbe Nankinum ſolvens P. Semedus Luſitanus, ut aliqua ratione multitudinem navigiorum ſubduceret, affirmat ſe ſpacio unius horæ numeraſſe naves trecentas ab una tantum fluminis parte ſibi occurrentes, omnes tectas & picturatas pulcherrimeque inſtructas, adeo ut non onerandis mercibus, ſed voluptariis uſibus & celebrandis ſolemnibus feſtis fabricatæ viderentur.

Incredibilia hæc poſſint videri, ſed iis qui neſciunt apud Sinas Platonicam ſemper viguiſſe rempublicam, & jam à tot annorum millibus ſolos fere ibi regnaſſe Philoſophos aut Philoſophiæ amantes. Illi fuere Regum aſſeſſores & conſiliarii, illi ſatellites. Nulla ibi hæreditaria nobilitas, ſoli apud Sinas literati ſunt nobiles, quorum poſteri ſi indocti & ignavi fuerint, ad priſtinam denuo relabuntur conditionem, & plebeis aecenſentur. Artes politicæ, quas Plato, non virtutes, ſed virtutum umbras eſſe affirmat; non laudantur ab iis, niſi cum juſtitia & æquitate fuerint conjunctæ. Legibus licet ex æquo omnes ſint obnoxii, eas tamen qui violant, non æqualiter puniuntur: quanto enim quiſque major eſt qui peccat, tanto majori afficitur pœna, nec in ullos ſeverius, quam in ipſos Philoſophos, id eſt principes & magiſtratus populi, animadvertitur, gnari omnia ſe bene habere, ſi illi, qui juſtitia & bonis moribus cæteris exemplo eſſe debent, ab omni culpa & crimine immunes ſe præſtiterint. Quod ſi peccent Reges, tanta in admonendis illis Philoſophorum eſt libertas, quanta vix olim

Prophe-

prophetarum apud Iſraelitas. Eadem plebis in monendis philoſophis libertas, ſi & illi ſuo non bene fungantur officio. Ne vel ipſi quidem Confuſio, cum aliis philoſophis profugienti ab aula inſeſſa à malis principibus & inter ſe diſſidentibus, impune fuit ſtationem deſeruiſſe, nec defuere ex infima etiam plebe ipſis occurrentes, qui negarent illos eſſe vel philoſophos, vel viros bonos, utpote qui laboranti ſe ſubtraherent reipublicæ, & publicam tranquillitatem ignava proderent fuga, communique utilitati ſua præferrent commoda. Si enim ſoli inquiebant in regia remanſerint mali, actum eſt de omnibus bonis & univerſa republica. Licet vero infinita ſint exempla, unde felicitatem hujus populi colligere poſſimus, plura tamen memorare hoc loco non attinet. Interim hoc affirmare non dubitem, quamvis acum nauticam, typographiam & multa alia inventa Sinis debemus, longe tamen plura & meliora ſupereſſe, quæ à Sinenſibus diſcant Europæi.

Ut vero ad propoſitum redeamus, tantus in regno Sinarum magnarum urbium eſt numerus, quantum in toto reliquo terrarum vix reperias orbe. Antequam à Tartaris vaſtaretur Nanquinenſis civitas, antiquam æquabat Babylonem. Siquidem quadrata, ut pleræque fere Sinenſium urbes propter ſymmetriam, ſexaginta paſſuum millia in ambitu obtinebat. Hoc tempore vix quartam ſervat magnitudinis partem, quæ tamen facile ſexies Pariſiorum comprehendat civitatem. Longum fuerit reliquas hujus regni memorare urbes, ſplendore, magnitudine & incolarum numero longe ſuperantes quaſcunque Europæ urbes, unam tamen addere libet, quæ jam à quatuor ſeculis, ab eo nempe tempore quo Marcus Paulus Venetus aliique ad ſuos reverſi, nominis ſui fama totum implevit terrarum orbem. Vulgo illa Quinzai dicitur errore librariorum, qui M. Pauli Veneti deſcripſerunt exemplaria, cum verum nomen ſit Hancheu. Innotuiſſe quoque eam Græcis poſterioribus colligo ex Chryſococæ canonio ὀπισήμων πόλεων, cui appellatur

Χάνταξυ, ponitque eam in longitudine graduum 162—30, latitudine vero 33—8. Cum omnium quotquot unquam fuere urbium longe hæc videatur fuiſſe maxima, operæ pretium fuerit antequam finiamus de hac quoque nonnulla attexere. Primus Chriſtianorum qui eam luſtravit fuit Marcus Paulus Venetus, qui ante quadringentos & aliquanto plures annos inter Sinas verſabatur. Siquidem orientis terras adiit anno MCCL, unde reverſus ad ſuos, & captus in eo, quod cum Genuenſibus Veneti geſſere bello, ſuum de mirabilibus à ſe viſis in lucem dedit commentarium anno MCCXCVIII. Prodiit ille Latine & Italice ſæpius, ſed tanta eſt exemplarium diſcrepantia, ut ſi Latina cum Latinis & Italica cum Italicis committas, vix iidem libri & ab eodem ſcripti videantur auctore. Poſtremæ editiones Italicæ quæ prodierunt Venetiis anno 1626 & iterum anno 1640, promittunt quidem verum Paulum Venetum,& videntur ad ſincerum expreſſæ exemplar, attamen non niſi compendium exhibent, cum ea quam Baptiſta Ramuſius exhibuit editionem triplo minimum ſit auctior. Sed & non niſi epitomen continent, quæ Latine prodierunt exemplaria, non mutila tantum, ſed & multis inquinata nævis, utpote tranſlata ab homine inepto & qui mentem ſcriptoris non ſit aſſecutus. Cæterum in multis bibliothecis extat alia verſio eaque optima & integerrima & niſi fallor ab ipſo Marco Veneto concinnata,digna omnino quæ aliquando lucem adſpiciat. Habuimus & nos tale exemplar,quod neſcio quo caſu amiſimus. Omnia porro exemplaria in menſura & magnitudine urbis hujus conveniunt, ambitum quippe tribuunt centum millium paſſuum. Habitantium multitudinem ex focorum numero hac ratione colligit Marcus Paulus. Dicit in ea fuiſſe centum & ſexaginta thuman ſocorum. Unum quodque vero Thuman comprehendit decem millia focorum. Quod ſi ſingulis familiis ſingulas domos attribuas, habebis numerum domorum ſeu familiarum, 16ooooo. Sed vero Odoricus monachus, qui paulo poſt

poſt iſtum Venetum ſcripſit, incenſa aut diruta à Tartaris urbis hujus parte, numerat novem tantum & octoginta Thuman. Idem tamen quod domus illo tempore eſſent prælatæ & multas ſæpe continerent familias, multo majorem facit incolarum numerum. Verba ejus ad fidem libri mei & alterius quem accepi ab honoratiſſimo viro D. J. Cottono non pigebit adſcribere. *Hinc recedens veni ad unam civitatem nomine Chanſave, quod idem eſt quod civitas cœli. Hæc civitas major quam aliqua alia quæ hodie ſit in mundo, circuit enim centum milliaria. In ipſa autem non eſt terra quæ non bene habitetur, imo multoties unica domus quæ decem vel duodecim ſupellectiles in ſe habebit. Hæc enim civitas habet burga magna valde, habentia majorem gentem quam civitas. Habet hæc duodecim portas principales, & propè quamlibet harum portarum forte ad octo milliaria ſunt civitates majores, quam eſſet civitas Venetiarum & Padua, unde itur bene per ſex vel ſeptem dietas per unum illorum burgorum & tamen videbitur modicum permeaſſe. Hæc civitas poſita eſt in aquis lacunarum quoniam & ſtat ſicut civitas Venetiarum. Ipſa autem habet pluſquam* XII *millia pontium, in quolibet quorum manent cuſtodiæ cuſtodientes hanc civitatem pro magno Cane. A latere hujus civitatis labitur quidam fluvius juxta quem ſita eſt hæc civitas, ſicut Ferraria juxta Padum. De ipſa autem diligenter quæſivi à Chriſtianis, Saracenis & ĩdololatris, qui omnes uno ore loquuntur, dicentes quod bene centum milliaria circuit. Unum mandatum dicunt gentes illius civitatis à domino ſe recepiſſe, nam quilibet ignis ſolvit unum bali & quatuor cartas, quod unum cum dimidio valet florenum. Hunc habent modum, nam decem vel duodecim ſupellectiles faciunt unum ignem, & ſic ſolum pro uno igne ſolvunt. Hi autem ignes ſunt* LXXXV *Thuman, cum aliis quatuor Saracenorum, qui conſtituunt* LXXXIX. *Unum autem Thuman decem millia facit ignium. Reliquorum vero aliqui ſunt Chriſtiani, aliqui Mercatores, alii tranſeuntes per contractam, unde multum fui miratus quomodo tot corpora humana poterant*

habitare

habitare ſimul. Verba hæc licet ſatis barbara, ſenſum tamen ſcriptoris ſatis declarant, facileque ex his conficies, parce & ſobrie ſatis locutum eſſe Marcum Paulum, cum pro numero domorum ſedecies centena familiarum millia ea in urbe numerat. Attamen cum alter iſte tam altas fuiſſe affirmet domos & à tot ſæpe familiis habitatas, non multum aberrabis, ut opinor, ſi quemadmodum Lutetiæ & in aliis frequenter habitatis urbibus duodecim minimum homines pro ſingulis numeres domibus. Id ſi fiat, habebis incolarum numerum 19200000, plures nempe quam novemdecim milliones, ut vulgo loquuntur. Quod ſi etiam ſuburbia addideris, & ſeorſim numeranda exiſtimes, oportet ut in hac civitate plures fuerint habitatores, quam tota contineat Europa.

Duodecim pontium lapideorum millia ea in civitate fuiſſe affirmat Marcus Paulus. Idem multa quidem alia, ſed præcipua decem rerum venalium memorat fora, omnia quadrata & duo paſſuum millia in ambitu habentia. Palatium præterea deſcribit regis Fanfuris decem millium paſſuum ambitu, & foſſam ab altero latere urbem cingentem, porrectam ad quadraginta paſſ. millia. Quæ ſingula ſiquis perpendat, facile intelliget, nullam unquam tantam exſtitiſſe urbem.

In numeris autem à Marco Paulo ſubductis, ut nullum ſubeſſe credamus errorem facit Sinarum omnibus ſeculis uſitatus mos, quo ſinguli tenentur ædibus ſuis columellam apponere lapideam, cui inſcribuntur tituli & nomina eorum, qui in ſingulis vivunt aut hoſpitantur domibus. Si qui naſcuntur aut moriuntur, horum aut ſignantur aut delentur nomina, & ne hoſpitem quidem niſi hac lege admittere audent, omnium aut portis, aut quibus diximus columellis inſcribuntur nomina, quæ mox ad vicorum magiſtros & demum ad urbium præfectos ſcripto conſignata deferuntur. Toto itaque hoc regno, & in agris, & in urbibus hominum numerus conſtat non magiſtratui tantum, ſed & populo, qui

qui exinde de ſua judicant republica, ſiquidem præcipuum boni regiminis indicium eſſe exiſtimant hominum abundantiam.

Marci vero Pauli fides minime ſuſpecta eſſe debet, cum hodierna experientia, etiam illa, quæ maxime fabuloſa in hoc ſcriptore eſſe videbantur, veriſſima eſſe docuerit. Nec quidquam obeſt, quod urbs hæc etiam hoc tempore nomen Hancheu ſervans, vix viceſima magnitudinis parte conſpiciendam ſe exhibeat, cum conſtet eam à Tartaris jam olim everſam, & deinceps exhauſtam à Nanchino, quo tranſlata fuit regia Sinarum ſedes, & ipſa nunc longe maxima ſui parte ab iiſdem deſolata barbaris.

Si cui ergo credendum, utique credendum M. Paulo Veneto, oculato teſti, cujus fidem apud imperitos & rerum ignaros male ambulantem, ipſa abſolvit veritas. Quod ſi nulli credendum, utique nec illis qui negant quidquid ipſi non viderunt. Scio quidem credulitatem obnoxiam errori; ſed & hoc quoque ſcio, longe ſæpius illos falli, qui alienis diffidentes, omnia ſuis metiuntur oculis, & quicquid illis non occurrit, id vel alibi exſtare, vel unquam extitiſſe negant. Quid demum de ſcientiis ſupererit, ſi illas ſenſibus & oculis noſtris includamus, & ubi illi deficiunt, illic omnia terminari exiſtimemus?

Porro ex iis quæ diximus ſatis liquet Sinicam hanc urbem etiam abſque ſuburbiis altera minimum parte majorem fuiſſe Babylone, majorem etiam Roma cum omnibus ſuis ſuburbiis, majorem denique aut minimum parem antiquæ Nino. Et tamen non ſola hæc, ſed & complures aliæ apud Sinas prodigioſæ magnitudinis fuere urbes, ut vel hinc ſatis aliquis cognoſcat, quantum perpetua pene pax, & nunquam intermiſſa agricultura & denique boni regiminis cura, ad propagandos valeant mortales. Nec dubitandum quin eadem ſtudia effecerint, ut initio rerum longe majores & habitatæ magis reperirentur civitates, ac noſtro hoc uſquam compareant ſeculo. Antiqui nempe reges erant boni

patres-

patres familias nec ullo æque ac boni paſtoris gaudebant titulo. Diu etiam apud vetuſtos Græcos permanſit mos iſte, non alio fere quam paſtorum nomine cenſentur apud Homerum principes Græciæ & ipſe rex regum Agamemnon. Nullos iſti alebant ſervos ne coquos quidem, obſervatuque dignum, omnes iſtos heroes Homericos eſſe αὐτοδιακτους & ſibiipſis cibum parare, ſibiipſis ſufficere in omnibus. Quam illi populares fuerint ex Euripide & antiquis diſcas tragicis, cum producunt illos ſolos per urbem ambulantes & pulſantes & aperientes oſtium. Noſtri ſeculi principes rident iſtiuſmodi reges, nec deſunt qui exclament, ô miſeros homines, quomodo illi regnare poterant, qui ne vivere quidem ſcirent? Sed norant illi paſcere & multiplicare oves ſuas; norant felices & beatas condere reſpublicas, quarum cives ne cum ipſis quidem Perſarum regibus conditionem ſuam permutatam voluiſſent. Illi fuere qui excitando ſublimia ingenia & ſibi & ſuis perennem perpererunt famam. Illi denique ſunt qui & nos quoque fecere felices. Barbari enim ſimus niſi illorum ſupereſſent monumenta, quibus & humanior vita & pleræque artes & diſciplinæ continentur, eo culminis ab ipſis provectæ, ut vix quicquam addi poſſit, aut ſi quæ accedant, omnia eo quod ipſi ſtruxere nitantur fundamento, ſintque velut ejuſdem radicis propagines & appendices

Sola olim Roma ante Syllæ tyrannidem tantam incolarum continebat multitudinem, quantam vix in dimidia hoc tempore invenias Europa. Nam quod nonnulli putant reperiri in ea centum plus minus hominum ut loquuntur milliones, id tantum abeſt ut verum ſit, ut audeam affirmare, ne tertiam quidem hujus numeri partem omnes conficere Europæos. Vix alibi magis erratur, quam in ſubducendo incolarum in quibuſvis urbibus & regionibus numero, quiuſv is gentibus res ſuas in majus extollentibus. Nulla terræ portio in tota Europa æque habitata eſt ac Hollandia. Vulgo exiſtimant reperiri in ea vicies centena hominum millia.

millia. Verum ſi quis recte calculum ponat, ne quidem ſexcenta millia invenientur. Qui in urbibus & oppidis vivunt, ſimul juncti non conficiunt quater centena & quinquaginta millia. Qui in pagis & agris habitant, non ſuperant centum millia. Eadem ratio eſt aliarum terrarum, in quibus ter vel quater, imo à rerum imperitis etiam decies major hominum eſſe fingitur numerus, quam ratio aut veritas exigant aut experimenta oſtendant.

Quamvis exactus vix poſſit inſtitui calculus incolarum in ſingulis regionibus, ut tamen ille aliquo modo ſit rationalis, tutiſſimum ſi domorum in ſingulis urbibus ineas numerum, & prout illæ vel bene vel male habitentur, & vel altæ vel depreſſæ ſint; ita quoque calculum ponas, unde demum certius aliquid quam ex vulgi rumoribus poſſis conficere. Si quis itaque ſcire velit, num verum ſit, quod nonnulli affirmant, Pariſiorum urbem à ducentis habitari hominum Myriadibus; facile cognoſcet id fieri non poſſe, ſi quis domorum colligat ſummam, quæ non excedunt viginti quinque millium numerum. Hac enim ratione ſingulis domibus octoginta adſcribendi ſint homines. Rectius vero facies nec multum aberrabis ſi ſingulis habitationibus duodecim tribuas homines. Id ſi fiat, habebis in hac urbe trecenta hominum millia.

Multitudine domorum Londinum hoc tempore excedit Pariſiorum urbem: ſi quidem in hac civitate numerantur ad quinquaginta fere domorum millia. Ut plurimum tamen depreſſiores ſunt & aliquanto minus habitatæ quam Lutetiæ. Compenſemus itaque ſingulas habitationes vel ſolis ſex hominibus. Hac ratione habebimus Londini etiam trecenta plus minus hominum millia. Sed ſub optimo & feliciſſimo monarcha noſtro tanta indies urbi huic accedunt incrementa, ut brevi tempore longe poſt ſe relictura ſit omnes orbis Chriſtiani civitates, quas jam domorum multitudine, copia & affluentia rerum & civium felicitate longe ſuperat.

Mira ſunt quæ de frequentia incolarum urbis Neapolitanæ referuntur. Vidimus & nos pulcherrimam iſtam civitatem, nec tam magnam comperimus, quam vulgo jactatur, utpote quæ ſpatio ſeſquihoræ commode circuiri poſſit. Domos quidem habet prælatas & plurium contignationum, ſi quis tamen earum ineat numerum, etiamſi ſingulis domibus duodecim aut plures etiam tribuat homines, nunquam tamen ducenta hominum efficiet millia.

In urbibus minus habitatis ſex vel etiam quinque homines ſingulis ſufficit adſignare domibus. Nec quemquam urbium fallere debet numerus. In centum aliquando urbibus, ne quinquaginta quidem hominum reperiuntur millia, idque non in ſeptentrionalibus tantum, ſed & cultioribus terris, quod ſæpe non ſine admiratione obſervavi. Qui vero in agris habitant, eorum non magnus eſt numerus, ſi cum urbium conferantur incolis. In terris tamen borealibus aliter id ſe habet, longe quippe in illis major agreſtium quam urbanorum numerus. In ſuedia & Finlandia centum fere ruſticarum domorum occurrunt millia, cum in centum & quadraginta oppidis, ne quidem ſeptuaginta hominum inveniantur millia. Non itaque probo immenſam illam multitudinem quam nonnulli Europæ attribuunt. Quamvis ut dixi certus iniri numerus non poſſit, minus tamen à veritate nos abfuturos exiſtimo, ſi ita componamus calculos.

In Hiſpania duo hominum milliones.
In Gallia milliones quinque.
In Italia, Sicilia, Corſica Sardinia milliones tres.
In Anglia, Scotia & Hibernia milliones duo.
In Belgio milliones duo.
In Germania, Bohemia Hungariaque milliones quinque.
In Dania, Holſatia totoque Cimbrica Cherſoneſo quadringenta millia.
In Suedia, Finlandia, Norwagia Lapponiaque ſexcenta millia.

In

In Polonia, Livonia Lithuaniaque unum millionem cum dimidio.

In omnibus vero terris ab Hungaria ad Pontum Euxinum excurrentibus addita etiam Thracia, milliones duo cum dimidio.

In Dalmatia & Illyrico, Macedonia totaque Græcia, Creta aliisque Græciæ insulis, milliones tres.

Habes hic viginti septem milliones, omnium nempe qui in Europa degunt hominum numerum. Quod si etiam vastas Moscorum terras Europæ adscripseris, quamvis earum longe maxima pars ad Asiam pertinet, addas per me licet tres milliones. Ridiculum vero fuerit de Islandia loqui, maxima quidem insularum Europæ post Britanniam, sed in qua ne quatuor quidem hominum reperiuntur millia ipsis fatentibus Islandis. Si itaque Europam quam latissime extendas, habebis in universum triginta hominum milliones. Ut tamen ne tantum quidem Europæorum esse existimem numerum, facit terrarum hoc tempore vastitas. Quis non miretur in sola olim Sicilia plures fuisse incolas, quam nunc in tota Italia Siciliaque simul, & solas Athenias à pluribus olim habitatas fuisse, quam nunc tota Græcia junctaque simul habitetur Peloponnesus?

Tantum itaque abest ut centum hominum milliones sola possit conferre Europa, ut ne quidem si totam Africam & universam adjeceris Americam, istam habiturus sis summam.

Asiæ longe dispar est ratio, utpote in qua additis insulis triplo minimum plures habitent homines, quam in toto reliquo terrarum orbe. Et tamen bello Tartarico centum hominum millionibus diminutum est Sinarum imperium. Nihilominus, quæ in Asia supereſt hominum turba, excedit trecentos milliones. Extrema Asiæ pars longe maximam hujus summæ præstabit partem, velut Sinarum ditio, varia Indorum regna, Japonica & complures bene habitatæ insulæ. Nam quod Persarum terras & Turcarum

in Aſia attinet ditiones, minimam illæ ſummæ hujus conſtituunt partem, utpote, propter aquarum pluribus in locis inopiam, malignius excultæ, & magnarum urbium copia deſtitutæ, è quibus tamen præcipue æſtimanda eſt hominum frequentia. Vaſtæ iſtæ terræ, quæ Javæ & inſulis Moluccis ad auſtrum objacent, bis & forſan ter Europa majores, quos & quantos contineat populos, etiamnum incompertum, Reliqua terra auſtralis, propter intenſum frigus, vix eſt habitabilis. Si itaque totius humani generis ſummam ad numerum revoces, non puto ille excedet quingentos milliones.

Quod ſi non numero, ſed ſpatio, ut olim Xerxes, illos metiri velis; vel una leuca Germanica, quicquid in terris eſt hominum abunde continebit. Cum enim homini ſtanti vel erecto promiſcue ſufficiat pes quadratus, leuca vero porrigatur ad pedes 24000, vel minimum 23640, habebis quadratum 576000000, vel ſaltem 558849600 pedum, qui numeri longe illam, quam diximus, excedunt ſummam. Hinc apparet non peccaſſe Lucanum cum de Roma ſic ſcribit;

——Urbem populis, victiſque frequentem
Gentibus, & generis, coeat ſi turba, capacem
Humani——

Urbis enim Romanæ area additis omnibus ſuburbiis, viginti minimum quadratas, ut oſtendimus, continebat leucas Germanicas. Plures itaque in plano quam viginti pedes quadrati unicuique relinquuntur homini, non etiam computatis ſuperioribus ſpatiis, quæ in ædibus ad multas contignationes ſurgentibus triplo vel quadruplo laxiorem potuiſſent præſtare habitationem.

CAP.

CAP. XIV.

De artibus & ſcientiis Sinarum.

SI quis omnium, quæ vel ſunt, vel olim fuere, gentium præclara ſimul conferat inventa, quantumvis ea multa & memoratu digna cenſeantur, tanta tamen & talia non erunt, quin longe inveniantur plura & meliora, quæ à ſolis reperta fuere Seribus, quos Luſitani perperam Sinas appellarunt. Ut nempe artes & ſcientiæ ad culmen provehantur, longa experientia & plurium ſeculorum opus eſt literatura. Illa vero conſtare non poteſt, ſi lingua non ſit perennis, cum videamus nullam gentem vel ſuarum rerum habere peritiam, & neſcire etiam ea quæ ante duo vel tria geſta fuere ſecula, aut ſi ſciant, non vernaculæ, quam non intelligunt, ſed Latinæ ſciunt linguæ beneficio. Si hanc ſuſtuleris, mera erit barbaries, cum quidquid ſcimus, totum id vel Græcæ vel Latinæ debeatur linguæ, ſine quibus nec Hebreæ nec aliarum ſi quæ ſuperſunt, linguarum quiſquam intelligat reliquias.

Neque vero Europæarum tantum hæc eſt conditio gentium; ſiquis enim Aſiaticos & omnium terrarum adeat populos, idem omnino obſervare licebit. Non Perſæ, non Indi, non denique Arabes antiqua ſua monumenta legere nedum intelligere poſſunt; & licet hi poſteriores, quod ab aliarum gentium mixtura immunes ſemper extiterint, & quod perpetua Alcorani lectione linguam ſuam diutius quam aliæ gentes conſervarint; nihil tamen eorum quæ ante Mohametem facta fuere cognoſcunt, & ſi quæ ſciant, ea omnia è Græcorum hauſere ſcriptoribus. Soli in hoc noſtro mundo ſunt Seres, qui jam à quinque fere annorum millibus,

millibus perennem & nunquam interruptam conſervavere literaturam, illam quidem operoſam, ſed cujus fructus tanto reſpondeat labori, cum ſi quis vel ſolos ipſorum perdidicerit characteres, plus poſſit videri profeciſſe, quam ſi quis omnium quot ſunt quoſve fuere linguarum aſſecutus fuerit peritiam.

Sola hæc ſuffecit ratio, ut quæcunque artes & ſcientiæ ad longe altius apud illos quàm ullas alias gentes provectæ fuerint faſtigium. Quod ſi quis dubitet, illum vel mille teſtium ex illis oris redeuntium & ipſa quæ ad nos deferuntur opera ab omni poſſint hæſitatione liberare.

In Medicina quidem quantum ſuperent Chriſtianos, vel ſola pulſuum poſſit indicare doctrina. A temporibus Galeni nihil omnino huic ſcientiæ acceſſit, quin potius ſi verum liceat fateri, adeo diminuta eſt, ut vix aliquem hoc ſeculo invenias Medicum qui obſervata Galeni vel intelligat vel curet. Operoſa & intricata eſſe exiſtimant ea quæ in ſedecim de pulſuum natura ſcripſit Galenus libris. Verum ut ut hoc admittamus, ille tamen viam ſtravit ad cognoſcenda in ſingulis morbis pulſuum genera. Idem poſtea omnium ſuorum de pulſibus librorum addidit Synopſin, qua diſtinctius & brevius ſenſus ſuos conatus eſt declarare. Ut vero artes & experientiæ non totæ ſimul panduntur, ſucceſſit poſtmodum Theophilus, qui pulſuum formas & figuras per ſingulos morbos conatus eſt deſcribere. Ulterius apud Græcos non proceſſit pulſuum doctrina, niſi quod ante quatuor aut circiter ſecula ad manus ipſorum pervenit ſcriptum quoddam Abentſinæ, quam vulgo Avicennam vocant, qui edoctus ab iſtis Serum colonis qui in Cathaya Nigra habitant, exactiorem pulſuum ſingulorum in ſingulis morbis rationem & methodum tradidit. Magno à Græcis applauſu exceptum fuit hoc ſcriptum, propter difficultatem tamen ſperatus defuit ſucceſſus, cum rari admodum reperirentur, qui tam exercitatos haberent digitos, ut tot pulſuum diſcrimina & formas diſcernere & explicare valerent.

valerent: Apud Latinos quidem & cæteros Europæ populos, ludibrio excepta fuit hæc doctrina, ut ſolent pleraque ea quæ aut non intelliguntur, aut quæ quis aſſequi ſe poſſe deſperat. Apud Seras vero ne pro idoneo quidem habetur Medico, qui tacto & palpato pluribus in locis brachio, ſilentibus etiam ægris, non indicet qua parte corporis dolor proveniat, quove laborent morbo. A Seribus tranſiit hæc ſcientia ad eorum vicinos Tunchinenſes, qui & ipſi artem hanc callent, & feliciſſime ſtupentibus etiam Chriſtianis exercent.

Periodum quoque ſanguinis, quam vulgo circulationem vocant, jam à quater mille & pluribus annis Seribus notam fuiſſe teſtantur illorum libri. Cum ſcriptum de pulſibus & ſanguinis in humanis corporibus circuitu ex Sinico ſermone tranſlatum in lucem prodierit, non eſt ut de eo amplius dubitemus. A mercatoribus Venetis Sinas terreſtri itinere petentibus, & poſtea à patribus ſocietatis Jeſu, ſuperiore etiam ſeculo ſparſi fuere rumores de peritia hujus gentis in tractandis pulſibus & periodica ſanguinis revolutione. Qui primus circulationis ſanguinis in ſcriptis meminerit, niſi fallor eſt Andreas Cæſalpinus. Paulo Sarpio Veneto imprimis hæc ſententia placuit, à quo perſuaſus Anglus quidam librum de circulatione ſanguinis conſcripſit, qui tamen, quod nullum approbatorem inveniret, ab ipſo fuit ſuppreſſus auctore. Multis poſtea annis idem argumentum ſuſcepit clariſſimus Harveus, & quidem feliciori ſucceſſu. Adeo tamen pauca ſunt quæ Chriſtianis hactenus innotuere, ut ſi cum Sinarum comparentur obſervationibus, non magni eſſe videantur momenti. Norunt illi jam à tot annorum millibus quid moveat ſanguinem, qua deinceps via, quibus menſuris, quantis intervallis, quantoque temporis ſpatio ſingulæ periodi & revolutiones procedant & perficiantur. Certiſſimis indiciis & ipſo quoque atteſtante tactu deprehenderunt, in corporibus juſtæ ſtaturæ & bonæ valetudinis, ſanguinis curſum viginti quatuor horis ſeu ſpatio

diei

diei & noctis, quinquagies orbem ſuum revolvere, Quod ſi plures paucioreſve iſtoc temporis ſpatio fiant revolutiones, non recte ſe habere corpus affirmant. Revolutiones vero ſingulas metiuntur ducentis & ſeptuaginta reſpirationibus. Toties enim reciprocatur ſpiritus, antequam orbem ſeu circulum ſuum abſolvat ſanguinis motus. Ad ſingulas vero reſpirationes ſanguis promovetur ad ſex uncias Sinicas, quæ parum quid excedunt ſeptem uncias pedis Romani, ita ut ſpatio diei & noctis ſanguis iter faciat mille quingentorum & ſeptuaginta quinque paſſuum. In ſingulis vero revolutionibus ſanguis viam conficit centum quinquaginta ſeptem pedum & ſemis. Cum vero ad ſingulas reſpirationes quinque vel ut minimum quatuor fiant pulſuum ictus, manifeſtum eſt ad unumquemque pulſus ictum, ſanguinem promoveri ad ſpacium pluſquam ſeſquiunciæ.

Talis quidem eſt ſanguinis periodus in juſtæ ſtaturæ & perfectæ ſanitatis viris, ad quorum normam Sinarum medici omnia referenda eſſe cenſent. Nam ſi qui procerioris aut brevioris fuerint ſtaturæ, jam pro menſura & habitu corporis, variat quoque pulſuum & reſpirationum ratio, cum perpetua & conſtans naturæ lex doceat in minutis animalibus omnia citius peragi, quam in magnis, & puerorum duplo celerior ſit pulſus quam virorum, & dum elephas ſemel, homines quater ſpiritum reciprocent.

Licet vero interpres fateatur multa ſe omiſiſſe, & non ubique ſenſum & loquendi genus Sinicum aſſequi ſe potuiſſe, illa ipſa tamen ſufficiunt unde cognoſcamus, quantum in re medica omnibus aliis præſtantiores ſint gentibus, adeoque quidem, ut ſi artem ſuam feliciter exercere velint Æſculapii noſtri, neceſſe ſit ut Mediocrum Sinenſium fiant diſcipuli, aut, ut mollius loquar, illorum in palpandis ſaltem pulſibus artem adoptando in ſuam transferant familiam. Cum nullus morbus, nulla intemperies, nullæ denique mutationes humanis accidant corporibus, quæ non peculiares inducant pulſuum formas: vix tamen unum inter omnes

Chriſti-

Chriſtianos invenias medicum, qui vel alicujus ægritudinis pulſum qualis ſit exacte poſſit explicare, cum illi qui apud Seras artem medendi profitentur, non facile admittantur, niſi omnium pulſuum formas & figuras exploratas habuerint. Norunt illi in pueris, in adultis, in decrepitis, quales in ſingulis anni ſtationibus pulſus eſſe debeant, & quot ictus in bene conſtitutis corporibus ad ſingulas fiant reſpirationes. Si ad ſingulas reſpirationes quatuor aut quinque, vel ut plurimum in novem reſpirationibus quadraginta novem vel quinquaginta numerentur pulſuum ictus, bene ſe habere corpus affirmant. Quod ſi plures ad ſingulas reſpirationes fuerint ictus, ſex puta vel ſeptem, exceſſum caloris ſignificant. Si novem tempore unius reſpirationis fiant pulſus, ſignum eſt morituri: ſi decem, morientis. Undecim vel duodecim demum eduntur ictus cum anima exhalatur. Ut vero pulſus frequentes caloris & fervoris ſunt indicium, ita tardi frigoris & nimii humoris. Si itaque tres fiant pulſuum ictus, tempore unius reſpirationis, nimium illi ſunt tardi. Unicus aut etiam duo pulſus ad ſingulas reſpirationes deſtructionem ſignificant. Quod ſi ſpatio duarum reſpirationum, unus tantum fiat ictus, certiſſimum id morientis eſt indicium. Ut autem quænam pars corporis male affecta ſit, & unde morbus proveniat cognoſcant, tribus in dextra, totidemque in ſiniſtra locis pulſus explorant. In manus ſiniſtræ tribus locis notantur ab illis pulſus cordis & minorum inteſtinorum, & inſuper hepatis & fellis. In tribus dextræ manus locis, continentur pulmonum & magnorum inteſtinorum pulſus, ſtomachi præterea & ventris, portæ viræ, & tertiæ partis corporis. Primis ſex tactibus cutem leviter ſtringunt, ut ſciant an ab externa cauſa cutis aut carnes male ſe habeant. In ſecundis ſex tactibus fortius aliquanto digitis inſtant, ut cognoſcant num in nervis & ſanguine ſit vitium. Plus etiamnum premunt, cum radicem pulſus ad ipſa ſcrutantur oſſa, ut explorent quid in profundo rerum geratur. Si enim nullus

ibi fiat motus & pulſus radice careat, actum eſt de vita. In ſex itaque diſcrepantibus locis, & octodecim tactibus obſervato pulſu, ſi ictus omnes conveniant & debitis recurrant temporibus, bene ſe habet valetudo. Quod ſi ictus non conveniant, à palpando tamen non ceſſant, donec irreptitium iſtum & ab aliis diſſentientem pulſum deprehendant, quo cognito, jam quoque ſciunt à quo membro, quove inteſtino, morbus proveniat. Cum nulla ſit pars corporis humani, quæ ſtatus & conditionis ſuæ characterem in pulſibus non oſtendat, omneſque eas formas & figuras diligenter ediſcant Sinarum medici, ſine errore pronuntiant, num in cute, nervis, carne, ſanguine vel oſſibus: an vero in pulmonibus, corde, hepate aliiſve viſceribus vel inteſtinis cauſa mali lateat.

Quin & perenni pulſuum doctrina & obſervatione id jam olim aſſecuti ſunt, ut non tantum quoto die, ſed & quoto anno aliquis ſit moriturus certo affirmare audeant. Si pulſus poſt quinquageſimum primum ſubſiſtat ictum, ipſo atteſtante pulſu aſſerunt ſpiritus moventes ſanguinem deficere in partibus inferioribus, & niſi malo huic occurratur pulſuſque ad æqualitatem reducatur, quinque tantum annis ſupervicturum hominem. Nam ſi malum hoc non curetur, ſequenti anno idem incommodum tranſit ad renes, & tum poſt quadrageſimum primum ictum ſemel ſubſiſtet pulſus, unde colligunt poſt quartum annum moriturum hominem. Cum deinceps iidem ſpiritus promoventes ſanguinem deficiunt quoque in hepate, & poſt trigeſimum primum ictum ſubſiſtit pulſus; non niſi triennii vita ſupereſt. Quibus poſt viceſimum primum ictum pulſit ſubſiſtit, inter biennium moriuntur. Quibus poſt decimum quintum ictum pulſus interruptus eſt, poſt annum moriuntur. poſt decimum ictum claudicante pulſu & impedito vitali ſpiritu etiam in corde & pulmonibus, paucis menſibus extinguuntur. At vero quibus ad ſingulos ictus hæret pulſus, altero die moriuntur. Poſt ſecundum ictum deficiente

pulſu,

pulſu, tertio die moriuntur, & ſic in cæteris, in quibus nihilominus aliqua diſcrepantia eſt inter antiquiſſimos ſcriptores, qui ſub primis regibus ſexcentis vel ſeptingentis poſt deluvium floruere annis, & poſteriores Sinas. Utrum id propter longiorem factum ſit vitam, ſiquidem tum hominum vita tribus conſtabat ſeculis, ut ex literis ſacris & Sinenſium patet annalibus, an vero aliam ob cauſam, ipſi id optime expedient Sinæ.

Pauca hæc de gentis hujus in explorandis pulſibus doctrina & ſcientia dicta ſufficiant; plura qui velit, adeat excerpta ex ipſis depromta Sinarum libris, quæ licet multis in locis Sinenſi egeant interprete, iſtiuſmodi tamen ſunt, ut ſcientiæ cupidis deſiderium, pluribus invidiam, omnibus admirationem facere & injicere poſſint.

Non tamen Serum ſeu Sinarum hic ſubſiſtit ſollertia, cum & abſque pulſuum doctrina ex apparentibus in vultu & toto corpore indiciis quoſve morbos & ægritudines, ſolis etiam deprehendant oculis. Vel una ſufficit lingua, è cujus coloribus, lineamentis, maculis & aliis affectionibus, non complurium tantum morborum, ſed & omnium febrium, & præcipuæ malignarum conditiones & vires certiſſimis colligant argumentis.

Infinita quoque alia prognoſtica habent ſigna, quibus non corporis tantum conſtitutionem, ſed & affectus & morbos animi felicibus adeo adſequantur conjecturis, ut nunquam, vel certe quam rariſſime fallantur, & eventus plerunque eorum reſpondeat aſſertionibus. Morbos, quos inſanabiles vulgo credunt, hydropem videlicet, tabem, epilepſiam, elephantiaſin & complures alios, curant feliciſſime, Surdis quoque medentur & mutis. Facile hinc aliquis cognoſcat, quantum perennis & nunquam jam à tot annorum millibus interruptus literarum uſus ad propagandas valeat ſcientias. Haud parum tamen ipſa quoque hominum longævitas ad perficiendas profuit artes. Majorem ſiquidem & meliorem harum obſervationum partem

Hoangtio tertio Sinarum regi adſcribunt Sinæ, quando ad trecentos & plures annos hominum patebat vita. Iſtac jam tempeſtate, ut apud Chaldæos & Ægyptios, ad ſummum pene artes & ſcientiæ provectæ ſuere culmen. Noſtro tamen ſeculo non deſunt, qui humani generis infantiam ad iſtæc referunt tempora, & ſeneſcente mundo contendunt prodiiſſe demum viros, quibus ingenii conceſſa fuerit maturitas. Adſtruendæ huic ſententiæ eo fere utuntur argumento, quod uſum acus magneticæ, nitrati pulveris & tormentorum bellicorum, artem typographicam & complura alia, ultimis demum his ſeculis reperta eſſe affirment. Verum quo jure hæc dicantur, ex iis quæ poſtea referemus, palam fient. Nunc ad Sinarum revertamur ſcientias.

In cognitione herbarum & quas ſingulæ vires habeant & poteſtates, quantos fecerint progreſſus licet infiniti eorum teſtentur libri jam à multis ſeculis conſcripti & typis mandati, additis etiam figuris ad unguem expreſſis, multo tamen magis ipſa teſtatur praxis, cum nulli mortales earum beneficio felicius ſingulis occurrant morbis, & quidem breviori ſpatio quam apud nos fieri ſoleat, non diffitentibus id ipſum pleriſque iis, qui eorum perluſtrarunt terras.

Nec minus miranda eſt eorum Chirurgia quam longa ſeculorum aſſecuti ſint experientia, præſertim in perforandis omnibus & ipſo quoque cerebro, trajecto per totum caput acu metallica cubitali aut etiam longiori, quales ſæpe vidimus, vel mitigantes vel penitus hac ratione tollentes dolorem quo humana inquietantur corpora.

Quod autem dicunt Seras nulla omnino ex urinis ſumere prognoſtica, id licet verum eſſe admittamus, parum tamen refert, cum multo certiora ex pulſuum doctrina habeant prognoſtica.

Sed & hoc quoque objiciunt, quod in nullis quantumvis acutis & periculoſis morbis & doloribus utantur phlebotomia. Sed vero ſi ipſos audiamus Seras, illi negant prodeſſe ſectionem venæ, & compeſcendum eſſe potius refrigerantibus,

tibus remediis affirmant bullientem ſanguinem quàm detrahendum. Quamvis enim in corpore humano quotidiano ex alimento ſanguis ſuccedat ſanguini, poſteriorem tamen ſemper deteriorem eſſe priori, utpote qui magis ſit naturalis & ætate ipſa melior evadat ſi legitime conſervetur. Si olla nimium ferveat, non effundendum eſſe juſculum, ſed auferendum ignem. Si denique in vaſis vino plenis, detracto veteri novum ſemper ſuperinfundatur vinum, fieri deterius vinum. His quidem & pluribus aliis perſuaſi rationibus negant Seres minuendum eſſe nativum ſanguinem, cujus redundantiam refrigerantibus cibis & potionibus & ſubtractione alimenti curandam eſſe exiſtimant.

Chemiam jam à bis mille annis apud Seras in uſu fuiſſe conſtat. Quod ſi ipſos audiamus Chemicos, illi jam à ſexcentis ſupra quater mille annis ejus arceſſunt antiquitatem; nec aliunde primorum hominum longævitatem quam hujus ſcientiæ beneficio proveniſſe affirmant. Doctiores tamen Medici id genus hominum cum omnibus ſuis figmentis arcanis, in apertam non audentibus prodire lucem, ſtrenue contemnunt. Nuſquam plures invenias Chemicos quam apud Seras, non divitias tantum, ſed & immortalitatem quoque promittentes, eaque aliis liberaliter ſpondentes, quæ ſibi ipſis præſtare nequeunt.

Quod ſi cæteras excutere velimus artes & ſcientias, veluti mechanicam, architecturam, muſicam, opificia manuum & artes populares, cæteraque vel communi vitæ vel voluptati inſervientia opera; utique etiam in his tanto cæteris mortalibus feliciores inveniemus Seras, quanto illi diuturna & perenni literarum conſervatione cæteris præſtant gentibus.

Infiniti fuerit laboris ea percurrere quæ ab iis mechanicæ ſcientia perficiuntur artificia. Nulla eſt machina attollendis & promovendis quibuſvis magnis apta oneribus, quæ Chriſtianis nota ſit, quæ non à bis aut ter mille annis ipſis non ſit notiſſima. Ne quidem trochlea aut Archimediæ helices

helice ad ſublevandas carent aquas. Iidem vero plurimas alias habent potentias mechanicas, quarum rationes prorſus Chriſtianis ſunt ignotæ; ut cum magna quævis onera abſque vectibus & trochleis ſola funium adminiſtratione in ſublime tollunt; cum magna navigia abſque remis aut velis, ſolo paxilli beneficio carinæ affixi celerrime promovent; cum ſola bacillorum veſtibus appoſitorum ope vicem trochlearum ſupplent. Verum cum de his & aliis ſeorſim agamus, plura non addemus.

De Architectonica opus non eſt ut quidquam dicamus, cum ipſa ſatis loquantur opera. Si Babylonis mœnia, Ægyptias Pyramides & Amphitheatrum Romanum conferamus cum muro jam à mille nongentis annis exſtructo & ad mille minimum Paſſ. M. porrecto, meras agemus nugas. Taceo jam turres ex murra ſeu porcellana fabricatas ad mille & plurium pedum altitudinem, & pontem ex ſolidiſſimo marmore æſtuario marino oppoſitum & ad quatuor paſſ. millia porrectum, & alium pontem uno tantum quadringentorum pedum fornice ſuffultum, & infinita alia opera. Ut de Serum architectura bene judicare poſſimus, non privata, ſed publica ſpectanda ſunt ædificia. Attamen etiam privatorum domos & ſtructuras elegantia ſuperare ædes Europæas, plerique qui viderunt teſtantur.

Muſicam antiquam, velut artem deperditam, multum deplorant Seres, nec magni faciunt illam quæ hoc tempore ſupereſt. Credibile eſt jacturam iſtam non aliunde proveniſſe, quam ex mutatione ſermonis & linguæ, quæ apud Seras æque atque apud nos fluxa eſt & inſtabilis. Idem Græcis eveniſſe alibi oſtendimus. Illæ ipſæ tamen quæ ſuperſunt reliquiæ ſufficiunt ut etiam hac parte principem inter alias gentes teneant locum. Tibiarum cantu longe ſuperant Europæos, apud quos nullæ hoc tempore bonæ reperiuntur tibiæ; neque enim bonæ ſunt ullæ, niſi quæ ex cannis ſeu arundinibus conſtruuntur, cum illæ quæ dolantur, quod inequalibus procedant fibris, raucum, imperfectum

fectum, & in amœnum prorſus fundant ſonum. Quamvis vero innumera apud eos reperiantur inſtrumenta, quæ vel digitis pulſantur, vel flatu reguntur, præcipue tamen commendatur organum minutum, cannis inſtructum, & humano ſpiritu animatum; quod qui audierunt, non dubitant omnibus hodiernis præferre inſtrumentis.

Quod autem de pictura Sinenſium non bene ſentiant nonnulli, perſuaſi imaginibus pyxidum & vaſorum quæ ad nos deferuntur: id perinde eſt ac ſiquis ex figlinis patinis aut ruſticorum utenſilibus, iiſque quas continent figuris, argumentum ſumat quantum in hac arte valeant Europæi. Ut ſuccedat hoc ratiocinium, imagines figulorum & opificum Sinenſium, cum noſtrorum figulorum conferendæ & comparandæ ſunt imaginibus. Id ſi fiat & tum quoque noſtra de rebus noſtris evaneſcet exiſtimatio. Licet non optimæ ſint imagines quæ ad nos perveniant, utpote quas à piſcatoribus vel ruſticis Chriſtiani ſolent redimere, vidi tamen tam exacte delineatas, ut artis gnari eas mirarentur, & non niſi magno licitarent pretio. Cum vero inquiunt umbris fere carere Serum picturas, carpunt quod laudare debuerant. Parce admodum ſunt illi in exprimendis umbris, & quidem quanto meliores ſunt picturæ, tanto minus umbrantur; in quo longe peritiores ſunt noſtri orbis pictoribus, qui non niſi additis denſis umbris partes magis exſtantes norunt repræſentare. Qua quidem in re nec naturæ, nec Optices obſervant leges; illæ nempe docent, ſi quod corpus æquali fere lumine aſpergatur, ita ut nullæ conſpicuæ ſint umbræ, partes magis vicinas aut exſtantes, diſtinctioribus lineamentis, recedentes vero & remotiores minus diſtincte eſſe exhibendas. Hanc ſiquis in pingendo obſervet rationem, erit pictura naturæ æmula, & etiam abſque umbris conſpicuis magis exſtantes apparebunt partes.

In ſtatuaria arte quantum excellant, documento eſſe poſſint ingentes Coloſſi, quorum artificium non ſine ſtupore multi admirantur, præſertim ſi antiquitus fuerint conſtructi.

conſtructi. Ut enim apud nos, ita quoque apud Seres lapſu temporum diminuta eſt artium dignitas & ſcientia.

De opificiis & artibus manuariis nihil dicemus, cum illa ipſa quæ ad nos quotannis deferuntur opera, ſatis oſtendant quantum etiam hac in parte cæteris ſint præſtantiores gentibus. Quod ſiquis dubitet & ipſis quoque diffidat oculis, credat ſaltem iis qui illorum adierunt terras, & magno ſuo cum damno Europæas intulerunt merces, quæ collatæ cum Sericis textis & artificiis meræ viſæ ſunt ſordes, & mendicorum ſupellectiles; cum vix aliquid Europa poſſit largiri, quod non melius, elegantius, ornatius & copioſius in ampliſſimo hoc conficiatur aut proveniat regno.

Quod ſi ad eas deſcendamus artes & ſcientias, quæ voluptati inſerviunt, qualis eſt hiſtrionica & pantomimica, etiam hac in parte præſtantiores eſſe cæteris gentibus plerique illi qui interfuerunt eorum ludis unanimiter teſtantur, præſertim ſi qui linguæ & ſermonis illorum non fuere imperiti. Nulla apud eos celebrantur convivia quin adſint ſcenici, qui quamcunque placuerit repræſentent actionem. Quin & ſolo nutu & geſtibus, etiam abſque ſermone, omnia tam feliciter peragunt ut à quibuſvis intelligantur, ut videri poſſint nihilo antiquis inferiores pantomimis & forſan meliores, ſi tantundem juris & auctoritatis Sinicæ illis permitterent leges, quantum Romanæ; cum conſtet eos ſub vitioſis Imperatoribus Romam rexiſſe, quod haud facile conceſſerint Seres.

Magnetis uſum, quatenus is Septentriones oſtendit, & illum quoque à Seribus reliquæ acceperunt gentes, cum conſtet jam à bis mille & octingentis fere annis illos exploratam habuiſſe iſtam hujus lapidis virtutem. Ante quingentos fere annos in navigationibus eo utebantur Saraceni, ut teſtatur Jacobus de Vitriaco, edocti proculdubio à Sinis Taprobanam adeuntibus. Ab his ante tria fere ſecula accepere Chriſtiani. Quod autem nonnulli exiſtimant, antiquo huic invento plurima acceſſiſſe Seribus ignota, id quo fundamento

fundamento affirment, necdum conſtat, cum certum ſit declinationes magneticas Saracenis notas fuiſſe, & una cum ipſo magnetis in navigationibus uſu Chriſtianis fuiſſe traditas. Quouſque in ſcientia magnetica progreſſi ſint Seres, tum demum ſciemus quando ſcripta & illorum de hoc lapide obſervationes Chriſtianis innoteſcent.

Ars typographica mille & quingentis fere annis apud illos eſt antiquior quam apud Chriſtianos. Qui vero exiſtimant etiam in hoc artificio ſuperiores eſſe Europæos, iſti, ut in cæteris, ita quoque in hoc plurimum falluntur. Seres non uti apud nos fieri ſolet ſingulos ſuos characteres ſeparatis exprimunt formis, hoc enim apud illos commode fieri non poſſit, propter immenſam characterum multitudinem, ſed ſingulas pagellas ſingulis inſculpunt tabellis ligneis, haud multum abſimili ratione ac apud nos imagines æri aut ligno inſculpuntur, quæ poſtea committuntur prælo. Hoc pacto efficiunt ut vili pretio, minimo labore, & breviſſimo tempore, quorumvis librorum editionem abſolvant. Nullam unquam jacturam faciunt typographi, ſi quidem non multa, uti nos, ſimul excudunt exemplaria, ſed ſi emptor acceſſerit, ſumptis tabellis, iiſque atramento ſuo librario tinctis, & interpoſita ſingulis tabellis chartæ faſcia, centum vel plures aliquando pedes longa, unius vel duarum horarum ſpatio perficiunt editionem voluminis, quod exemptis tabellis ita complanatas habet oras, quantum vix habeant noſtri qui cultris circumciduntur libri. Si quis modum quem Chriſtiani in excudendis hactenus tenent obſervet libris, ille non laborioſus tantum, ſed & adeo fortunæ obnoxius, ut ſæpe nimiis impenſis omnium bonorum jacturam faciant typographi, cum vana ſpe, inanibus promiſſis & ſtultis confiſi rerum æſtimatoribus, non venales in lucem protrudunt libros, & ludibrium pro lucro referunt. Non deſuere itaque complures qui facilem & compendioſam in arte typographica Sinenſium rationem imitari fuerint conati; ſed tamen ſive atramenti ſive chartæ minus bibulæ

culpa, ſive alia de cauſa, fruſtra omnes fuere hactenus; quid in poſterum fiet, tempus docebit.

Longum nimis fuerit cæteras Serum ſeu Sinenſium, ut vulgo nominantur, artes & ſcientias commemorare, quarum tamen minima pars Chriſtianis innotuit. Sed hæc ſufficiunt ut ſciamus quid perennis literarum uſus & perpetuus antiquorum librorum intellectus præſtare valeat. Non eſt ut exiſtimemus naturam magis benevolam Seribus præſtantius illis ingenium aut aptiorem aliis gentibus ad addiſcendas artes conceſſiſſe indolem; literis & nunquam interrupto earum uſui adſcribendum eſt quod illi rerum peritia cæteris antiſtent mortalibus. Si Græcis & Latinis debeatur literis ut in Chriſtiano orbe ad majus culmen provectæ ſint ſcientiæ quam alibi, æquum omnino eſt ut hac in parte cedamus Sinenſibus, utpote quorum longe antiquior ſit literatura. Quàm illa vetuſta ſit docent illorum annales, &, illis etiam tacentibus, ipſa artium multitudo & præſtantia ſatis declarat. Nec tamen negaverim in quibuſdam Matheſeos partibus & præſertim Aſtronomia aliquid ſcire Chriſtianos, quod minus exacte ſciunt Sinenſes. Nempe cum hæc ſcientia omnium apud nos ſit antiquiſſima, utpote quam à Chaldæis & Ægyptiis Græci acceperint, mirum videri non debet, ſi hac in parte plus quam aliæ gentes excellant Chriſtiani. Sola hac ſcientia ſuffulti, nomen & famam inter Sinenſes obtinuerunt Chriſtiani, tranſlatis præſertim Euclidis & Archimedis libris, qui mirum in modum placuere Sinenſibus. Præcipue tamen inclaruere accuratiore Eclipſium calculo, Chaldæorum & Babyloniorum olim invento, ſed per Ptolemæum nobis tradito. Et ſane niſi Ptolemæi magna ſupereſſet Syntaxis, quam vulgo Almageſtum vocant; nullus vel Arabum vel Chriſtianorum exacte Eclipſium momenta ſciret ſubducere. Itaque hac in parte fortuna plus favit Europæis, quam Sinenſibus, quorum libri continentes hiſtoriam, matheſin, aſtronomiam, muſicam, & complures alias ſcientias, exceptis tamen iis qui ad agriculturam,

culturam, & rem medicam pertinerent, combuſti fuere jam ante mille & nongentos annos, juſſu regis Chingi, multis quidem aliis celebrati operibus, & præſertim conſtructione vaſti iſtius muri, cujus fama totum implevit terrarum orbem; ſed tamen nimia laborantis ambitione, utpote qui non pateretur aliorum qui præceſſiſſent regum & præſtantium virorum, vel facta vel ſcripta ſupereſſe, ut nempe deleta illorum memoria, ſuorum tantum facinorum ad poſteritatem tranſmitteret gloriam, unuſque eſſet pro omnibus. Vivit etiamnum & nunquam in animis Sinarum extinguetur fatalis iſte tot ingeniis & laboribus ignis, adeoque magnum & funeſtum ipſis videtur hoc librorum fuiſſe incendium, ut ne in futura quidem mundi conflagratione tantum opum periturum exiſtiment.

Pulveris nitrati & tormentorum majorum & minorum, quibus vulgo utimur, inventum qui Chriſtianis adſcribunt, & illi quoque plurimum falluntur; cum conſtet jam à mille & ſexcentis pene annis, omnia hæc Sinenſibus fuiſſe cognitiſſima. Reperiri apud eos tormenta exquiſitiſſimi operis, jam ante octo vel plura ſecula fabricata certum eſt; & ne cui mirum hoc videatur, etiam apud Siamenſes, qui artem hanc à Seribus acceperunt, vidiſſe ſe affirmat Tabernerius teſtis certiſſimus, ante quinque vel ſex ſecula conſtructa tormenta. Idem etiam affirmat nitratum quem vocant pulverem, multo apud illos præſtantiorem confici, quam apud Chriſtianos. In Artificiis quæ pulveris hujus beneficio ab iis peraguntur quantum excellant, norunt omnes qui viderunt, unanimiter affirmantes nullius eſſe momenti quæ à Chriſtianis eduntur ſpectacula, ſi cum mirandis Sinenſium conferantur operibus, utpote qui longo & perenni exercitio tantum in hac arte profecerint, ut quibus voluerint coloribus tingendo flammas, & quaſcunque placuerit inducendo formas & figuras, quaſcunque etiam in nudo aere ſciant repræſentare picturas. Non tantum hujus pulveris in omnibus ſuis bellis prodigunt Europæi, quantum Sinenſes in

ludicris iſtis ſpectaculis. Quatenus tamen pulvis iſte nitratus bellicis inſervit uſibus, certum eſt hac in parte cedere Europæis, qui in rebus bellicis longe ſunt ſuperiores Sinenſibus. In poſtremo hoc quod cum Scythis geſſere bello, in explodendis & regendis tormentis Chriſtianorum adjutos fuiſſe conſtat opera. Jactant tamen illi etiam hac peritia olim ſe excelluiſſe. Verumne ſit iſtud, necne, nondum conſtat. Interim ut non magnifice de bellica hujus gentis virtute ſentiamus, hoc dixiſſe ſufficiat, nullos mortales à militia æque ſemper abhorruiſſe ac Sinenſes. Ad cuſtodiam prodigioſi iſtius muri qui totum à Septentrione cingit regnum, conſtat decies centena militum millia jam à bis fere annorum millibus fuiſſe deſtinata, ſed non niſi viliſſimi & culpæ alicui obnoxii ad hanc ſtationem relegabantur, cum nihil contemtius habeant militia. Ipſi otio & voluptatibus dediti, unum id ſemper ſectati ſunt, ut & longa & ſimul jucunda, ſibi contingat vita. Nec tamen, quod alibi fere ſolet fieri, exitio ipſis fuere voluptates; quin potius otia eorum laudabilia & ut plurimum literata fuere, & voluptates iſtiuſmodi, ut ad conſervandam potius quam perdendam eorum facerent rempublicam. Soli illi inter omnes fuere mortales, qui pluribus quam quatuor annorum millibus regnum & rempublicam ſuam ſine armis in ſumma pace & tranquillitate conſervaverunt, ut merito omnium hominum beatiſſimos dixeris, utpote qui inter perpetua gaudia & voluptates majorem & tutiorem ſibi parare potuerint felicitatem, quam ulla alia gens bellis etiam ex voto ſuccedentibus. Quamdiu reliquo humano generi ignoti fuere Seres tamdiu etiam fuere felices. Cum enim ſine invidia magna non poſſit ſubſiſtere magna felicitas, ideo omnibus ſeculis infeſti fuere hoſpitibus, non admittentes ullos advenas, aut ſi admitterent, omnem prorſus redeundi ſpem præripientes. Ut vero nihil eſt in rebus mortalium ſempiternum, ita quoque hoc regnum ſenſit ſenectutis mala. Quintum jam incipit fluere ſeculum, ex quo Tartari inteſtinis hoc regno laborante

laborante discordiis, superato muro, totam pene occuparunt Serum ditionem. Tum demum Asiaticis & Europæis innotuit regni hujus conditio & incredibilis opulentia. Ante quadraginta fere annos denuo ingressi, totum hoc invaserunt & occuparunt imperium, quod etiamnum tenent, tandiu forsan illic regnaturi, donec ipsi deliciis Serum fracti imbelles fiant, & Seres ærumnis oppressi & fatigati, militares assumant animos. Ex hodierna tamen Serum conditione non est ut regnum hoc post quatuor annorum millium felicitatem, miserum esse dicamus: sed miseri & infelices illi dicendi sunt cives, quorum sors nascendi non in florentia sed in calamitosa incidit tempora.

Hæc de Seribus seu Sinensibus, ut vulgo appellantur, & antiqua eorum literatura, quantumvis breviter dicta, sufficere nihilominus existimo, ut cognoscamus gentem hanc artium & scientiarum præstantia, tanto cæteris esse præferendam gentibus, quanto apud illos vetustior sit perpetuus & nunquam interruptus literarum usus, sine quo pereunt artes priusquam aliquam attingant dignitatem. Exemplo sint plerique alii universi orbis populi, nulla artium aut scientiarum instructi peritia, quam non aut à Sinis, aut à Græcis acceperint. Qui itaque nostro hoc seculo, missa Græca & Latina Literatura, vernaculas suas mox perituras obtrudunt & commendant linguas, illi unum hoc affectare videntur, & omnes perdant literas, sublatoque instrumento per quod propagentur scientiæ, ad pristinam genus humanum redeat simplicitatem, nec quidquam in posterum sciamus, nisi quod subitus & naturalis nobis suggesserit instinctus.

CAP.

Cap. XV.

De Origine & Progreſſu Pulveris Bellici apud Europæos.

QUam antiquus ſit pulveris bellici apud Seras uſus, diximus præcedenti capite; ſupereſt ut videamus quam ille inter Europæas ſit vetuſtus gentes. Ante quatuor fere ſecula primum hunc innotuiſſe exiſtimant plerique, nec deſunt qui Rogerio Baconi aut neſcio quibus aliis inventum hoc ineptiſſime tribuant. Quod in cæteris artibus, id ipſum quoque hîc obſervandum, ut non uni adſcribamus, id quod infinitis debetur millibus. Nulla eſt ars, nulla ſcientia & auſim dicere nullum inventum, quod totum uni acceptum feramus homini, imo ne uni quidem populo aut ſeculo. Cum tam late pateant artes & ſcientiæ quam ipſa rerum pateat natura, illa vero complectatur omne id quod videmus & quod non videmus; non eſt ut exiſtimemus illam unquam uni mortali vel populo vel ſeculo totam ſe revelaſſe, cum ne quidem omnium ætatum & gentium ſimul conjunctæ obſervationes vel minimam naturæ explicent partem, cum nulla ſit proportio finiti ad infinitum. Rerum illa parens, vel ſibi ſoli, vel ſublimioribus quam humana ſert conditio arcana ſua reſervat intellectibus. Avida tamen gloriæ mortalitas hanc ſemper ſcrutatur, & ſi propriis nequeant emergere inventis, inſidiantur alienis; & ſi pudor & conſcientia vetent ut ea ſibi tribuant, libenter tamen iſta ſuæ adſcribunt ætati, & præſertim iis inter quos naſcuntur, ut laudando ſuos & ipſi viciſſim laudentur, & cum meritis non poſſint, hac ſaltem ratione inclareſcant. Si quis omnes, quæ ſuperſunt, percurrat artes & ſcientias, inveniet eas minutis

minutis ortas principiis, ſed perpetua temporum & ſeculorum ſucceſſione, adjuvantibus etiam multis populis, auctas quidem, ſed ita pedetentim, ut fere illorum qui eas auxere lateant nomina, vel quod augmenta iſtæc ad comparandam nominis æternitatem, non eſſent ſatis illuſtria, vel nimium multis id quod paucis & aliquando etiam uni debebatur, ſibi vindicantibus.

Quod in cæteris artibus, idem quoque in bellico ſeu nitrato evenit igne, cujus ut ortus ita quoque progreſſus ignorantur auctores. Certum eſt tamen illum ante mille quingentos extitiſſe annos, nec dubito quin etiam multo ſit antiquior, licet ars emittendi quam longiſſime hujus beneficio lapides aut glandes ferreas eſſet etiamnum ignota. Sed neque ut nunc, ita quoque olim eadem ſemper fuit compoſitionis ratio. Ex iis qui ſuperſunt primus, niſi fallor, qui hujus conficiendi rationem tradidit, is eſt Julius Africanus ſeptimo Ceſtorum libro. Verba ejus, quia ſcriptor iſte nondum lucem aſpexit, non pigebit adſcribere. Sic itaque ille prædicti libri capite 45. Ἀυτόματον πῦρ σκευάζηται οὕτως. Θείου ἀπύρου, ἁλὸς ὀρυκτοῦ, κονίας κεραυνίου λιθου πυρίτου ἴσα λειοῦνται ἐν θυίᾳ μελαίνῃ μεσουρανοῦντος ἡλίου· μίγνυταί τε συκαμίνου μελαίνης ὀπὸς καὶ ἀσφάλτου Ζακυνθίης ὑγρᾶς καὶ αὐτοῤῥύτου ἑκάστου ἴσον ὡς λιγνυῶδες γενέσθαι· εἶτα προσβάλλεται ἀσφάλτου τιτάνου παντελῶς ὀλίγον· ἐπιμελῶς δὲ δεῖ τρίβειν μεσουρανοῦντος ἡλίου, καὶ φυλάσσειν τὸ πρόσωπον, αἰφνίδιον γὰρ ἀναφθήσεται· ἀφθεῖσαν δὲ χρὴ πωμάσαι χαλκῷ τινι ἀγγείῳ πρὸς τὸ ἕτοιμον οὕτως ἔχειν εἰς πυξίδα καὶ μηκέτι δεικνῦναι τῷ λόγῳ ἡλίῳ, ἀλλ' ἐν ἑσπέρᾳ. Tria nempe præcipua, è quibus conficiebatur hic pulvis, ſunt ſulphur vivum, nitrum ſeu ſal foſſilis, & lapis Ceraunius, omnia mortario piſta & in minutiſſimum pulverem redacta. Ceraunius ſeu Pyrites erat loco carbonum, nec deſunt hodie qui illo ipſo lapide vicem carbonum ſupplere fuerint conati, quo ſucceſſu neſcio. Quod vero adderetur ſuccus Sycamini nigræ & bitumen Zacynthium & alia, ideo fiebat ut pertinacior & diuturnior excitaretur flamma.

flamma. Si quidem cum ad ſola facienda incendia iſtoc uterentur pulvere, longe alia ejus ratio eſſe debebat ac hodierni quo exploduntur tormenta, qui & ipſe celerrimam quidem, ſed tamen brevi ceſſantem exigit accenſionem. Clarum eſt itaque ignem nitratum notum fuiſſe jam ante mille & quingentos fere annos. Cum conſtet Africanum longævum fuiſſe & Ceſtorum libros abſolviſſe diu antequam ſuam ederet Chronographiam, ut alibi oſtendimus. Et tamen cum Africanus non fuerit pulveris hujus inventor, credibile eſt longe illo eſſe antiquiorem.

Similis videtur fuiſſe compoſitio ignis iſtius artificialis quem vaſis fictilibus incluſum in munimenta & portas hoſtium è machinis explodebant Reges Perſarum, ut è Cteſia teſtatur Ælianus lib. 5. c. 3. Longe enim veriſimilius illum è naphtha ſeu bitumine liquido admixto nitro fuiſſe compoſitum, quam ut vermibus ſeu anguibus Indi fluminis hunc acceptum feramus. Nempe ut nunc, ita quoque olim uſitatum, ut quæcunque arcana quæque ſibi ſolis nota eſſe cupiunt homines, ea omnia fabulis involvant.

Totis tribus poſt Africanum ſeculis, eorum qui ſuperſunt ſcriptorum nemo quod ſciam ignis hujus nitrati fecit mentionem. Quanta eſſet ejus potentia, id demum ſub Anaſtaſio patuit Dyrrachano, utpote qui claſſem Vitaliani Gothi ignis hujus combuſſerit beneficio. Neque enim credendum Zonaræ aut aliis qui claſſem iſtam Gothicam ope ſpeculorum comburentium conſtructorum à Proclo Philoſopho incenſam fuiſſe ſcribunt. Quantumvis enim multa & bene conſtructa conferas ſpecula, nunquam tamen iſtiuſmodi efficias incendium. Verba ipſa in vita Anaſtaſii hæc ſunt; Ἐφ' οὗ Βιτάλιος ὁ Θρᾴξ αἰτίαις ἐπ' ἀδικήμασι λαβὼν τὸν Θρᾴκην ἅμα Σκυθίᾳ καὶ Μυσίᾳ, ἦλθεν ἕως τοῦ ἀπὸ πρωϊδύτων. Ἀλλὰ ναυμαχήσαντος αὐτῷ Μαρίνου μετὰ θεῖον ἀπύρου, ὃν κατεσκεύασε Πρόκλος ὁ φιλόσοφος, κατέφλεξε τὰς ναῦς τῶν βαρβάρων. Οὐννων καὶ Γότθων καὶ Βυλγάρων καὶ τοῦ λοιποῦ στρατοῦ ὄντος ἐν τῷ ῥεύματι. Ὁ δὲ Βιταλιανὸς ἔφυγεν μετὰ τῶν ὑπολειφθέντων ὀλίγων

ὀλίγων ἐ πῦρ ἐν τῷ νεανῷ ἐφάνη. Rectius Chronicon meum vetus, quod igni ſulphureo totum hoc adſcribit. Idem quoque teſtatur Joannes Mallela in Chronico & ipſo inedito, ſed quod nunc non ſit ad manum. Occultabant nempe Græci artem componendi hujus ignis, ut poſtea dicamus, ideoque factum hoc ſpeculis adſcripſere comburentibus.

Artem emittendi nitratum hunc pulverem ex Siphonibus ſeu tubis æneis aut ferreis Græci referunt ad annum Chriſti DCLV vel paulo antea. Imperante Conſtantino Bogonato dicunt fuiſſe Callinicum quendam Ægyptium, Heliopolitanum, qui relicta ea urbe Conſtantinopolim profugus, conficiendi hujus pulveris rationem primus Chriſtianis tradiderit. Quod autem nonnulli ex Syria eum advenisſe ſcribunt, id perinde eſt, cum conſtet Nomum Heliopolitanum Syriæ fuiſſe attributum, illo præſertim ſeculo, ut locum non habeat altera Syriaca Heliopolis, hac enim ratione Ægyptius non fuiſſet iſte Callinicus. Recte vero profugum vocant, à Saracenis quippe tum tenebatur Ægyptus. Nec dubitandum quin ab his artem hanc hauſerit Callinicus: Sed neque de eo dubitandum, quin à Sinenſibus tormentorum uſum acceperint Saraceni. Crebræ tum Sinenſium erant navigationes, nec Taprobanam tantum, ſed & Arabicum Sinum claſſibus adibant, necdum cum exteris gentibus vetito commercio, ut docent illorum hiſtoriæ. Quantum autem hoc commentum profuerit Saracenis tot regiones ſubactæ, & tot terra marique de Chriſtianis partæ ſatis teſtantur victoriæ. Subſtitere tamen nonnihil illorum progreſſus, poſtquam Callinicus eandem artem docuit Chriſtianos. Nec tamen ille, ut nonnulli volunt, cenſendus ignis hujus inventor, ſed propagator potius, cum ignis iſtius nitrati uſus longe, ut diximus, ſit antiquior; ſed cum per illum modus explodendi ignem hunc è tubis æneis primum Chriſtianis innotuerit, utique eſt veriſimile cum longa ætate artes perficiantur, rationem componendi & conficiendi hujus ignis, quo aptior ad explodenda cum fragore tormenta

redderetur, plurimum fuiſſe immutatam. Necdum tamen iſtac tempeſtate notum erat lapides ſeu globos ferreos aut plumbeos in hoſtes jaculari. Habebant quidem majora tormenta ſeu Siphonas, queis proris navium aptabant ad inferenda incendia, & præterea minores quas χειροσίφωνας ſeu manuarias appellabant Siphonas, haud abſimiles hodiernis muſchettis quas in faciem hoſtium explodebant, ſed nulla uſquam mentio occurrit globorum ſeu glandium, quibus bella hac tempeſtate peraguntur, quæque ſero demum innotuerunt, ut mox dicemus; Dempto incendio terrorem potius quam perniciem bellica iſta commenta hoſtibus inferebant. Sed vero cum ignis iſte multum contineret pinguis humoris, utpote naphta liquida & plurimo conſtans bitumine, multo acriora edebat incendia quam faciat pulvis hodiernus, etiam poſt exploſionem flammam quam diutiſſime conſervans, & ipſos quoque armatos, & demum quidquid attingeret penitus comburens. Hinc eſt quod Græci ignem hunc humidum ſeu ὑγρὸν πῦρ vel etiam marinum appellarunt. Latini vero ignem Græcum vocarunt, ac ſi à Græcis primum eſſet repertus. Conſtantinus Porphyrogennetus in ſcripto de adminiſtrando imperio, cum cap. 48. Callinico Ægyptio acceptum ferat hoc beneficium, idem tamen cap. 12. Conſtantino Magno inventum hoc adſcribit: cui ſcilicet id revelatum fuerit ab Angelo, addens illum uſum hujus ignis ſolis indulſiſſe Romanis, nec permiſiſſe ut hic alibi quam apud ſolos conficeretur Byzantinos, pœnamque ſtatuiſſe graviſſimam omnibus iis qui ignem hunc ad Barbaros deferrent, aut artem conficiendi illos docerent.

Leo Imperator in Tacticis & Conſtantinus Porphyrogennetus in Naumachicis hactenus ineditis & complures alii, ignis hujus per Siphones tam manuarios quam majores emiſſi & tonitruo ſimilem facientis fragorem ſæpe faciunt mentionem, ſed de lapiditus ſeu globis metallicis ſimul exploſis altum omnino apud omnes ſilentium.

Ne

Ne illo quidem bello quod Ludovicus Sanctus cum Ægyptiis ante quadringentes & . . . . . geſſit annos uſitatum id fuiſſe certo colligas ex Jonvillio oculato teſte, qui ſolo hoc factitio igne è machinis emiſſo ſuperatos à Saracenis fuiſſe docet Chriſtianos. Ejus de hoc bello ſiquis legat Commentarios, haud facile ullum noſtro hoc ſeculo inveniat exemplum, in quo tantundem bellicum potuiſſe oſtendat pulverem, atque iſtoc tempore incendiarius potuerit ignis, etiam nullis armatus globis. Nec dubitandum quin naphtha & bitumen copioſe in Syria proveniens ad artificioſos iſtiuſmodi parandos plurimum profuerint ignes, quibus cum deſtituantur Chriſtani, utpote qui naphtha penitus careant, altero vero non niſi adulterino utuntur, mirum videri non debet ſi in pernicioſis iſtiuſmodi commenſis longe inferiores Aſiaticis ſint populis. Qui id quod vulgo petroleum dicitur idem eſſe exiſtimant ac ſit naphtha, illis ego tum credam, ubi parem hujus virtutem eſſe oſtenderint. Naphtha in ipſis quoque ubi oritur ardet fontibus, nec tantum aſpectu ignium, ſed & ſolaribus percuſſa radiis flammam concipit. Provenit illa non tantum in campo Babylonio, ſed & in ſtagno Comagenes, de quo vide Plinium lib. 11. cap. 104. De hoc quoque vel limo vel maltha vel naphtha intelligendus eſt Tibulli locus in Panegyrico Meſſalæ;

Ardet Areccæis aut unda Cyreſtia campis.

Areca eſt Comagenes oppidum haud procul Euphrate, Ἄρκη Ptolomeo, niſi malis Ἀεάκη, ut habent libri manu exarati. Erech vel Arach Geneſ. 10. 10. Hinc Areccæi campi longe lateque extenſi, utpote cum etiam Edeſſa Arech fuerit dicta. Cyreſtia vel Cyriſtia unda eſt ſtagnum Samoſatenum, quod dicto loco deſcribit Plinius. Quia vero in confinio Comagenes & Cireſtidis ſitum fuit hoc ſtagnum, ideo à Tibullo unda Cyriſtia appellatur. Probum vero Cyriſtis, Cyriſtia & Cyriſtica per ſimplicem ſcævam canina, nomen ſiquidem ei à Cyro oppido, cujus olim

Theodoretus fuit Epiſcopus, quem ideo Cyreſticum vocat Anaſtaſius in Hexaemero. Male & contra veterum librorum fidem hunc Tibulli verſum emendare conati ſunt viri docti. *Perhoſpita* eo quo ipſi volunt ſenſu, ne Latinum quidem. Cum vero pleraque antiqua exemplaria exhibeant *Caryſtia*, omnino vera eſt ea quam redidimus ſcriptura.

Quis vero inter Chriſtianos fuerit, qui globis ferreis, plumbeis vel etiam lapideis bellicam hanc machinam primus armarit ignoratur, hoc tamen conſtat nondum quatuor effluxiſſe ſecula, ex quo uſitatum id eſſe cœperit. Antiquior jam non ſuccurrit Froſſarto, cujus hæc ſunt verba ad annum . . . . . *Ils firent ouvrer une bombarde merveilleuſement grande, laquelle avoit cinquante pieds de long, & gettoit pierres grandes, groſſes, & peſans marveilleuſement: & quant cette bombarbe decliquoit, on loyoit bien de cinq lieves loing par jour & de dix par nuit, & menoit ſi grand noiſe au decliquer, quil ſembloit que tous les diables denfer fuſſent au chemin.* Prodigioſa forſan hujus bombardæ miraberis magnitudinem, utpote quadruplo fere longiorem quam hodiernæ eſſe ſoleant, ſed tamen verum eſt tales olim conſtrui ſolitas, & in antiquis armentariis reperiuntur etiamnum quæ triginta & plurium pedum longitudinem exæquent. Et ſane pulveris nitrati ratio iſtam exigebat menſuram; cum enim parciores longe eo eſſent ſeculo in admiſcendo nitro, tarde admodum pulvis accendebatur, ac ut totus accenderetur & violenter globum protruderet, neceſſum erat ut tam longi canales fierent. An vero tam longa tormenta ex uno continuo fuerint conſtructa canali, ideo aliquis merito dubitet, quod in picturis iſtius ſeculi complures compareant circuli ferrei diverſis locis ambientes & continentes machinam, unde non male colligere poſſimus immenſas iſtas machinas ex pluribus ſimul coagmentatis fabricatas fuiſſe partibus. Sed neque tantam ac hodierna tormenta requirebant ſoliditatem. Cum enim ab imbecilliori pulvere nullum immineret rupturæ periculum, ideo longe tenuiori conſtue-

conſtruebantur metallo. Hinc eſt quod apud Monſtreletum etiam juſtæ magnitudinis tormenta ſeu Rabodequini, ut ab ipſo vocantur, ab uno protrahantur equo. Nec tamen virtus par etiam hodiernis deerat tormentis, ſi quidem & illo tempore à majoribus machinis ſternebantur urbium muri, & excuſſi globi æquale ac nunc percurrebant ſpatium, uti ex illis quæ iſtac tempeſtate facta fuere conſtat experimentis. Chalcondulas etiam menſionem facit tormenti quod ad ſeptuaginta ſtadia globum exploderet, quod tamen vix credibile videatur, cum ex hodiernis tormentis excuſſi globi ne dimidium quidem percurrant ſpatium, licet non deſint qui Venetos in munimento Inſulæ Corcyræ habuiſſe tormentum affirment, quo globi ad tota ſex paſſuum millia exploderentur. Quis primus Chriſtianos pulverem iſtum nitratum in grana cogere docuerit, nec hoc quoque ab ullo annotatum fuiſſe invenio. Illud quidem conſtat ex quo commentum hoc innotuit, adauctam fuiſſe plurimum pulveris hujus efficaciam, cœpiſſeque ex eo tempore breviora & contractiora conſtrui tormenta, cum magiſtra rerum experientia docuerit obeſſe longitudinem, & quanto efficacior fiat pulvis, totuſque citius accendatur, tanto etiam breviora eſſe debeant tormenta, cujus rei rationem alibi expoſuimus. Propter periculum tamen rupturæ aut potius propter nimias expenſas in explodendis majoribus tormentis vulgo non utuntur pulvere granato. Noſtro hoc tempore intra quatuordecim pedes maximorum tormentorum conſiſtit longitudo, quæ ad quinquaginta etiam olim excreſcebant pedes, ut paulo ante monuimus. Verum hoc compendium illud habet incommodi, quod licet tanto breviora, majoris tamen ſint ponderis, quam quæ duplo & forſan triplo olim eſſent longiora, cum efficacior pulvis & flamma longe ſolidiorem qua contineatur requirat machinam Sinæ à quibus bellicæ hujus machinæ fabricam reliquæ acceperunt gentes, brevioribus etiamnum utuntur tormentis propter majorem nitrati pulveris virtutem. Qui

corum

eorum viderunt machinas unanimiter teſtantur eas eſſe exquiſitiſſimi operis. Pulverem non in grana, ſed in oblongas formant virgulas, longeque eſt præſtantior eo quo Chriſtiani utuntur. Idem de Tunchinis & Siamenſibus teſtatur Tabernerius. Attamen, ut diximus, licet primi pulveris hujus inventores, eo tamen, ſi bella gerenda ſint, uti fere neſciunt Sinæ, aut certe ante bellum Tartaricum uti neſciebant, cum nulli mortales æque à bellis abhorreant, & in longa pace & literatis otiis totam ſuam collocent felicitatem. Neceſſitate tamen urgente etiam ipſi hoc tempore arma tractare didicerunt, nec opus habent Chriſtianis Magiſtris in explodendis aut dirigendis quibuſvis tormentis bellicis, cum quam feliciter hæc ab illis tractentur, magno ſuo malo experti ſint Batavi in expugnatione Inſulæ Formoſæ. Nulla ſunt tela artificialia quibus ad evertendas urbes, ſubruendos muros & deturbandos à mœnibus utuntur Europæi, quæ non peritis hoc tempore à Sinis fabricentur, ut merito aliquis dixerit, quanto olim pacis artibus præſtantiores, tanto nunc in militia cæteris eſſe nequiores gentibus. Nihil tamen Sinis ſuum prodeſt ingenium, cum quaſcunque comminiſcuntur artes, illico etiam illis, ſub quorum jugo jam gemunt, innoteſcant Barbaris, qui longe felicius quam ipſi, commentis iſtis utuntur, & Sinas artibus premunt Sinicis. Quod omnium ſeculorum experientia docuit, etiam illic verum eſſe cognoſcimus. Boreales nempe populi cultu & ſagacitate multum cedunt Auſtralibus, animo vero & promptitudine ad audiendum quidlibet longe præſtant. Quod ſi diſciplina acceſſerit militaris, cui addiſcendæ ſufficit illorum intellectus, felicius aliis iſtis arma tractant, ipſaque illis barbaries ad debellandos quoſvis adverſarios telum eſt potentiſſimum. Secus id ſe habet in iſtis populis, qui ſub molliori agitant cœlo. Magis illi ſe circumſpiciunt, nec libenter cum Borealibus bello jam aſſuetis ſe committunt, niſi præclara aliqua affulſerit occaſio, qua certam ſibi audeant promittere victoriam.

DE

DE
Triremium & Liburnicarum
CONSTRUCTIONE.

VErba Vitruvii lib. I. cap. II. hæc ſunt; *Symmetria eſt ex ipſius operis membris conveniens conſenſus, ex partibuſque ſeparatis, ad univerſæ figuræ ſpeciem, ratæ partis reſponſus: ut in hominis corpore è cubito, pede, palmo, digito, cæteriſque articulis ſymmetros eſt eurythmiæ qualitas, ſic & in operum perfectionibus.* Sic fere libri veteres, & recte. Quæ deinceps ſequuntur, ita ſunt reformanda; *Et primum in ædibus ſacris, aut è columnarum craſſitudinibus, autè triglypho, aut etiam è batere baliſtæ, foramine quod Græci τρῆτον vocant: navibus interſcalmio, quod εἰρεσία dicitur.* Βατὴρ in baliſta, quemadmodum eſt in lyra, eſt χορδότονον, ſeu capitulum quo nervi ſeu chordæ intenduntur. Ex *dipheiaca*, quomodo Turnebus in ſuo reperit libro, vel *iphefiaca*, ut nos in optimo honoratiſſimi viri Joannis Cottoni codice ſcriptum invenimus, fecimus εἰρεσία. Vulgo repoſuerunt διπεχαϊκή, quam vocem merito explodit idem Turnebus in advers. lib. XXV. cap. XII. Omnino abſurdus fuiſſet Vitruvius, ſi poſito in omnibus navibus æquali interſcalmio duorum cubitorum, voluiſſet exinde navium colligere magnitudinem.

Non recte itaque viri docti interſcalmium interpretantur ſpatium quod duos remos ſeu duo remigum intercedit columbaria, illud quippe non majus in magnis, quam in minutis navigiis; ſed vero interſcalmium ſeu εἰρεσία, eſt

ſpatium

ſpatium quod ſcalmum & remotiſſimum à ſcalmo interjacet remigem, ſive ut clarius & ſignantius loquar, quantum eſt τὸ ἔγγυον κώπης, ut habet Heſychius, portio nempe remi maximi intra navem, tantum quoque eſt interſcalmium, unde tuto ſatis navium colligi poſſit magnitudo.

Quia hoc ſpatium, licet non totum, ut mox dicemus, occupant remiges, ideo εἰρεσίαν Græci dixere.

Adeo vero bene hæc ſibi conſtat ratio, ut ſiquis noſtra quoque ætate hanc teneat, nunquam peccaturus ſit in exigenda navium quæ remis aguntur magnitudine. Toto mari Mediterraneo hæc ſervatur proportio, ut data εἰρεσίας ſeu remigii latitudine, detur quoque non latitudo tantum & longitudo totius navis, ſed & omnium neceſſariarum navis partium proportio, & ipſorum quoque menſura remorum.

Ut vero cognoſcamus veterum triremes ſeu plurium ordinum naves eadem conſtructas fuiſſe lege, ac noſtri temporis conſtruantur Liburnicæ, quas vulgo Galeas appellant, cognoſcitur ex menſura quæ plane eadem eſt, utpote cum longitudo ſepties major aut aliquanto amplior fuerit latitudine.

Navem quam deſcribit Lucianus, quæ quartam longitudinis partem latitudine occupabat, illa ad rem non facit, cum oneraria fuerit & ſolis ageretur velis, planeque hodiernis ſimilis onerariis, utpote quarum longitudinis quartam partem ut plurimum conſtituat latitudo.

Ne in triremibus ſeu longis navigiis tanta pro latitudine officeret longitudo, eadem ac nunc ratione utrinque procurrentibus in mare extra navem fulciebantur cataſtromatis, id eſt tranſtris ſeu tabulatis firmiter latera navis continentibus, & ſimul utilitati remigum inſervientibus, qui tanto facilius regunt remos, quanto remotior eſt ſcalmus.

Veniamus

Veniamus nunc ad remos & oſtendamus, quæ interſcalmii, eandem quoque remorum eſſe rationem, & dato remo, dari quoque magnitudinem & conditionem totius navigii, Nauticæ periti libenter, ut puto, hæc admittent. Eſt quidem verum magna quoque navigia minutis poſſe moveri remis, & quidem celerrime, ut ex iis quæ poſtmodum dicentur clarum fiet, ſed vero ut magni & enormes remi minutis aptentur navigiis, utique id fieri non poteſt. Expendamus itaque remorum naturam & conſtitutionem, quæ noſtro hoc obſervatur ſeculo, ut videamus ecquid exinde antiquarum navium ſtructuræ lucis conferre poſſimus.

Licet ut olim ita quoque nunc pro diverſa Liburnicarum menſura, diverſa quoque ſit remorum longitudo, ſemper tamen hæc fere ſervatur proportio, ut ſi qua Liburnica nonaginta quinque ſit cubitos longa, lata vero duodecim ſemis, huic adſignentur remi cubitorum XXIV$\frac{1}{11}$. In remorum vero ſtructura, hanc fere legem & menſuram obſervant. Sit remus A B longus cubitos 24$\frac{1}{7}$ vel ut vulgo lo-

quuntur habeat palmas majores 48$\frac{1}{7}$. Intervallum ab A ad D, quod totum eſt intra navem, à medio nempe foro uſque ad navis coſtas eſt palmorum undecim, deſtinatum quinque remigibus & aliquando ſex. Quod à D uſque ad ſcalmum C excurrit ſpatium palmorum 4$\frac{1}{2}$, vacuum eſt remigibus, cum experientia & ipſa doceant natura, nihil prodeſſe remiges ſi nimium ſcalmo ſint vicini. Quod à ſcalmo uſque ad B ſupereſt remi, eſt palmorum nauticorum 31. Ad manubria ſeu capulos craſſus eſt in diametro digitos 9. Ab D vero uſque ad ſcalmum C paulatim fit craſſior, ita ut prope ſcalmum habeat 14 digitos in dia-

metro, in ipſo ſcalmo digitos 9. Extra ſcalmum vero non plus quam quatuor digitos in diametro habet, ſervatque aliquandiu iſtam rotunditatem, donec tandem in palmulam exeat & ipſam novem latam digitis.

Hanc in conſtruendis remis tenent proportionem omnes fere Mediterranei maris accolæ, & ſiquis ad libellam hanc exigat rationem, inveniet tantam ſingularum partium convenientiam, ut ſine errore vix aliter conſtrui poſſint, neceſſeque ſit ut vel frangantur, vel minime remigio fiant idonei.

Veniamus nunc ad Ptolomæi Philopatoris quadraginta ordinum omnium quotquot in hiſtoriis memorantur longe maximam navem. Quoniam ut cæterarum partium, ita quoque menſuram remorum reliquit nobis Athenæus, cum ſcribit maximos thranitarum remos fuiſſe cubitorum 38, ſive pedum 57.

Componamus hos remos cum remis hodiernis, & videamus quantæ molis ſinguli remi eſſe debuerint. Primo quidem illud conſtat, ſi quæ ſit longitudinis ad longitudinem, eadem quoque inſtituatur craſſitudinis ad craſſitudinem ratio, habituros nos remum prorſus ſimilem hodierno quoad proportionem, verum non ejuſdem roboris, rumpetur quippe pars mari imminens prope ſcalmum.

Hoc ſic colligi poteſt. Cum in omni remigio tertia plus minus pars remi ſit intra ſcalmum, adeoque in hac menſura conveniant plerique nauticæ periti, ut raro vel unicum aberrent palmum, æquum eſt ut eandem quoque menſuram obſervatam fuiſſe credamus in iſtis triginta octo cubitorum remis, ita ut 38 pedibus ultra ſcalmum porrigerentur. Cum vero in illo quem deſcripſimus hodierno remo qui palmis 31 extra navem procurrit minimum tribuantur unciæ vel polices tres in diametro prope ſcalmum, quærendum quanta iſtic fuerit menſura majoris remi. Sic itaque inſtituatur calculus; triginta & unum novem unciarum palmi, dant tres uncias in diametro, quantum dabunt pedes triginta.

triginta octo. Verum cum in minori remo duo palmi prope ſcalmum inter navis coſtas intercipiantur, ubi nullum eſt rupturæ periculum quod ibi remus ſit craſſior, auferendi de hoc majori remo duo pedes, ita ut ſuperſint pedes 36 ſeu palmi 48. Fiet itaque ut ſi 31 palmi dent uncias 3 diametri, ex 48 palmis emergant unciæ $4\frac{20}{31}$.

Verum non ſufficit hæc menſura, quominus remus ad ſcalmum non rumpatur. Licet enim trabes & quælibet longa corpora inæqualis magnitudinis ſimilem inter ſe habeant proportionem, rumpi tamem majora niſi triplicatam habeant rationem, ſcite oſtendit Galilæus ſecundo de motu dialogo. Ut itaque recte inſtituatur calculus, ſic pergendum. Tres unciæ dant $4\frac{20}{31}$ quantum dabunt $4\frac{20}{31}$. Habebimus $7\frac{444}{961}$. Tot ergo uncias in diametro habere debet remus triginta ſex pedibus extra ſcalmum prominens, minus enim ſi habuerit, non ſe ſuſtinebit, nec flagellando mari ſufficiet.

Ea parte qua ſedebant remiges ſervata eadem proportione craſſitudo remi in diametro minimum eſſe debuit unciarum quindecim, ſive pedis unius & quadrantis. Ne tamen tantæ molis noceret enormitas, quoque magis idonei eſſent in adducendo & intorquendo, notandum multum ab hac menſura auferendum, ſi quidem plumbum manubriis additum habuiſſe teſtatur Athenæus, & hac ratione redditum fuiſſe æquilibrium & factos tractabiles. Scalmos ſupremorum remigum in iſtac Philopatoris navi minus decem pedibus à ſuperficie maris abfuiſſe, Id ſic confici poteſt. Nullum bene conſtat remigium, ſi intervallum quod eſt à navi uſque ad locum quo extremæ remorum palmulæ aquas feriunt, ad intervallum quo diſtant ſcalmi ab aqua, minimum non habeat ſeſquitertiam proportionem. Remi vero ſuperiores in navi Philopatoris exſtabant extra ſcalmum totis triginta ſex pedibus: ſi itaque ratione exigente ponamus illos cum dimitterentur propter obliquitatem uno pede minus abfuiſſe à perpendiculo ſummorum

ſcalmorum, jam juſtum habebimus intervallum. Verum hac ratione fiet ut ſcalmi ſuperiores novem tantum pedibus à mari abſuerint, quod geometriæ gnari facile intelligent.

Videamus nunc quo pacto iſtæc quater mille remigum navis ad quadraginta potuerit excreſcere ordines. Animus non eſt ea jam expendere quæ complures viri docti in Gallia & alibi de hac ſcripſere materia. Verum quidem eſt illud quod monent remigum ordines per obliquos gradus fuiſſe diſpoſitos, cum antiqua monimenta clare id ipſum evincant, ſed cum præcipuus in eo conſiſtat nodus, quo pacto in multorum ordinum navigiis ſuperiores remi ab uno moveri & regi potuerint, negant quippe plurium remigum ad eundem remum conceſſum; non explicant ſed augent difficultatem, præſertim cum hoc quoque addant, non magnam remi partem ab ipſa navi fuiſſe interceptam. Scio quidem nulla eſſe tam magna pondera quæ non virtute mechanica ab uno quoque moveri poſſint homine, ſed & hoc quoque novi, quanto majora ſint pondera, tanto tardius moveri, & ſemel mota tardius inhiberi. Atqui inutiles ſunt remi, ſi non celerrime percutiant, & celerrime reducantur. Nihil hic proſunt mechanicæ potentiæ, cum æterna maneat lex, ut ſi ab uno moveantur, quæ à decem debeant moveri hominibus, moveantur quidem, ſed decuplo tardius, neque enim natura falli ſe patitur per compendia.

Ut autem ſciamus quam multa incommoda & quæ prorſus fieri nequeant conſequantur eorum opinionem, qui tantos remos ſingulis hominibus regendos committunt; videamus quantæ molis hac ratione ſuperiores hujus navis remi eſſe debuerit. Inter ſingulos remigum ordines, cubiti minimum interceſſiſſe volunt ſpatium. Quadraginta ergo ordines dabunt quadraginta cubitos. Cum vero illi conſtituant pedes ſexaginta, palam eſt remos iſtos non potuiſſe ſuperficiem aquæ attingere, cum quinquaginta ſeptem pedum longitudinem eos non exceſſiſſe conſtet ex Athenæo.

Ut

Ut autem juſtæ fiant menſuræ, non debuiſſent aquam modo attingere, ſed ad iſtam ſexaginta pedum à mari diſtantiam habere proportionem ſeſquitertiam, & longitudinem centum & octoginta pedum & quidem extra ſcalmum. Craſſitudo eorum minima prope ſcalmum eſſe debuiſſet quindecim fere pedum in diametro. Pars vero remi intra ſcalmos, longitudinem exigit nonaginta pedum. Quod ſi iſtam manubrii longitudinem craſſitudine compenſare velimus, nunquam tamen efficiemus, ut non plus quam mille remigum ſpatium, vel ſolum remi unius abſorpſerit manubrium.

Veniamus nunc ad remiges & videamus quo ordine, quibus intervallis & ipſi & ipſorum remi, juga & ſedilia collocata & diſpoſita fuerint. Antiqua numiſmata in quibus crebræ triremium & Liburnicarum viſuntur imagines parum hic juvant, cum in illis propter anguſtiam loci, non niſi unicus expreſſus ſit remorum ordo. In nummo tamen Gordiani Cæſaris, cujus ectypum tranſmiſſum ſibi ab ampliſſimo D. Carcavi oſtendit mihi præſtantiſſimus D. Jo. Marſhamus duo comparent ordines. Figuram libet apponere.

At vero in columna Trajani & aliis marmoribus tres remorum obliquo ordine ſurgentium apparent gradus. Hoc argumento ductus Palmerius aliique viri docti, exiſtimarunt antiquas plurium ordinum triremes & ipſam quoque Philopatoris navem, eadem ratione ad quadraginta remorum excreviſſe ordines, unde quam multa, quæ fieri nequeant, conſequantur, jam ante monuimus. Ego vero nullas unquam naves fuiſſe exiſtimo, quæ plures quam ſeptem remorum habuerint ordines. Sic quoque ſenſiſſe videtur Pollux, cujus verba, quæ vulgo male ſe habent, ad fidem optimi noſtri libri emendata non pigebit adſcribere. Ἡ δὲ διὰ τῆς τριακοντάρους ὁδὸς, πάροδος, διὰ τεσσαράκοντα· ἐπὶ δὲ τριακοντήρους· ἐπὶ δὲ τὴν τριήρη ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τεσσαρακοντήρη ὀγδοήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντηκοντήρη ἑκατὸν εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξηκοντήρη διακόσιαι καὶ τριάκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑβδομηκοντήρη τριακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀγδοηκοντήρη τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑκατοντήρη πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑκατὸν εἴκοσι κωπῶν πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑκατὸν ἑξήκοντα κωπῶν ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν διακοσιοτριακοντήρη ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν διακοσιοτεσσαρακοντήρη ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν διακοσιοπεντηκοντήρη ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν διακοσιοεξηκοντήρη χίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν διακοσιοεβδομηκοντήρη χίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν διακοσιοογδοηκοντήρη χίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τριακοσιοκατοντήρη χίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τριακοσιοεικοσικωπῶν χίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τριακοσιοεξηκοντακωπῶν χίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τριακοσιοτριακοντακωπῶν δισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τριακοσιοτεσσαρακοντακωπῶν δισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τριακοσιοπεντηκοντακωπῶν δισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τριακοσιοεξηκοντακωπῶν τρισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τριακοσιοεβδομηκοντακωπῶν τρισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τριακοσιοογδοηκοντακωπῶν τρισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακοσιοκατοντακωπῶν τρισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακοσιοεικοσικωπῶν τρισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακοσιοεξηκοντακωπῶν τρισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακοσιοτριακοντακωπῶν τετρακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακοσιοτεσσαρακοντακωπῶν τετρακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακοσιοπεντηκοντακωπῶν τετρακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακοσιοεξηκοντακωπῶν πεντακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακοσιοεβδομηκοντακωπῶν πεντακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακοσιοογδοηκοντακωπῶν πεντακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακοσιοκατοντακωπῶν πεντακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακοσιοεικοσικωπῶν πεντακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακοσιοεξηκοντακωπῶν πεντακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακοσιοτριακοντακωπῶν ἑξακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακοσιοτεσσαρακοντακωπῶν ἑξακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακοσιοπεντηκοντακωπῶν ἑξακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακοσιοεξηκοντακωπῶν ἑπτακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακοσιοεβδομηκοντακωπῶν ἑπτακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακοσιοογδοηκοντακωπῶν ἑπτακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακοσιοκατοντακωπῶν ἑπτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακοσιοεικοσικωπῶν ἑπτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακοσιοεξηκοντακωπῶν ἑπτακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακοσιοτριακοντακωπῶν ὀκτακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακοσιοτεσσαρακοντακωπῶν ὀκτακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακοσιοπεντηκοντακωπῶν ὀκτακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακοσιοεξηκοντακωπῶν ἐννακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακοσιοεβδομηκοντακωπῶν ἐννακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακοσιοογδοηκοντακωπῶν ἐννακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακοσιοκατοντακωπῶν ἐννακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακοσιοεικοσικωπῶν ἐννακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακοσιοεξηκοντακωπῶν ἐννακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακοσιοτριακοντακωπῶν δεκακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακοσιοτεσσαρακοντακωπῶν δεκακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακοσιοπεντηκοντακωπῶν δεκακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακοσιοεξηκοντακωπῶν ἑνδεκακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακοσιοεβδομηκοντακωπῶν ἑνδεκακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακοσιοογδοηκοντακωπῶν ἑνδεκακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακοσιοκατοντακωπῶν ἑνδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακοσιοεικοσικωπῶν ἑνδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακοσιοεξηκοντακωπῶν ἑνδεκακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακοσιοτριακοντακωπῶν δωδεκακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακοσιοτεσσαρακοντακωπῶν δωδεκακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακοσιοπεντηκοντακωπῶν δωδεκακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακοσιοεξηκοντακωπῶν τρισκαιδεκακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακοσιοεβδομηκοντακωπῶν τρισκαιδεκακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακοσιοογδοηκοντακωπῶν τρισκαιδεκακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακοσιοκατοντακωπῶν τρισκαιδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακοσιοεικοσικωπῶν τρισκαιδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακοσιοεξηκοντακωπῶν τρισκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακοσιοτριακοντακωπῶν τεσσαρεσκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακοσιοτεσσαρακοντακωπῶν τεσσαρεσκαιδεκακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακοσιοπεντηκοντακωπῶν τεσσαρεσκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακοσιοεξηκοντακωπῶν πεντεκαιδεκακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακοσιοεβδομηκοντακωπῶν πεντεκαιδεκακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακοσιοογδοηκοντακωπῶν πεντεκαιδεκακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν χιλιοκατοντακωπῶν πεντεκαιδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν χιλιοεικοσικωπῶν πεντεκαιδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν χιλιοεξηκοντακωπῶν πεντεκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν χιλιοτριακοντακωπῶν ἑκκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν χιλιοτεσσαρακοντακωπῶν ἑκκαιδεκακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν χιλιοπεντηκοντακωπῶν ἑκκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν χιλιοεξηκοντακωπῶν ἑπτακαιδεκακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν χιλιοεβδομηκοντακωπῶν ἑπτακαιδεκακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν χιλιοογδοηκοντακωπῶν ἑπτακαιδεκακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισχιλιοκατοντακωπῶν ἑπτακαιδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισχιλιοεικοσικωπῶν ἑπτακαιδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισχιλιοεξηκοντακωπῶν ἑπτακαιδεκακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισχιλιοτριακοντακωπῶν ὀκτωκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισχιλιοτεσσαρακοντακωπῶν ὀκτωκαιδεκακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισχιλιοπεντηκοντακωπῶν ὀκτωκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισχιλιοεξηκοντακωπῶν ἐννεακαιδεκακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισχιλιοεβδομηκοντακωπῶν ἐννεακαιδεκακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισχιλιοογδοηκοντακωπῶν ἐννεακαιδεκακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισχιλιοκατοντακωπῶν ἐννεακαιδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισχιλιοεικοσικωπῶν ἐννεακαιδεκακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισχιλιοεξηκοντακωπῶν ἐννεακαιδεκακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισχιλιοτριακοντακωπῶν εἰκοσακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισχιλιοτεσσαρακοντακωπῶν εἰκοσακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισχιλιοπεντηκοντακωπῶν εἰκοσακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσαπρωτακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισχιλιοεβδομηκοντακωπῶν εἰκοσαπρωτακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισχιλιοογδοηκοντακωπῶν εἰκοσαπρωτακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισχιλιοκατοντακωπῶν εἰκοσαπρωτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισχιλιοεικοσικωπῶν εἰκοσαπρωτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσαπρωτακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισχιλιοτριακοντακωπῶν εἰκοσαδευτερακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισχιλιοτεσσαρακοντακωπῶν εἰκοσαδευτερακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισχιλιοπεντηκοντακωπῶν εἰκοσαδευτερακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσατριτακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισχιλιοεβδομηκοντακωπῶν εἰκοσατριτακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισχιλιοογδοηκοντακωπῶν εἰκοσατριτακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακισχιλιοκατοντακωπῶν εἰκοσατριτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακισχιλιοεικοσικωπῶν εἰκοσατριτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσατριτακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακισχιλιοτριακοντακωπῶν εἰκοσατετρακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακισχιλιοτεσσαρακοντακωπῶν εἰκοσατετρακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακισχιλιοπεντηκοντακωπῶν εἰκοσατετρακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσαπεντακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακισχιλιοεβδομηκοντακωπῶν εἰκοσαπεντακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν πεντακισχιλιοογδοηκοντακωπῶν εἰκοσαπεντακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακισχιλιοκατοντακωπῶν εἰκοσαπεντακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακισχιλιοεικοσικωπῶν εἰκοσαπεντακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσαπεντακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακισχιλιοτριακοντακωπῶν εἰκοσαεξακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακισχιλιοτεσσαρακοντακωπῶν εἰκοσαεξακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακισχιλιοπεντηκοντακωπῶν εἰκοσαεξακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσαεπτακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακισχιλιοεβδομηκοντακωπῶν εἰκοσαεπτακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑξακισχιλιοογδοηκοντακωπῶν εἰκοσαεπτακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακισχιλιοκατοντακωπῶν εἰκοσαεπτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακισχιλιοεικοσικωπῶν εἰκοσαεπτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσαεπτακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακισχιλιοτριακοντακωπῶν εἰκοσαοκτακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακισχιλιοτεσσαρακοντακωπῶν εἰκοσαοκτακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακισχιλιοπεντηκοντακωπῶν εἰκοσαοκτακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσαεννακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακισχιλιοεβδομηκοντακωπῶν εἰκοσαεννακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἑπτακισχιλιοογδοηκοντακωπῶν εἰκοσαεννακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακισχιλιοκατοντακωπῶν εἰκοσαεννακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακισχιλιοεικοσικωπῶν εἰκοσαεννακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακισχιλιοεξηκοντακωπῶν εἰκοσαεννακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακισχιλιοτριακοντακωπῶν τριακοντακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακισχιλιοτεσσαρακοντακωπῶν τριακοντακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακισχιλιοπεντηκοντακωπῶν τριακοντακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακισχιλιοεξηκοντακωπῶν τριακονταπρωτακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακισχιλιοεβδομηκοντακωπῶν τριακονταπρωτακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ὀκτακισχιλιοογδοηκοντακωπῶν τριακονταπρωτακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακισχιλιοκατοντακωπῶν τριακονταπρωτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακισχιλιοεικοσικωπῶν τριακονταπρωτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακισχιλιοεξηκοντακωπῶν τριακονταπρωτακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακισχιλιοτριακοντακωπῶν τριακονταδευτερακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακισχιλιοτεσσαρακοντακωπῶν τριακονταδευτερακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακισχιλιοπεντηκοντακωπῶν τριακονταδευτερακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακισχιλιοεξηκοντακωπῶν τριακονταδευτερακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακισχιλιοεβδομηκοντακωπῶν τριακονταδευτερακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν ἐνακισχιλιοογδοηκοντακωπῶν τριακονταδευτερακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισμυριοκατοντακωπῶν τριακονταδευτερακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισμυριοεικοσικωπῶν τριακονταδευτερακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισμυριοεξηκοντακωπῶν τριακονταδευτερακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισμυριοτριακοντακωπῶν τριακονταδευτεροκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισμυριοτεσσαρακοντακωπῶν τριακονταδευτεροκαιδεκακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισμυριοπεντηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροκαιδεκακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισμυριοεξηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροτριτακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισμυριοεβδομηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροτριτακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν δισμυριοογδοηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροτριτακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισμυριοκατοντακωπῶν τριακονταδευτεροτριτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισμυριοεικοσικωπῶν τριακονταδευτεροτριτακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισμυριοεξηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροτριτακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισμυριοτριακοντακωπῶν τριακονταδευτεροτεσσαρακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισμυριοτεσσαρακοντακωπῶν τριακονταδευτεροτεσσαρακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισμυριοπεντηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροτεσσαρακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισμυριοεξηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροπεντακισχίλιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισμυριοεβδομηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροπεντακισχίλιαι καὶ διακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τρισμυριοογδοηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροπεντακισχίλιαι καὶ τετρακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισμυριοκατοντακωπῶν τριακονταδευτεροπεντακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισμυριοεικοσικωπῶν τριακονταδευτεροπεντακισχίλιαι καὶ πεντακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισμυριοεξηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροπεντακισχίλιαι καὶ ἑξακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισμυριοτριακοντακωπῶν τριακονταδευτεροεξακισχίλιαι καὶ ἑπτακόσιαι καὶ εἴκοσι πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισμυριοτεσσαρακοντακωπῶν τριακονταδευτεροεξακισχίλιαι καὶ ὀκτακόσιαι καὶ ἑξήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισμυριοπεντηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροεξακισχίλιαι καὶ ἐννακόσιαι καὶ ἐνενήκοντα πάροδοι· ἐπὶ δὲ τὴν τετρακισμυριοεξηκοντακωπῶν τριακονταδευτεροεπτακισχίλιαι καὶ εἴκοσι π

Ut vero cognoſcamus ne immenſam quidem illam Philopatoris molem pluribus quam ſeptem inſtructam fuiſſe remorum ordinibus, pauca de diverſis remigum dicemus intervallis.

In hodiernis itaque Liburnicis ſcalmi & remigum juga, ſi quando minimum tribus, cum vero plurimum, quatuor à ſe invicem diſtant pedibus. Ferdinandus tamen Oliverius Luſitanus, vir nauticæ peritiſſimus, affirmat ſufficere unam goam, ſeu pedes duos cum ſemiſſe, quantum nempe remigis corpus & extenta brachia & crura ſibi vindicant. Quamvis enim inſtante portiſculo & fervente lato, ut vocant, remigio, remus & corpus remigis duplum percurrant ſpatium, & plus quam quinque pedum intercipiant intervallum; nihil tamen hoc officit, cum & procumbentes in priori, & decumbentes in ſequenti jugo remiges hoc concedant ſpatium. Quia tamen nimiam remigum conſtipationem viroſus pœdor & ſepe peſtis conſequitur, prudentibus ſemper placuit trierarchis, ut non quidem ipſa juga, ſed quod inter ſingula juga intercedit ſpatium, majus aliquanto habeat laxamentum.

In antiquis vero triremibus non eadem ſemper ratione conſideranda ſunt remigum intervalla. Nam ſi in directum & ad perpendiculum ſibi invicem imminerent remi, ſufficiebat ſpatium trium pedum aut etiam duorum ſemis, quo remiges à remigibus diſtinguerentur. At vero ſi obliquo clivo remorum ſurgerent ordines, ſeptem minimum pedibus ejuſdem ordinis remiges à ſe invicem aberant. Fieri hoc non potuit in octere Pontica, quam deſcribit Memnon, in cujus ſingulis ordinibus centum fuiſſe affirmat remiges. Nam ſi illis intervallum ſeptem pedum tribuas, habebis navem longam pedibus ſeptingentis etiam abſque prora & puppi, latam vero pedes plus minus centum, neque enim alias mari ferendo fuiſſet idonea. Clare hinc conficias unico tantum navem hanc inſtructam fuiſſe remorum ordine & ſingulis remis octonos adſidiſſe remiges. Aut ſi tres remorum

rum fuere ordines, ita eos numerandos esse, ut primum ordinem constituat remus thalamiticus; secundum, tertium & quartum ordinem zygitarum remus; reliquos quatuor remus thranitarum. Sic quoque immensæ propemodum magnitudinis habebis navem, non tamen longiorem trecentis & quinquaginta pedibus, & forsan trecentorum tantum, si actiori aliquanto quam trium pedum intervallo remiges constrinxeris.

Nec tamen propterea opus fuit, ut remiges magno supra verticem distarent spatio, cum in tam vasta navi & quadraginta fere pedes lata, satis fuerit loci, ut sine fori dispendio vel hac vel simili ratione collocari remiges potuerint.

At vero in Philopatoris navi, fieri non potuit ut talis remorum fuerit collocatio. Nam si trium tantummodo pedum ejusdem ordinis remos intercessisset spatium τὸ ἔγκωπον, sive pars remis destinata non nisi centum in tanta navi occupasset cubitos, vacuumque remis reliquum centum octoginta cubitorum fuisset spatium. Atqui in omnibus navigiis quæ remis aguntur, plus quam tres quartæ partes à remigibus tenentur, in hac vero Philopatoris navi sextam tantum longitudinis partem remis fuisse vacuam sic conficio. Ex Athenæo constat quinquaginta tantum remiges in singulis sedisse ordinibus. Inde facile colligas remiges istos per obliqua parallelogramma fuisse dispositos. Monuimus vero supremos remorum scalmos non plus quam novem à superficie maris abfuisse pedibus. Quæritur jam cujus formæ & longitudinis ista fuerint parallelogramma. Si brevia nimis fuisse existimemus, pauciores habebimus remorum ordines, & multa relinquentur loca vacua: si vero admodum fiant longa, tanto erunt angustiora remigum intervalla, quanto longiora fiant parallelogramma, fietque ut remi in scamna & scabella remigum impingant. Ut itaque justam habeamus mensuram, sit in figura squenti A B spatium novem pedum. Videamus quot sedilia nautica locus iste capiat. In hodiurnis Liburnicis singulis sedibus vulgo

tribuunt


C
P
G
N
M
L
K
F
E
D
A
B

tribuunt altitudinem pedis & dextantis, ſive unciarum XXII. Altius enim ſi ſedeant remiges, ſtant potius quam ſedent, & laborioſe ſurgunt, ſi depreſſiora fuerint ſedilia. Et nos iſtam ſequamur menſuram, ſed ea ratione, ut ſcabella, quibus ſuperiorum remigum innituntur pedes, quatuor unciis ſint depreſſiora ſedilibus, ita ut intervallum altitudinis inter ſingula ſedilia ſit unius cubiti, ſpatiumque novem pedum ſex contineat ſedilia.

Promoveantur jam in directum ſedilia eatenus donec ſecundi jugi remex ſedens in E planta pedis ſui contingat ſcabellum ſubjectum ſedili inferioris remigis ad D, & ſimiliter remex occupans ſedile F, contingat ſcabellum ſuppactum ſedili E, & ſic porro in G, H, I.

Satis hinc colligas in hac obliqua remigum callocatione juſtum quod ſingula juga intercedere debeat intervallum duorum eſſe pedum & trientis, ita ut ſpatium D K, quod baſin parallelogrammi conſtituit, ſeptem minimum abſumat pedes. Idem tamen ſic quoque efficias, ſedili remigis vulgo tribuitur latitudo ſemipedis; cui ſi addas ſpatium ſcabelli, habebis pedem integrum. Remus fervente remigio ad tres excurrit cubitos in directum. Remigis pectus novem occupat uncias, & totidem ſuperioris remigis genua ultra ſedile prominentia, quæ ſimul juncta pedes conficiunt ſeptem.

Sed & ipſe remorum motus manifeſte evincit, non poſſe iſtos arctiori quam iſtoc includi ſpatio. Verum cum haud parva occurrat difficultas in explicanda ratione, qua tot remorum ordines ſubſiſtere potuerint, adeoque non defuerint jam à ducentis pene annis, qui fabuloſum eſſe exiſtimarint, quidquid veteres de multiplici iſtoc remorum ſive obliquo, ſive erecto conſurgentium providere ordine; non inutilem, ut ſpero, præſtabimus operam, ſi curſus & recurſus remorum in ſingulis perſequamur ordinibus, ut perſpecto & ſublato eo, in quem multi impegere ſcopulo, commoda triremibus ſuccedat navigatio.

In eo itaque quod hic exhibemus diagrammate inferioris ordinis remex reclinatus ſedens in $\varkappa$, promoveat remum à pectore α verſus β. Moveatur deinceps à β verſus γ, ubi mare ſubeat, cujus ſuperficiem ponamus eſſe B C. Uno nempe cubito, aut ſi mavis duobus pedibus, depreſſius eſt mare ſcalmo inferioris remigis. A γ deinceps reducatur remus ad α. Planum eſt ſpatium hoc abunde ſufficere ad pulſandum fortiter mare.

Secundi ordinis remex ſedens in L promoveat remum à δ verſus ε, & inde uſque ad ς, ubi demum remus ſubibit mare. Et hic quoque in reducendo ad pectus remo, ictum poteſt infligere ſufficientem.

At vero tertii ordinis remex ſedens in M, & ducens remum à ζ verſus $\varkappa$, & inde ad θ, ubi demum remus ad juſtam menſuram ſubibit mare, & ipſe quoque validum ſatis in reducendo remo à θ verſus ζ infliget ictum.

Quartus autem remex ſedens in N; eſt fere inutilis, cum immerſio remi, niſi ſimul ſubſequatur ictus, retardet potius quam promoveat navem, Planum quippe eſt, cum remus ducitur ab ι ad $\varkappa$, & inde adſcendat ad λ, ubi demum ſubibit aquas, non poſſe, quando ab λ ad ι revertitur, ullam fieri percuſſionem commodam.

Quintus remex ſedens in o, cum promovet remum ab μ ad ν, prorſus erit damnoſus. Quippe ſi promoveat & attollat remum uſque ad ξ, ubi demum occurret mari, ictum infliget averſum, & tam in promovendo, quam reducendo remo, retardabit navigium.

Si quis ſuperiores perſequatur remiges, tanto ſemper major occurret difficultas, & abſurditas, quanto quis altius faciat aſcendere ſummum remi manubrium. Itaque miror Palmerii & aliorum imprudentiam exiſtimantium quadraginta ordinum, qua ipſi voluere ratione, poſſe ſubſiſtere remigium, cum à tertio remige omnes prorſus fiant inutiles & retardent potius quam promoveant curſum navigii. Nec quidquam proficiunt, cum non magnam

remi

remi portionem intra ſcalmos exſtitiſſe affirmant, nam ne ſic quidem tollitur difficultas, & creſcit abſurditas cum tantas trabes ab uno regi potuiſſe contendunt homine, cum ne minuti quidem, ſi cum his comparentur, Liburnicarum remi, quidquam proſint, ſi unum tantummodo habeant rectorem, etiamſi duodecim à ſcalmo remotus ſedeat pedibus. Quod ſi idem non niſi uno à ſcalmo abeſſe fingatur pede duodecima tantum ipſi ſupererit potentiæ pars, ac vix latum unguem promovebit remum, cum ſit æterna lex ſtaticæ, ut unus homo viginti à ſcalmo remotus pedibus tantundem habeat potentiæ ac habeant viginti homines, qui uno tantum à ſcalmo abſint pede.

Cum itaque tot & tanta in aliorum paſſim occurrant ſcriptis non incommoda tantum, ſed & quæ talia ſint, ut prorſus fieri nequeant ipſa reclamante natura, noſtram nunc porponamus ſententiam, qua omnibus iſtis difficultatibus ex æquo ſatisfiat. Sic ergo ſentio. Inferioribus tantum remis ſingulos aſſidiſſe remiges, cæterorum vero ordinum remos, quanto altiores eſſent, quantoque longius diſtarent à ſcalmis, tanto quoque pro ratione longitudinis à pluribus adminiſtratos fuiſſe rectoribus. Gradus & ordines decem, quindecim, viginti, triginta & quadraginta remigum, quos memorant veteres, non quærendos eſſe in totidem remorum ordinibus, ſed præcipue in ipſis remigum jugis ſeu ſedilibus, ad quæ per gradus aſcendebatur. Non enim ut fere ſemper fieri ſolet vulgo, mari parallela fuere remigum ſedilia, ſed ad legem fere tabulatorum navis depreſſiora prope ſcalmos, elevatiora vero in media fuere navi, ita ut qui in eodem jugo, medio eſſent propinqui foro, integro cubito eminerent, ſupra eos qui ſcalmis eſſent vicini. Hæc ſi admittantur, quod ſane æquum puto, omnia fluent feliciter nec quidquam ſupererit incommodi. Ut hoc planum fiat reſumamus præcedens Schema, ſed ad hanc legem reformatum, ut remigum ſedilia paulatim aſſurgant. Sit itaque ſuperficies maris C C. Scalmi primi remorum ordinis ſint ad B B, &

A
B
C
A
B
C

ſic porro uſque ad A A ubi ſunt ſcalmi ſexti remorum ordinis diſtantes à ſuperficie maris pedibus novem, ſinguli quippe ſcalmorum ordines ſingulis diſtant cubitis. Sit itaque inferior ſcalmus ad B, à quo abſit ſedile inferioris remigis pedibus quatuor, totidemq; unciis ipſo ſcalmo altius, ſingulis quippe pedibus, ſingulæ addendæ ſunt unciæ. Si itaque ab hoc remige, ſive Thalamita, ducatur remus ab α ad β, & inde aſcendat ad γ; ſufficienter aquam ſubibit.

Secundi ordinis remex ſupremus remotus à ſcalmo pedibus ſeptem, totidemque unciis ſupra ſcalmum elevato inſidens ſedili, movebit remum per δ, ε, ζ.

Tertius remex decem unciis elevatior ſuo ſcalmo, & remotus ab eodem pedibus decem, cum ducit remum deſcribet triangulum quale eſt θ, κ, ι.

Similiter quarti ordinis ſupremus remex uncia & integro pede altior ſedens ſuo ſcalmo, à quo remotus eſt pedibus tredecim, promovebit remum ab μ ad ν, & inde ad ξ, ubi ſufficienter mergitur.

Quinti ordinis, remex ſupremus, ſedecim pedibus remotus à ſcalmo, totidemque unciis altius habens ſedile, cum ducit remum ab ο ad ξ, & inde ad π, & ipſe poteſt promovere navigium, reducendo fortiter remum à π ad ο.

Sed & omnium quotquot ſub tranſtris agunt altiſſimi ſexti ordinis remiges, & ipſi quoque promovent navem. Horum ſupremus & proximus medio foro, remotus à ſcalmo pedibus novemdecim, totidemque unciis illo altius habens ſedile, commodius etiamnum quam quinti jugi remiges, quo velit poteſt ducere remum, cum nulla occurrant ſcabella & ſedilia, quæ curſum remi impediant, quem libere à quocunque quod contingere poſſit puncto, in altitudine ρ conſtituto, poteſt reducere.

Ex hoc porro & ex ſuperiori diagrammate manifeſte ſatis conficitur, remorum in communi ſerie ſurgentium ordines, vix poſſe ultra ſextum produci ordinem, non tantum quod remigium

remigium ſit inutile, ſi à puncto quod vertici imminet, aut huic vicinum ſit, adducendi ſint remi; ſed & quod ipſa natura non permittat, ut remi ad majorem excreſcant longitudinem, & etiamſi permittat, regendo tamen non ſint futuri idonei.

Ut vero ſciamus quot juga, & quot in ſingulis jugis ſederint remiges, redeamus ad maximos remos, quorum longitudinem quinquaginta ſeptem pedum fuiſſe conſtat. Cum in omni remigio inter nauticæ peritos fere conveniat, ut tertia pars remi faciat interſcalmium, & nos hanc ſequamur legem & ponamus à ſcalmo uſque ad ſummum remi capulum interceſſiſſe ſpatium pedum novemdecim. Sed cum ſcalmi nomine vulgo cenſeatur tota coſtarum & tedæ latitudo, quæ in tanta navi minimum duorum eſſe debuit pedum, rectius integrum addemus cubitum, incipiendo ab epiſcalmio, puncto nempe ubi fit decuſſatio.

Quæramus nunc quanta pars interſcalmii remigum fuerit vacua. Vulgo in Liburnicis ſeu Galeis, ſi interſcalmium fuerit ſeptemdecim ſpithamarum, decem cedunt ad capiendos quinque remiges, reliquum ſeptem ſynthamarum ſpatium vacat, cum experientia docuerit vanum eſſe remigum laborem, ſi nimium fuerint vicini ſcalmis. Olim in navigiis quæ uno tantum remorum eſſent inſtructæ ordine, eandem olim obſervatam fuiſſe legem ex Heſychio colligo. Ubi enim interpretatur Homericum iſtud Ἑφ' ἑπταπόδην, tranſtrum nempe, ſeu jugum ſeu ſcabellum ſeptem pedum, quod ſufficeret quinque remigibus, hoc quoque addit ἑπτὰ ἐπὶ δώδεκα, quia jugum ſeptem pedum requirit interſcalmium pedum duodecim. Septem vero ſpithamæ, ſeu ut vulgo loquuntur palmi majores, tribus tantum unciis excedunt pedes quinque.

Cum vero in tam vaſtis remis ratio exigat majus intervallum, ponamus non quinque pedum, ſed quinque cubitorum fuiſſe ſpatium, quod infimos ejuſdem jugi remiges & epiſcalmia intercederet. Id ſi fiat ſupererunt pedes duodecim

duodecim ſemis, quod ſpatium decem continebit remiges, cum unicuique ſufficiant unciæ quindecim. Nimis longe à vero receſſit vir doctus cum ad explicanda & contrahenda brachia unicuique remigi vix duos ſufficere credit cubitos. In hodiernis Liburnicis cum laxe ſedent, unum quiſque remex occupat cubitum, ſed vero ſæpiſſime quindecim tantum uncias. Hanc nempe methodum obſervant remiges, ut dum unus ſublatis ſuperne cubitis, alius iiſdem dimiſſis brachia expandant & colligant. Multo etiamnum id commodius fit, quando ſedilia per gradus creſcunt. Seſquiunciæ enim diſcrimen multam confert facilitatem, ut alter alterius brachia vel ſubeat, vel ſuperet. Qui enim ſic jugati ſedent, attollunt brachium qua inferior aſſidet remex, dum alterum ſuperiori ſubmittunt remigi.

Siquis tamen majus aliquanto ſpatium ſingulis velit largiri remigibus, auferendum de vacante quod diximus intervallo, manente interim decem remigum numero, totidemque ſedilibus, ipſa mole & longitudine remi exigente hunc numerum.

In inferioribus quinque jugis non multum difficultatis, cum & remorum decreſcens proportio & ſedilium in unitatem deſinens ratio, numerum quoque remigum prodat manifeſte. Quo autem pacto diſpoſita fuere juga, ſchema quod addidimus declarabit. Priſmata adjecta ſingulis jugis, ne in tanta declivitate incommode ſedeant remiges, ſingula notant ſedilia. Inferior ordo unum tantum continet remigem, ſecundus duos, tertius quatuor, ſequens ſex, quintus octo, ſextus & ſupremus eorum, qui ſub tranſtris ſint, decem ut diximus exhibet remiges, ita ut in univerſum ſex iſtæc juga triginta & unum contineant ordines. Spatium vero ſub jugis, ſignatum litera A, deſtinatum fuiſſe diverſorum manſionibus & recondendo cibo nautico docet Athenæus; Καὶ χωρὶς ὑπὸ τὰ ζυγὰ ωλῆθος ἀνθρώπων ἕτερον ὑπεσιτισμῦντο ὐκ ὀλιγον.

Cum


A

Cum vero non ad perpendiculum, ſed gradatim ſurgerent remigum juga, duplicemque hac ratione haberent obliquitatem, alteram ad longitudinem, alteram ad latitudinem navis porrectam; non obſcurum ſimilia quoque fuiſſe illa quæ juga ſuſtinerent tigna, decuſſata nempe, clathrata & introrſum vergentia.

Aliquid tamen inter juga & iſtæc tigna relictum fuiſſe exiſtimo ſpatii, per quod τοιχάρχαις, id eſt remigum in ſingulis lateribus ſedentium præfectis aditus ad juga pateret. Nec metuendum ne hac ratione medius navis forus nimis fiat anguſtus. Cum enim inter ſupremos remiges ſpatium pedum novemdecim ſuperſit, etiamſi duos cubitos tribuamus tignis utrinque ſuſtinentibus juga, & totidem obliquo τοιχάρχων adfignemus meatui, ſupererunt nihilominus pedes tredecim, quæ latitudo ſufficit, cum navis hæc tres foros habuerit, fueritque περίπεδος, mediuſque forus viliorum tantum hominum uſibus fuerit deſtinatus.

Veniamus nunc ad ſeptimum remorum ordinem & ad illos qui ſupra tranſtra verſabantur remiges. Quamvis horum videri poſſit altior fuiſſe locus, quam illorum qui inferiores eſſent tranſtris, aliter tamen id ſeſe habet, cum ſexti & ſeptimi ordinis remi æqualiter à mari abfuerint, & utrorumque ſcalmi ejuſdem fuerint altitudinis. Ut hoc clarius intelligamus dicendum nonnihil de tranſtris & cataſtromate.

Tranſtra itaque ſunt tigna navium quæ à pariete in parietem porriguntur, ut interpretantur grammatici. Græcis θεάνος vel θρῆνυς, quod Heſychio eſt ἡ ἐν τῷ μέσῳ πλοίου σανὶς διατείνουσα εἰς τοῖχον. In primitiva tamen ſignificatione tranſtra ſuperiorum remigum dicta fuere ſedilia, cum inferiorum quæ minus erant alta ζυγὰ vel juga dicerentur. Græci θεάνους vocant ab inuſitato θεᾶν, ita ut θεάνος, θρῆνυς & θρόνος, ejuſdem videantur eſſe originis. Hinc θεανίζειν & θεανίσαι & ejecta more uſitato ſibilante litera, θεανίται. Hinc quoque θεάνισσον, unde tranſtrum. pro

ſede ſublimiore. Quia vero iſta navium tigna & ſcabelli vicem præſtarent, & ſimul ſedem remigum ſuperſtructam haberent, hinc factum ut ipſa quoque tigna θράνοι & tranſtra fuerint appellata. Tranſiit dein ad cæteros quoque architectos vocabulum, nam & ſuperiora tigna quæ ædificia continerent tranſtra à Latinis dicta fuiſſe & à Græcis θράνυς, docent Vitruvius & Pollux.

Servata itaque iſtac vocis acceptione tranſtra dicantur ea tigna, quæ non tantum à pariete ad parietem, ſed & longe extra navem utrinque procurrunt, quæque non tantum remigibus uſui ſint, quo longius abſint à ſcalmis, ſed & omnino neceſſaria ad continendam & roborandam navium longarum infirmitatem. Cum enim triremes & longæ naves vix ſeptimam & aliquando octavam tantum latæ fuerint longitudinis partem, qui fieri poſſit ut vel minimis pares fuerint tempeſtatibus, ſi eas hoc fulcro & munimento caruiſſe fingamus? Flumina & ſtagnantes ſemper aquæ iſtiuſmodi aliquando patiuntur navigia; ſed vero nemo prudens infirmis adeo lateribus præditas naves mari commiſerit, frangendas & lacerandas ad primam pelagi ſeditionem. Quamvis autem in antiquis nummis & marmoribus propter aſpectum adverſum non ſemper compareant iſtæ prominentiæ, comparent tamen in pluribus, & ſiquis vel primam quam Bayfius exhibuit conſulat figuram, deſinet dubitare, utpote in qua etiam cantherii ſeu mutuli projecturam iſtam ſuſtinentes manifeſte viſantur. Idem quoque colligi poteſt ex navi quam Archimedes conſtruxit, in qua ſtruppos & remorum ſcalmos convenienti ſpatio extra navis latera remotos fuiſſe teſtatur Athenæus; Ὑπῆρχον δὲ καὶ τῶν τοίχων ἑκατέρωθεν τρόποι προεωσμένοι διάστημα σύμμετρον ἔχοντες & clarius poſtea; Ἄτλαντές τε περιέτρεχον τὴν ναῦν ἐκτὸς ἐξαπήχεις, οἱ τοὺς ὄγκους ὑπειλήφεισαν τοὺς ἀνωτάτω καὶ τὸ τρίγλυφον, πάντες ἐν διαστήματι βεβῶτες. Ut autem nunc, ita quoque olim prominens iſtud tabulatum prout vel proræ vel puppi eſſet vicinum alias aliaſque habuit appellationes. Vulgo quod puppi vicinum

vicinum est jugum puppis, quod proræ, jugum proræ seu rembatam vocant Itali, Olim vero prominentes ad proram partes dictas fuisse maxillas seu alas testatur Pollux; τὰ δὲ πρώρας τὰ ἑκατέρωθεν καλοῦνται παρειαὶ καὶ πτερά. Quæ ad puppim vero πρίτονα. Τὰ δὲ περὶ τὴν πρύμναν προύχοντα ξύλα πρίτονα καλεῖται.. Hyginus in Astronomico ubi de Argo agit vocat rejectum, quod non erat mutandum. Architectis enim rejectus idem est quod projectus, projectura seu projectio, idemque omnino quod protectum, suggrunda, ὀκθέτης, ἐξώστης seu Menianum.

Extrema vero hujus projecturæ tigna velut aures prominentia dicebantur quoque ἐπωτίδες, quas ad puppim collocat Demetrius cubicularius, addens illis affixa fuisse gubernacula, quod nempe ipsa sic jubente ratione, istic essent scalmi seu fulcimenta gubernaculorum. Thucydides tamen & vetustiores Græci longe illo certiores testes, epotidas ad proram collocant. Sed nihil obstat quo minus utrumque verum sit, & utrasque eas partes quæ vulgo dicuntur *giogo di proda* & *giogo di poppe*, dictas fuisse epotidas, ita tamen ut in potiori significatu restrictum fuerit hoc vocabulum ad sola ea tigna, quæ ad παρεξειρεσίαν prope ancoras prominerent. Ut enim nunc, ita quoque olim ex firmissimo & solidissimo tigna hæc construebantur ligno, Itaque jubet Theophrastus Hist. Plant. lib. V. cap. VIII. ut epotides & chelysma, quod vulgo appellant *il sperone*, fabricentur è fraxino, moro aut ulmo; τὸ δὲ χέλυσμα καὶ τὰς ἐπωτίδας μελίας καὶ συκαμίνου καὶ πτελέας· ἰσχυρὰ γὰρ δεῖ ταῦτ' εἶναι. Ea verò ratione firmas esse oportebat epotidas, ne remi detergerentur. In conflictibus enim, ut complura docent exempla, quatuor præcipue erant loca in quæ rostra dirigebantur. Si enim naves essent ἀνάπρωραι & adversis concurrerent frontibus, duæ præcipue ad proram impetebantur epotides, ut nempe iis confractis & detersis scalmis cessaret remigium: vel si circumveniretur navis, impetus à tergo in illas fiebat epotidas, quibus affixa erant gubernacula, ut & hac ratione

detergerentur remi & inutile rederetur navigium. Si quis veterum consulat scriptorum loca, vix unquam alias triremium partes impetitas fuisse inveniet, nisi eas quas diximus, qua nempe ancoræ extarent, vel qua essent gubernacula. Itaque & apud Polybium lib. XVI, ubi vulgo legitur ὑπὸ τὰ βίαχα, omnino scribendum est ὑπὸ τὴν οἴακα. Porro hoc detergendi remos artificio hodiernæ distituuntur actuariæ, utpote quæ rostris omnino careant.

Quod autem catastroma, σαμίδωμα seu tabulatum attinet, id non una eademque semper accipitur ratione. Illud quidem constat transtris incubuisse tabulatum. Verum istud tabulatum non tota occupabat transtra, sed media pars patebat, quam propterea ἀσάνιδον vocatam fuisse testatur Pollux, licet inepte vulgo legatur ἀσάνδιον. Idem quoque docet Demetrius Cubicularius; τὸ δὲ μέσον τῆς πρύμνης καὶ νεὼς μέχρι τῆς πρώρας ἀσάνιδον· τὰ δὲ ἑκατέρωθεν τῶν σοίχων κατάστηγα, κατάστρωμα λέγεται καὶ θράνος καὶ σαμιδώματα. Minime itaque dubitandum, quin in omnibus triremibus & actuariis mediæ semper partes fuerint apertæ. Ipsa quinetiam hoc exigit necessitas, neque enim fieri possit ut inopia respirationis non suffocetur tanta remigum multitudo, si perpetuo tecta tabulato delituisset in tenebris. Non autem solum tecta erat ea transtrorum pars quæ navi continebatur, sed & longe extra navem usque ad thranitarum scalmos excurrebant utrinque tabulata, incumbentia mutulis in quæ desinebant transtra. Quod autem Thucydides plerasque naves longas ante bella Persica caruisse affirmat catastromate, id intelligendum de ea catastromatis parte quæ navi includebatur. Nam certe ne antiquissimas quidem Græcorum naves transtris & tabulato extra navem procurrente fuisse destitutas, vel ipse satis docet Homerus. Sed & Eratosthenes & alii recte Argo navi tribuunt catastroma. Nec sane absque eo constare possit longarum navium remigium. Itaque cum negat Thucydides catastromatis antiquas Græcorum naves fuisse tectas, id ita accipiendum, ac

si

ſi dixiſſet, non conſtratas, ſed apertas fuiſſe omnes, quemadmodum ſunt hodiernæ Liburnicæ, ſeu galeæ, quæ licet & ipſæ ſint apertæ, habent tamen exterius cataſtroma, in cujus extrema projectura conſiſtunt milites, quemadmodum & olim. Ipſa hoc ſatis declarant Thucydidis verba, cum ſcribit ὅπου ἀφὶ πάσης εἶχον καταστόμια. Et ſane ne piſcatorii quidem lembi, ſi pluribus eſſent inſtructi remigibus, carebant cataſtromatis, uti ex Alciphronis conſtat epiſtolis.

Tranſtris & coſtis navium conſerti erant mutili uſque ad ſcalmos porrecti. Ipſos autem mutulos ſuſtinebant atlantes ſeu telamones, quemadmodum in navi Hieronis affirmat Athenæus, addens eos fuiſſe ſex cubitorum, à ſummis videlicet ſcalmis uſque ad mare totum remigii ſpatium occupantes. Telamonum autem ſeu atlantum eadem eſt ratio, ac Cariatidum, erant enim ſtatuæ virorum ſeu mulierum, columnarum loco ſuſtinentium mutulos & coronas. Idem vero notat ἄτλας & τλάμων, pro quo telamonem dixere Latini, accipiunturque hæc vocabula pro quibuſvis ἀχθοφόροις & qualibet re onus aliquod ſuſtinente, ſive ſit homo, ſive animal, ſeu quodcunque aliud. Telamonis ſeu atlantis figuram exhibet Polletus in antiquitatibus Nemauſenſibus, quamvis ipſe perperam de mimo acceperit, quorum tamen non eſt munus onera geſtare. Caryatidis ſtatuam memini me olim vidiſſe inter marmora Arundelliana, mulieris nempe ſtolatæ, manibus poſt occiput reductis, & elevatis cubitis & ſubmiſſo nonnihil capite ſuſtinentis pondus. Architecti hodierni manibus brachiiſque demiſſis effingunt Caryatidas, quod tamen minime eſt concinnum.

Iſtiuſmodi tamen ſignis quo minus inſtructæ eſſe potuerint Philopatoris & Hieronis naves hæc obſtat ratio, quod ſcalmi non niſi duorum pedum & trientis à ſe invicem abfuerint intervallo, à quo auferendum illud, quod motu ſuo remi deſcribunt ſpatium, hoc vero licet prope ſcalmos ſit exiguum,

exiguum, eſt tamen iſtiuſmodi, ut vix quindecim unciarum relinquat locum telamonibus, qui pro ratione altitudinis plus quam duos pedes latitudinis exigunt: unde manifeſte conficitur, non fuiſſe ſigna perfecta, ſed mixti generis, quemadmodum hermæ, & qualia in antiquis marmoribus ſæpe occurrunt, capite quidem humano & ſublatis cubitis ſuſtinentia mutulos, ſed in quadratam deſinentia columellam, ſuperne latiorem quam ad imum ſcapum & mari vicinum fulcimentum. Iſtiuſmodi porro telamones Thucydides vocat ἀντηρίδας cum lib. VII. dicit Syracuſanos naves ſuas ita fabricaſſe, ut breves quidem, ſed ideo firmiores haberent proras; epotidas vero conſtruiſſe craſſas & ſolidas, eoque fortiores quod & intra & extra coſtas navium ſuppactæ illis eſſent ſex cubitorum anterides, ejuſdem nempe menſuræ atque fuere telamones ſeu anterides in ea de qua diximus Hieronis navi; καὶ τὰς πρώρας τῶν νεῶν ξυντεμόντες ἐς ἔλασσον, στεριφωτέρας ἐποίησαν, καὶ τὰς ἐπωτίδας ἐπέθεσαν ταῖς πρώραις παχείας, καὶ ἀντηρίδας ἀπ' αὐτῶν ὑπέτειναν πρὸς τοὺς τείχους ὡς ἐπὶ ἓξ πήχεις ἐντός τε καὶ ἔξωθεν. Imprimis vero notandus eſt hic locus, quod & ex eo clare ſatis confici poſſit, thraniticorum remorum ſcalmos nunquam plus novem pedibus abfuiſſe ab aquæ ſuperficie, & pleraſque plurium remorum ordinibus inſtructas naves in hac conveniſſe menſura.

Redeamus nunc ad thranitarum remos, quorum ut diximus ſcalmi non erant altiores, quam fuere ſupremorum zygitarum ſcalmi. Sedebant nempe thranitæ in cataſtromate, non ſupra, ſed ad latus potius ſuperiorum zygitarum. Si enim tranſtra A B in medio patentia, nempe à C uſque D. Cataſtroma ſeu pars tranſtrorum tabulis utrinque conſtrata à D uſque ad E & à C uſque ad F protendebatur. Scalmus ſuperioris zygitarum remi ad A & B. Scalmi thranitarum remi ad F & E, æquali à maris ſuperficie intervallo diſtantes ac ſuperiorum zygitarum ſcalmi. Sed & ſumma manubria remi zygitarum in G, H, & thrani-


F
H
I
G
O
Q
P
H
K
L
E

thranitarum in I, K, æquali à mari aberant ſpatio, pedibus nempe tredecim ſemis. Eadem eſt ratio ſedilium ſubjectorum remo thranitico à K ad L & ab I ad M. Sed & quæ uſque ad ſcalmos ſuperſunt vacantia remigibus ſpatia cubitorum quinque ſeu pedum ſeptem ſemis, & illa quoque fuere æqualia.

Cum itaque ejuſdem molis & magnitudinis fuerint remi ſuperiorum zygitarum & thranitarum, ſupereſt ut totidem quoque his aſſidiſſe credamus remiges. Monuimus vero ſex remorum ordines, triginta & unum continuiſſe remigum ordines, incipiendo ab infimo thalamita, uſque ad ſupremum zygitam. Si ergo parem thranitarum addamus numerum habebimus in ſeptem jugis quadraginta & unum remiges, per gradus in totidem aſſurgentes ordines.

Jam vero cum ex Athenæo conſtet quinquaginta remos in porrectum habuiſſe iſtam Philopatoris navem, altitudo vero ſeptem fuerit remorum; clarum eſt trecentos & quinquaginta in unoquoque latere remos fuiſſe, ita ut ſeptingentorum navis hæc fuerit remorum. Sed vero cum ſeptem remorum juga, continuerint gradus, ſedilia & remiges quadraginta & unum, & hoc quoque patet in unoquoque latere fuiſſe remiges bis mille & quinquaginta, ita ut totum remigium fuerit centum ſupra quater mille remigum. Rotundo tamen numero dicta fuit πεντεκαιτεσσαρακοντήρης ſeu quadraginta ordinum navis, cum unum & quadraginta contineret ordines. Hoc confirmat Athenæus, cum plures quam quater mille in ea fuiſſe ſcribit remiges.

Tranſtra quod attinet, inter quæ movebantur ſuperiorum zygitarum remi, illa ſeptem à ſe invicem abfuiſſe pedibus, ex iis quæ jam diximus, ſatis, ut puto manifeſte poteſt colligi. Monuimus quoque ſpatia ſubjecta remigibus in O & P, deſtinata fuiſſe cibo nautico & multis aliis uſibus. Forum medium, ad quod per multos deſcendebatur gradus, quemadmodum & in navi Hieronis, eſt Q. Reliqui duo fori, cujus partem occupabant thranitæ protendebantur

à ſcal-

à ſcalmis thranitarum, uſque ad navis coſtas. Quia tamen propter occurſum thraniticorum remorum incommodus iſtic eſſet tranſitus, alii utrinque ſuperſtruebantur fori, quorum licet non meminerit Athenæus, meminit tamen Plutarchus in vita Demetrii, cum diſtinguit cataſtroma à foris, & dicit tria fere armatorum militum millia collocata fuiſſe ἐπὶ τῶν παρόδων καὶ τοῦ καταστρώματος. Superiores hos foros Græci antiquiores appellarunt ἐπισκενίδας, recentiores καταπλοῦν, quod militum & tranſeuntium eſſent velut ſolum, pari ratione ac πέλμα vocabatur ea cataſtromatis pars, in qua inferiores conſiſtebant milites.

Quam autem alte navis hæc mare ſubierit licet certo affirmari non poſſit, minimum tamen ad viginti pedes infra maris ſuperficiem fuiſſe depreſſam ex eo confici poteſt, quod utique profundius aquam ſubierit, quam Hieronis navis, longe illa minor, quam tamen non capiebat portus Syracuſanorum, magnarum alias navium capax. Reliqua quæ ad hujus navis pertinent deſcriptionem, ex Athenæo per me licet ut unuſquiſpue pro ſuo colligat captu, nobis enim ea dixiſſe ſufficiat, quæ ad cognoſcendos remigum ordines præcipue faciunt, unde & quid de omninm triremium & plurium ordinum remigio ſentiendum ſit certius aliquid in poſterum ſtatuere poſſimus. Quia tamen non deſunt viri docti, qui non obſtante ea quæ conſequitur abſurditate, ſi tantæ molis remos ſingulis regendos permittamus remigibus; mordicus nihilominus ſuam tuentur ſententiam; operæ pretium fuerit eorum excutere argumenta & videre ecquid iis ſubſit ſolidi.

Quod itaque urgent thraniticos remos à ſingulis rectos fuiſſe thranitis, ideoque majus meruiſſe ſtipendium quam thalamitas, qui brevioribus utebantur remis, in eo omnino fallit illos ratio. Non enim ideo major thranitarum erat merces, quod graviores tractarent remos, hunc enim laborem plures inter ſeſe partiebantur; ſed quod in reducendo ſupra caput remo ſurgere cogerentur, & non ſedentes

tantum, sed & stantes remigarent; quod non faciebant thalamitæ, qui sedilibus suis semper erant affixi. Quamvis itaque plures eundem ducerent remum, quia tamen laboriosius erat eorum remigium, ideo ὀρθιοκώποι dicti. Hesychius; Ὀρθιοκώπους, ἐξορθουμένους ἐν τῷ ἐρέσσειν ἐπιπόνως. Pari ratione & νόμος ὄρθιος ἐπίπονος dicitur quod à stantibus sublatissima caneretur voce.

Cum vero negant apud ullum veterem scriptorem occurrere mentionem remorum, qui à pluribus ducerentur remigibus; & tum quoque non recte sentiunt. Fefellit nempe eos quod nescierint vocem remi apud Græcos & Latinos, non tantum accipi pro instrumento, quod tractant remiges, sed quemadmodum navigium & pro navi & pro ipsa sumitur navigatione, ita quoque remos poni non tantum pro remigio, sed & pro ipsis remigibus. Itaque apud Ciceronem V. in Verrem cum dicit Syracusanos piratarum multitudinem conjecisse ex ipso navigio, *quod erat factum sex remorum numero*, vix aliter interpretari possis, quam de sex remigum ad eundem remum sedentium ordine. Cum enim myoparones & cætera navigia piratica fuerint humilia & prorsus similia hodiernis galeis, absurdum omnino fuerit de sex remorum ordinibus in altum crescentibus locum hunc exponere, neque enim solent ad pompam suas exstruere naves piratæ. Quod si sex tantum navem hanc instructam fuisse credamus remis, multo etiamnum hoc absurdius, & inde paucitatem potius quam multitudinem piratarum collegissent Syracusani. Superest itaque ut de sex remigibus eundem regentibus remum locum hunc intelligamus. Quod siquis miretur sex remorum à Cicerone dici navigium quod sex remigum contineret ordines, idem & jam miretur licet, quod triremis & quadriremis & plurium ordinum naves, nomen à totidem acceperint remis.

Hujus porro vocabuli in hoc significatu ignoratio, fecit quoque ut non intelligatur locus Manilii lib. V, cum dicit illum qui sub Delphino nascatur fore natatorem insignem, futu-

futurumque ut sit *Portuno remus in ipso.* Quemadmodum vero hoc loco remum posuit pro remige, ita libro primo remigem posuit pro remigio, *& vagus in cæcum penetravit remige Pontum.* Sic enim habent optima exemplaria, quæ perperam mutata sunt à viris doctis. Recte itaque in optimis glossis legas; *Remix*, κωιπηλασία. Eadem quoque ratione accipienda sunt alia quæ apud scriptores passim occurrunt loca, uti cum apud Livium lib. XXXIII memoratur navis Philippi regis, *quam sedecim versus remorum agebant.* Cum enim natura, ut jam ostendimus, non patiatur ut tot remorum versus, vel obliquo, vel erecto ordine invicem sibi superstruantur, clarum est & hic quoque remos poni pro remigibus, & proinde locum hunc ita accipiendum, ac si dixisset, remos sexdecim continuisse versus seu ordines, cum vocibus istis promiscue utantur scriptores. Quandoquidem in magnis navibus plures semper sunt remiges, quam remi credibile est navem hanc non nisi quatuor habuisse remorum ordines, ita ut inferiores remi unum, secundi tres, tertii quinque, supremi septem habuerint remiges. Verum hæc incerta.

Locus Flori ubi dicit Antonii naves à Senis ad novenos excrevisse remorum ordines, eadem accipiendus est ratione, ut nempe per ordines remorum notentur ordines remigum, remis vel singulis, vel pluribus assidentium. Ut enim novem remorum fiat superstructio, id fieri non potest, & licet fingamus fieri posse, inutilis tamen futurus est tantus apparatus. Non me fugit ita interpretatos esse viros doctos locum Pausaniæ in Atticis, cum scribit nullum se majus vidisse navigium eo quod esset in Delo, utpote quod à catastromate ad novem porrigeretur remiges. τὸ δὲ ἐν Δήλῳ πλοῖον οὐδένα πω νικήσαντα οἶδα καθῆκον εἰς ἐννέα ἐρέτας ἀπὸ τῶν καταστρωμάτων. Sed qui altitudines metiuntur, non à summo, sed ab imo incipiunt. Itaque reponendum censeo ὀπὶ τῶν καταστρωμάτων. Superiores nempe thranitarum remi novum continebant remiges. Hic est secundum Vitruvium

legitimus modus colligendi menſuram navium, ex numero enim remigum qui ſuperiores regerent remos, cognoſcitur quoque menſura interſcalmii. Ejuſdem itaque menſuræ Deliacum iſtud poſſit videri navigium, ac maximæ in claſſe Antonii fuere naves, ſi verum ſit ſuperiores remos novem fuiſſe ordinum. Plutarchus tamen & Dion etiam decem ordinum naves Antonium habuiſſe ſcribunt. Verum cum non conſtet quanta fuerit remorum longitudo in his navibus, unde ipſarum menſuram & numerum remigum poſſimus colligere, intempeſtivum quoque eſt velle divinare, quot in his navibus fuerint remorum ordines, & quot ſingulis remis aſſiderint remiges. Certius aliquid poſſimus affirmare de navibus Cæſaris Auguſti, quæ aut omnes, aut certe pars major fuere Liburnicæ, quarum minimi remi erant trium, maximi ſex ordinum. Ut vero hæc planiora fiant, non inutile erit, ſi de Liburnicarum ſtructura nonnihil dicamus.

Licet antiquiſſimis temporibus ejuſdem fere ac Liburnicæ conditionis conſtructæ fuerint naves, ſiquidem myoparones & cætera piratica navigia quoad remigium prorſus his fuere ſimilia, niſi quod bello minus eſſent idonea, utpote aperta & roſtris ut plurimum deſtituta; ignotum tamen fere fuit Liburnicarum nomen uſque ad Auguſtum Cæſarem, à cujus demum temporibus propter inſignem bello Actiaco navatam operam, tantam obtinuere claritatem, ut præter Liburnicas vix alias bellicis uſibus deſtinatas fuiſſe communi omnium fere ſcriptorum conſtet ſuffragio.

Fabricam earum multum à triremibus diſcrepaſſe docet Suidas. Nempe cum pluribus triremes aſſurgerent remis, quorum alii aliis eſſent altiores; & experientia nihilominus doceret iſtam remorum altitudinem haud parum officere celeritati navium, ſimulque obſervarent, quanto vicinius mari eſſet remigium, tanto Velocius moveri navigia: illud jam olim commenti ſunt, ut miſſis pluribus iſtis thalamitarum, zygitarum & thranitarum ordinibus, ad unum eundemque remiges omnes redi-

gerentur

gerentur remum, illum quidem longe majorem, quam ſint remi inferiorum ordinum in triremibus, ſed longe minorem remo thranitarum, qui ut plurimum ſtantes remigabant. Verum hæc de illis Liburnicis accipi velim, quas Vegetius idoneæ vocat menſuræ, quarum remi à tribus, quatuor aut quinque agebantur remigibus, quales hoc quoque tempore juſtæ menſuræ vocantur Liburnicæ. Nam quod minutas attinet, quarum remi à ſingulis pulſabantur remigibus, aut etiam illas, quæ plures quam quinos in ſingulis remis haberent ordines; quantæ menſuræ remos habuerint, vel ipſe remigum ſatis poſſit docere numerus. Cum vero omnium Liburnicarum, quotquot unquam exſtructæ ſunt, aut etiam exſtrui poſſint, maxima fuerit illa Caligulæ, quam ideo δεκήρη vocat Suetonius, quod in ſingulis remis denos haberet remigum ordines, neceſſum eſt ut ejuſdem illi atque in navi Philopatoris fuerint magnitudinis. Pro ratione Liburnicarum, quæ multum deſcrepat ab illa triremium, inſtructa fuit hæc navis remis octoginta ab uno quoque latere, remigibus vero in univerſum mille ſexcentis. Illa tamen remorum & remigum paucitas, ſi cum Philopatoris nave comparetur; nihil obeſt quo minus etiam celerius moveri potuerit illa altera, neque enim quicquam magis obeſt navium progreſſui, quam altitudo remigii, cum non poſſit valida fieri percuſſio, quando alte ſupra caput elevantur remi.

Liburnica etiam fuit illa Caii principis quinqueremis quam memorat Plinius ubi de echeneide agit, quam quadringintos dicit habuiſſe remiges. Quadraginta nempe in unoquoque latere erant remi, & ſinguli à quinis regebantur remigibus.

Quod autem hæc Liburnica porrectius habuerit remigium, quam hoc tempore ſoleant habere Galeaſſæ, ſeu conſtratæ Liburnæ, quæ quamvis ſex cut etiam plures ad ſingulos remos habeant remigum ordines, non pluribus tamen quam triginta utrinque inſtructæ ſunt remis; inde apparet

vel

vel multo latiorem in hac navi fuisse medium forum, vel juga remigum multo fuisse arctiori compressa spatio, quam nostra ætate fieri soleat. Ego utrumque verum esse existimo.

Quas vero Vegetius describit Liburnicas, illas fuisse uno remorum instructas ordine, sed tamen plures habuisse remigum gradus eundem ducentium remum, id vel exinde confici potest, quod jamdiu ante Vegetii ætatem usus & fabrica triremium cessarit. Zozimus enim fere æqualis Vegetio, cum hic sub Valentiano, alter vero sub Theodosio juniore floruerit, affirmat jam à longo tempore desiisse usum triremium, nescirique earum fabricam, licet eam tradidisset Polybius. Verba ejus hæc sunt lib. V. Δοκοῦσι δέ πως τὰ πλοῖα ταῦτα ταχυναυτεῖσθαι πεντηκοντόρων οὐχ ἧττον, κατὰ πολὺ τῶν τριηρικῶν ἐλαττούμενα, πλείστοις ἔτεσι τῆς τούτων ὀκλιπούσης δημιουργίας, εἰ καὶ πολύβιος ὁ συγγραφεὺς ὀκτίσθεσθαί πως ἔδοξε τῶν ὁξηρικῶν πλοίων τὰ μέτρα. Addit Vegetius Romanos artem texendi Liburnicas accepisse à Jadertinis Liburnis. Quod eo magis notandum, quod ab iisdem Jadertinis construendarum harum navium rationem dedicerint quoque Veneti. Quam crebra cum Jadertinis gesserint bella, notum est ex eorum historiis. Nec Adriatico tantum, sed & toto Mediterraneo mari quasi per continuam successionem mansit illa Liburnicarum fabrica qualis sub Cæsare & Augusto maxime commendata fuit. Florentibus vero Venetorum rebus quantæ fuerint horum Liburnicæ seu galeæ, ut vulgo vocantur, vel exinde conjicias, quod in illorum commentariis nauticis memorentur etiam naves quæ à mille aggerentur remigibus. Sed & constratæ & castellis erant munitæ. Harum vestigia in hodiernis etiamnum supersunt Galeassis, quæ & ipsæ constratæ sunt & castella sustinent lignea, ut minime dubitandum, quin ut Galea est Liburnica aperta, ita Galeassa tecta & constrata sit Liburnica. Itaque miror Photium Venetos appellasse κονδοστόλους, acsi classes ipsorum contitissent ex gondolis, omnium fere navigi-

navigiorum minutissimis. Verba ejus in Lexico hæc sunt; Βενεικὸς αἴγας γένος, ἀφυκτοτραγόπους τρυχηνόθριξ, κονδόστολος, ὀλιγάληθος, ἀπλησίαστος χριστιανοῖς, οὐκ ἔχων βάσιν ἐν γῇ διάγειν, ἀλλ' οἰκῶν ἐν βορβόρῳ θαλάσσης· ἐκεῖσε κακῶς τὸν βίον ἔχεις.

Quod autem Zozimus, in iis quæ paulo ante adduximus verbis, scribit Liburnicas celeritate cessisse triremibus, in eo omnino falli eum certo scimus. Fuere & in Antonii classe triremes, sed omnium scriptorum consensu sola Liburnicarum celeritate victoriam retulit Augustus. Itaque recte de iis Suidas τὸ τάχος αὐτῶν ἄπιστον. Nullum apud antiquos vel triremis vel cujuscunque navigii habemus exemplum, quod velis remisque & stridentibus simul à puppi impulsum ventis, plus quam mille ducenta uno die confecerit stadia. Et tamen cum hoc affirmat Aristides, de Liburnica possit videri locutus. Artemidorus summam navis celeritatem vocat, si diei spatio nongenta absolvat stadia. Antiquiores Græci longe etiamnum minus dixere. At vero multo velocius nostræ ætatis aguntur Liburnicæ, quæ spatio unius diei mille & quadringenta percurrunt stadia. Sæpe contingit ut Neapolitano portu solventes Liburnicæ octodecim vel etiam septendecim horarum spatio Panormam adeant. Quin & unico die confecisse totum istud, quod Genuam & Massiliam interjacet, mare, à fide dignis accepi. Verum potuit adjumento esse qui à Genua in Galliam tendentibus favet plerunque æstus, quem licet non magnum hoc loco, libens tamen excluserim, cum sciam æstus beneficio etiam in hoc nostro Thamesi duabus horis triginta passuum millia minutis confici actuariis, & plura etiamnum sicubi æstus sit faventior. Ut itaque comparatio possit institui inter summam Liburnicarum & triremium antiquarum celeritatem, inquirendum est, quantus sit aut fuerit in mari tranquillo ad singulos remorum motus utrarumque progressus.

In

In hodiernis Liburnicis cum instante portisculo maxime fervet latum ut vocant remigium, ad singulos remorum ductus præterit Liburnica septem remigum juga, sive ut vulgo loquuntur *sette bancate*, id est septem remigum sedilia. Cum vero remigum juga distent spithamis quinque semis, sive pedibus quatuor & sesquiuncia, clarum est hodiernas Liburnicas ad singulos remorum missus progredi pedes viginti octo & uncias decem semis.

Triremium vero maximus erat progressus cum celeustes vel portisculus indiceret πίτυλον, seu remigium ἐφ' ἕνδεκα κώπας. Hujus celeusmatis non uno loco apud Grammaticos fit mentio. Desumptum nempe ex illo Aristophanis in equitibus; Ἄιρεσθ' αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον, παραπέμψατ' ἐφ' ἕνδεκα κώπας. Cum pitylus ederetur naves dicebantur ῥοθιάζειν. Unde idem Aristophanes in Babyloniis apud Suidam; Ναῦς ὅταν ἐκ πιτύλων ῥοθιάζει σώφρον κόσμῳ. Est vero pitylus sputum seu spuma maris quæ ex vehementi remorum percussione oritur, translate vero pro ipso sono, quem ista facit percussio. Inde est quod in Argo Navi apud Hyginum in Mythologicis Hercules & Idas ad pitylum sedisse dicuntur, qui velut robustiores, cæteros in edendo pitylo præirent. Porro ex hoc celeusmate cum portisculus imperaret remigium undecim remorum, apparet quantum in singulis remorum missibus profecerint triremes. Cum enim ex iis quæ jam diximus satis nisi fallor clare colligi possit, in triremium & plurium remorum oblique surgentium ordinibus spatium quod singulos intercederet remos fuerit pedum duorum & unciarum quatuor; hoc quoque conficitur, undecim remorum intervallum, addito etiam spatio quod undecimum & duodecimum remum interjacet, continere pedes viginti quinque & uncias octo. Atqui Liburnicæ, ut diximus, conficiunt pedes viginti octo & uncias decem semis. Tanto ergo Liburnicæ celerius moventur triremibus.

Multum

Multum ab hac celeritate abſunt naves onerariæ ſeu rotundæ, quæ vento & ſolis promoventur velis, quarum maximam celeritatem, ſi exigas ad celeritatem actuariarum, quæ & velis & remis ſimul aguntur, invenies eas tertia fere parte tardius moveri. Quotidianis experimentis conſtat nullam onerariam vento quantumvis favente tantumdem proficere, quantum actuariæ vel ſolo remigio. Quin & ceſſante remigio, ſolo ventorum beneficio celerius moveri actuarias ſeu Liburnicas, quam quaſcunque rotundas ſeu onerarias naves, & hoc quoque conſtat. Cauſa non aliunde petenda, quam ex earum conſtructione & fabrica, cum certum ſit naves longiores ſemper eſſe velociores minus longis, ſi nullum ſubſit vitium quod earum retardet curſum. Atqui naves, quæ remis aguntur, omiſſo cataſtromate & habita tantum longitudinis ratione ejus partis, quæ infra ſuperficiem maris eſt depreſſa, tertia minimum parte longiores ſunt onerariis, ita ut quam longitudinis ad longitudinem, eandem quoque celeritatis ad celeritatem habeant rationem.

Nec exiſtimandum onerarias antiquorum pigriores fuiſſe hodiernis. Si enim exempla diurni earum progreſſus conferamus cum ſpatiis quæ noſtri ſeculi conficiunt onerariæ, æqualia & ſimilia prorſus fuiſſe inveniemus, dummodo æſtum excipias, qui, ut diximus, ad partes vocandus non eſt, cum ſæpe contingat ut in oceano naves vento & æſtu fervente plus quam quinquaginta leucas ſeu ducenta paſſuum millia diei noctiſque conficiant ſpatio, cum tamen in maribus ubi nullus ſit æſtus raro ſex paſſuum millia ſingulis percurrant horis. Quandoquidem vero tam in onerariis quam actuariis experientia docuerit alias aliis velocius moveri, multique cauſas quamobrem id fiat ſedulo admodum inquirere fuerint conati, & ipſi quoque naupegi, ſi ingenui ſint, ſuam hac in parte palam agnoſcant ignorantiam, non erit forſan inutile, noſtros quoque hic interponere ſenſus, & pro captu breviter declarare, quid demum illud ſit, quod

vel inhibeat, vel acceleret navium curſum. Licet vero plura ſint quæ ad velocem navigiorum motum multum conferant, nam & velorum & mali, & antennarum & denique ſuburræ collocatio & diſpoſitio, haud parum ad ταχυπλοΐαν faciunt; prætermiſſis tamen acceſſoriis omnibus, ſolum proræ, puppis, carinæ & inferioris alvei perſequemur formam, quatenus hæc omnia efficiunt, ut vel tardius vel celerius moveantur naves.

Primo itaque obſervandum, quomodo fiat quod cum à quiete incipiat motus omnium corporum, eaque ſemel mota ex lege naturæ ſemper debeant accelerari, ſi nullum aliud occurrat corpus quod motum vel ſiſtat vel retardet; in navibus tamen contrarium contingat, utpote quæ è portu aut ſtatione ſolventes, brevi ſupremum celeritatis ſuæ gradum acquirant, ad quem cum pervenere, non amplius accelerantur, ſed eodem vento & æſtu urgente, eandem quoque motus menſuram obſervant. Hujus rei cauſam ut habeamus, notandum, naves quando ſunt in ſtatione, altius aquam ſubire, quam cum moventur, & quidem quanto velocius moventur, tanto altius ſupra aquas exſtare. Neceſſario hoc ipſum contingere, dum obſtantes fluctus eluctari conantur, quilibet facile intelligit. Sed vero quanto altius ſurgunt, tanto quoque vehementius relabi & profundius aquam ſubire, ac propterea retardari, & hoc quoque neceſſum eſt. Hæc retardatio quamvis in omnibus ſit conſpicua, crebrior tamen & manifeſtior in brevioribus quam longis apparet navigiis. Quanto enim brevior eſt navis, tanto ſæpius mergitur & retardatur, quod ſecus ſe habet in longis navibus, quæ prolixiores tractus antequam deprimantur abſolvunt. Vel ſolis id planum fiet oculis, ſiquis illam, quam curſu ſuo, quum ſubinde attollitur & deprimitur prora, perſequatur lineam, iſta quippe talis eſt in brevioribus navigiis.

At

At vero in longioribus navigiis hujuſmodi lineam deſcribit prora;

Facile hinc conficias propter crebriores in longiori linea proræ depreſſiones, tardius multo procedere breviores quam longas naves, quæ plures uno eodemque tractu ſecant undas, cum aliæ ad ſingulas impingant, attollantur ac dein deprimantur.

Quod autem nonnunquam contingit ut brevioris carinæ naves prævertant longiores, id vel vitio longarum, vel convenienti aliarum tribuendum eſt fabricæ. Tum vero commodam navis habebit fabricam, ſi tacite & ſine ſtrepitu undas ſuperlabitur. Nam ſi contingat ut prora vehementer ab undis verberetur, & multas excitet ſpumas, certum eſt vel ob hoc ipſum tardius moveri navem, eadem prorſus ratione qua videmus globos ferreos ſeu plumbeos è tormentis explosos, tanto longius ferri, quanto minori ſtrepitu aërem permeant. Idem in ſagittis aliiſque projectitiis licet obſervare corporibus.

Ut vero naves molliter unde ſecent, id præcipue proræ efficit conſtructio. Si enim illa brevis ſit & pene ad perpendiculum aſſurgat, ita ut recta & adverſa fronte excipiat æquor, tarde omnino & pigre movebitur navis. Longa vero prora & oblique mari imminens, celeriorem faciet progreſſum, & quidem notandum quanto ea fuerit longior, tanto velocius ferri navigium. Si itaque navium proræ ita fuerint conformatæ ut in A B, ſegniter moventur. Si vero talis fuerit conſtructio ut in B C, celeriorem habebunt curſum. Celerrimum vero ſi qualem B D oſtendit lineaſtructuram habuerint.



Plurimum vero conſert ad celeritatem ut linea B D non protuberet, ſed introrſum vergat; hac enim ratione fiet, ut pauciores prora propellat aquas & ut obſtantes & relabentes undæ non retardent nec valide percutiant navigium, ſed placide & ſine multa ſpuma ſubterlabantur.

Si qua itaque navis, licet brevior ſit, iſtiuſmodi habuerit ſtructuram, fieri poteſt, ut longiores celeritate ſuperet, præſertim ſi recentis fuerit fabricæ, & alteræ vetuſtiores. Plerunque enim fieri ſolet, ut vetuſtate labefactentur navium carinæ, & ut prora & puppis prius elevatæ, paulatim collabantur & ſubſidant, ita ut carina à prora ad puppem, in rectam propemodum extendantur lineam. Hoc autem ſi quando contingit, magnam celeritatis partem amittunt naves; ſi enim prora & puppis non ſint elevatæ, nec inter ſuperficiem aquæ & ſummitatem proræ juſtum ſatis jactationi & oſcillationi navis relinquatur ſpatium, prora nimis alte deprimetur, & non tantum retardabit curſum, ſed & ipſum ſæpe ſubmerget navigium, cum crebris experimentis conſtet, naves plurimas & prælertim longas in magnis tempeſtatibus, prora alte ſublata eademque mox relabente aquis obrutas & abſorptas periiſſe. Huic tamen incommodo puto poſſe ſuccurri, ſi naves fiant ὑποσβαρεῖς, tranſlata nempe ad puppem majori ſaburræ portione, ut prora levior facta altius adſurgat, & minus periclitetur navis.

Certum tamen eſt longas iſtiuſmodi proras ut ad velocitatem navium plurimum conferunt, ita quoque firmitati eorum plurimum obeſſe. Experti id jam olim fuere Athenienſes in fatali contra Syracuſanos conflictu. Quippe cum

cum celeritatis & agilitatis præcipuam haberent curam, pleraſque ſuas triremes longis inſtruxerant proris. Breves vero erant Syracuſanorum proræ, & ideo firmiores, & hac ratione confertim pugnando nec aperiendo latera eluſiſſe agilitatem navium Atticarum fuſe ſatis docet Thucydides. Sed cum alia celeritatis, alia vero roboris & ad bellicos uſus aptitudinis ſit ratio, hoc dixiſſe ſufficiat, multorum ſeculorum experientia conſtare, quanto curviores ſint carinæ & quanto longiori ſpatio ſupra aquæ ſuperficiem promineant prora & puppis, majuſque oſcillationi navium relinquatur ſpatium; tanto velocius ferri navigia.

Noſtra tamen tempeſtate non obſervatur hæc regula, ſiquidem ad commodam navigationem utile eſſe exiſtimant, ut puppis profundius aliquanto quam prora deprimatur. Ideo nempe hoc fit, ut gubernaculum tanto fortius ab undis adfligatur, quanto profundius aquas ſubit. Verum ſæpe contingit ut ne ſic quidem gubernaculo obediant naves,& licet obediant, eo ipſo tamen quod naves fiant ὀπισθοβαρεῖς, tardius moventur. Minus patiebantur id incommodi antiquorum navigia, utpote quorum gubernacula, vel ad epotidas, vel aliquanto propiora extremæ erant puppi, uti videre eſt in nummis & antiquis monumentis, & quemadmodum in tectis etiamnum ſit Liburnicis, quas galeaceas appellant. Quod ſi quatuor eſſent gubernacula, non tamen ſimul iis utebantur, ſed duobus puppi vicinis naves regebantur ſi mare eſſet tranquillum: quod ſi puppis tempeſtate ſurſum & deorſum jactaretur, omiſſis longioribus altioris puppis gubernaculis, iis ſolis utebantur, quæ ad epotidas eſſent, quemadmodum Chabriam feciſſe docet Polyænus.

Quatuor gubernacula quæ in navibus διπρῴροις & διπρύμνοις, ſeu ἀμφιπρῴροις & ἀμφιπρύμνοις erant, illa huc non faciunt, cum unuſquiſque facile intelligat, ſi prora puppis fiat, & contra puppis vicem præſtet proræ, neceſſario guber-

gubernaculorum loca permutari, prout vel ad proram vel puppem moveatur navigium.

Cæterum si commodissimus gubernaculis eligendus sit locus, non dubitandum quin is futurus sit ille, qui remotior aliquanto est ab extrema puppi, quam qui nimium huic sit vicinus. Hodiernæ onerariæ in magnis tempestatibus non obsequuntur gubernaculis, sæpe æstuum ferventium violentia impingunt in scopulos & importuosa littora, quod tamen rarius fiat, si aptiori loco apposita habuerint gubernacula.

Ut vero cognoscamus quisnam collocandis gubernaculis sit commodissimus locus, quærendum ad quam navis partem maximus sit aquarum allapsus. Illum non fieri ad mediam puppem, ubi vulgo ponuntur gubernacula, id sic confici potest. Cum moventur navigia propelluntur & ad proram coacervantur aquæ. Illæ vero cumulatæ procedente perpetuo navigio relabuntur in locum suum, id est in cavitatem quam navis alveus suo efficit transitu. Quamvis vero etiam pone & à lateribus ad replendam istam cavitatem aquæ accurrant, ut in scripto de motu marium olim monuimus, à nulla tamen parte majori defluant impetu, quam à prora, ubi est maximus aquarum cumulus. Cum vero omnia descendentia quamdiu descendunt accelerentur, clarum est aquas ad utrumque navigii latus à prora puppem versus delabentes maximam habere celeritatem, non ad mediam puppem, quam aquæ pone effluentes præcipue replent, sed potius istic, ubi incipit curvatura puppis. Sit enim ea parte, qua maris superficie ambitur navis circumferentia, quam πλοιῶ seu πλέουσιν Græci vocant, istiusmodi ut in sequenti figura.

A sit



A ſit prora, B puppis. Aquæ itaque motu navis congeſtæ & coacervatæ ad proram A, primo quidem ſegnius defluunt ad utrunque navis latus CC, deſcenſu vero ipſo augent celeritatem, donec perveniant ad D D, ubi intenſiſſimus eſt aquarum lapſus. Inde repulſæ occurſu aquarum pone relabentium declinant ad E E, ubi demum ſiſtuntur & locum dant aquis à tergo & utroque latere venientibus. Sed vero conſtat gubernacula non ab inſequentibus, ſed ab affluentibus à prora regi undis, unde planum ſit aptius collocari ad D D, quam ad B, quo vix attingunt ſubterlabentes undæ, cum ad D D maxima fiat percuſſio & ſufficiens ad regendam totam navem, quæ quanto longior eſt tanto facilius regitur, & quanto velocius procedit tanto magis obſequitur gubernaculis, & hinc eſt quod longæ naves facilius & citius convertantur & circumagantur, quam minus longæ, & quod minutæ etiam cymbæ, majori egeant gubernaculo, quam quævis maximæ naves, cum enim non alte aquam ſubeant, nec multas propellant undas, utique etiam imbecillis eſt aquarum relabentium affluxus, quapropter regi vix poſſunt, niſi enorme habeant gubernaculum.

Quod vero dixi etiam mali collocationem nonnihil conferre ad celeritatem navigii, id exinde fit, quod cum malus vectis habeat rationem, ſi is admodum fuerit altus, & ventus ſumma impleat vela, contingat ut nimia fiat oſcillatio, & prora profunde nimium aquas ſubeat. Huic incommodo

do nonnulli hoc ſeculo à Sinenſibus edocti occurrunt, malum non ad perpendiculum erigendo, ſed efficiendo ut ille nonnihil puppim verſus inclinatus aſſurgat. Verum præter deformitatem aſpectus, inutile quidam exiſtimant hoc commentum. Multo enim commodius inquiunt vitiohui coccurritur transferendo ſaburram,qua effici poteſt,ut quodcunque voluerimus navis habeat libramentum.Sed multa ſæpe id ipſum fieri prohibent,&ſæpe intercluſus eſt ad ſaburram aditus.

De triremibus, Liburnicis & cauſa celeritatis navium, hactenus dicta ſufficiant. De partibus & appellationibus antiquarum navium & præſertim Græcarum earumque ſtructura & ſymmetria multa dicenda ſuperſunt, ſed ea alteri loco reſervamus, quando & Sericarum ſ.u Sinicarum navium rationes & fabricam perſequemur. Ut in cæteris artibus ita quoque in naupegicis gens iſta omnes quam longiſſime poſt ſe relinquit mortales. Si copiam & abundantiam ſpectes, plures apud Seras, quam in toto reliquo terrarum orbe invenias naves. Si molem & magnitudinem quæras, vel in uno flumine centena numeres navigiorum millia majora quibuſvis Gallorum & Venetorum Liburnicis. Elegantiam & pulchritudinem vel inde conjicias quod intus & foris auro picturata & ſplendidiſſimo Sinico incruſtata ſint glutine. Sive remis, ſive velis agantur, tanta eſt eorum velocitas, ut nulla cum iis noſtri orbis contendant navigia. Licet ut plurimum unico, eoque arundineo inſtructa ſint velo, majoris tamen illud utilitatis, longeque tutius, felicius & celerius eo navigant, ac fiat illis navibus, quæ tanto velorum inſtructæ ſunt impedimento potius quam apparatu. In erigendo ſeu dimittendo velo nullus labor, nulla oritur moleſtia, cum totum ſua ſponte compoſitum & complicatum momento deſcendat, ita ut à perplexis & ſibi mutuo implicitis rudentibus & nauticis funibus nullum unquam immineat periculum, cum malo tanquam cardini affixum velum quovis girgillo ſit verſatilius, & unico fune omnia peragantur. Robore & firmitate

ſtructuræ

ſtructuræ quantum noſtri cœli præſtent navibus vel inde colligas, quod non tormentorum tantum ictibus, ſed & quibuſvis impune reſiſtant tempeſtatibus; & quidem quod magis mirere, quanto magis vetuſteſcunt, tanto plus acquirunt firmitatis. Ideo nempe hoc accidit, quod cum inſtaurantur naves, novo integumento noviſque tædis totas ſoleant præcingere, quas deinceps albo bitumine, galagalam ipſi vocant, perungunt. Adeo autem ſæpe hoc iteratur, ut reperiantur naves quæ ſex vel ſeptem habeant præcinctiones, & hac ratione ad aliquot etiam ſeculorum eas conſervant perennitatem. Ut tam annoſam attingant ætatem multum quoque id quod dixi confert bitumen, utpote quod admixto plumbo & ſcobe ærea eademque quam diutiſſime macerata & ſubacta efficiunt ut naves ſpeculi inſtar reluceant, & nullum fere vel cariem vel putrefactionem ſentiant. Ut plurimum tamen in bellicis præſertim navibus, bituminatio hæc ſola calce & arvina ſeu pinguedine perficitur balenarum, quæ compoſitio brevi areſcit & ferream ſub aquis induit duritiem & omnem prorſus arcet verminationem. Cum autem novæ præcinctiones ſeu nova fiunt operimenta, abraſo veteri novum inducunt bitumen, punctionibus prius crebres veteres perforantes tabulas, ut bitumen firmius hæreat, cui deinceps novam præcinctionem eadem ratione bitùminatam è tenuibus aptant tabulis. Si enim non ſint tenues & plures quam quatuor vel quinque fiant præcinctiones, nimio laborant pondere & ſegniores ad progreſſum redduntur naves. Verum & huic incommodo, non tantum ampliatione veli, ſed & multis etiam aliis occurrunt modis.

In tractandis quoque remis, longe aliis præſtantiores ſunt gentibus, cum continua & nunquam interrupta tot millium annorum experientia artes teneant penitus Europæis ignotas. Quædam apud illos naves quantumvis magnæ unico & ſemper ſub aquis latente aguntur remo, & quidem tanta

celeritate, ut plura quam centum paſſuum millia ſingulis abſolvant diebus. Illa vero navigia quæ pluribus inſtructa ſunt remigibus, octogenis puta vel centenis, raro ſiquidem, niſi in magnis admodum navibus plures numerantur, licet brevioribus longe, quam vulgo apud Europæos fieri ſoleat, utantur remis, & ſingulis remis ſinguli adſtent remiges, nihilo tamen ſegnius moventur, quam velociſſimæ maris Mediterranei curſoriæ & aliquando velocius. Et tamen nullam interioris alvei partem occupant remiges, cum fori ſint extra navem, in quibus & nautæ & qui remos tractant citra vectorum verſantur incommodum. Mediam navem occupant atrium, & varia circumcirca cœnacula, cubicula, popinæ, loca hiſtrionibus & ſymphoniacis deſtinata, omnia ſpecularibus inſtructa feneſtris, delibuta auro & pulcherrimis undique diſtincta coloribus, tanta denique & tam multiplici figurarum ornata varietate, ut nulla quantumvis diuturna contemplatio afferat faſtidium & fatigentur prius oculi, quam ſatientur. Verum non deſunt nonnulli, qui utut ingenium, induſtriam & ſcientiam Sinis concedant in parandis iis quæ ad voluptates & pacati regiminis utilitatem pertinent; neſcire tamen eos inquiunt idoneas bellicis uſibus fabricare naves. Sed qui ſic ſentiunt, committant ſe cum iis Sinis, qui inſulam Formoſam Batavis eripuere, aggrediantur ſi audeant eorum claſſes. De abſentibus & longe diſſitis, audacter & confidenter loqui pluribus ſolemne eſt: iidem vero ſi coram fuerint, vix jam quiſquam mutire audeat. Batavi quidem, qui apud Indos verſantur, quique hujus gentis in præliis navalibus virtutem magno ſuo cum damno ſunt experti, non dubitant licet inviti, navigandi & artium nauticarum peritia Sinas omnibus aliis præponere. Nec aliter ſentiunt Luſitani, qui florentibus etiam rebus ſuis, nunquam tamen claſſes ſuas auſi fuere cum Sinenſium ut vocant commitere Juncis. Illud quoque obſervandum in navibus Sinicis, quod

quod quamvis rimoſæ fiant & multas admiſerint aquas, non tamen mergantur; cum ab uno homine ſedente, & tympanum coſtis navium appoſitum calcante, ſpatio unius horæ plus aquæ extrudatur, quam in noſtris navibus etiam complures integro exhauriant die. Verum hæc pluribus alibi perſequemur, hæc in anteceſſum de Sericis ſeu Sinicis navibus dicta ſufficiant.

DE EMENDATIONE LONGITUDINUM.

QUamvis ad cognitionem longitudinis terrarum & locorum in hoc noſtro orbe, certius utiliuſque nihil videatur iis obſervationibus, quæ ex ſiderum & præſertim lunæ derivantur defectibus; hactenus tamen adeo infeliciter res ea ſucceſſit, ut auſim dicere, in deſcribendo terrarum orbe à nullis majores tenebras & errores fuiſſe propagatos, atque ab iis, qui eclipſium variis in locis obſervatarum habita ſolum ratione, geographiam reformare fuere conati. In cœlo & ſideribus nulla eſt culpa, certum ordinem & ſtatos illa obſervant curſus: verum ipſi obſervatores non carent culpa cum nulla habita refractionis ratione & neglecta prima & dilutiore, mediam ſeu interiorem tantum perſequntur umbram. Id enim ſi non ſit, unde quæſo iſta non diſcrepantia modo, ſed & præpoſterus ordo & confuſio, ut everſo ſitu, quæ ad ortum ſunt loca in occaſum ſolis ab illis promoveantur? Fruſtra vero ſunt cum iſtiuſmodi errores in vicinis tantum contingere exiſtimant locis, nam ſi magna intervalla ad eorum obſervationes expendantur, creſcente intervallo creſcunt quoque errores & adeo quidem ut extremæ Aſiæ partes minimum viginti gradibus, à nonnullis vero pluribus quam viginti quinque integris maximi circuli gradibus viciniores ſtatuantur, ac verus terrarum ſitus permittat.

Quod

Quod ſi per plura & breviora intervalla eclipſeon differentiæ obſerventur, major etiamnum erit terrarum locorumque contractio. Hoc ut planum fiat incipiamus à mari Mediterraneo & videamus quanta ſui parte diminuta ſit hujus menſura ſolo fere eclipſeon argumento. Hujus itaque ut cognoſcamus longitudinem, exponemus prius rationem qua illam inveſtigarit Strabo. Is itaque lib. II. ut conficeret mare Mediterraneum ab intimo ſinu Iſſico, uſque ad columnas Herculis, addita ea Hiſpaniæ portione, quæ ab hoc freto, uſque ad ſacrum procurrit promontorium, continere tres fere ſtadiorum myriades, in ſubducendo hoc numero hunc tenuit modum.

A ſinu Iſſico uſque ad Rhodum ſtadiorum millia quinque.

A Rhodo ad Salmonium orientale Cretæ promontorium, ſtadia mille.

Ipſa Cretæ longitudo inter ortum & occaſum duo ſtadiorum millia.

A Criu Metopo occiduo Cretæ promontorio ad Pachynum Siciliæ ſtadiorum millia quatuor & quingenta.

A Pachyno uſque ad fretum Siculum minimum mille ſtadia.

A freto Siculo ad fretum Herculeum ſtadiorum millia tredecim.

Hinc ad Sacrum promontorium ſtadiorum millia tria.

A tribus itaque ſtadiorum myriadibus, ut vult Strabo, deſunt tantum ſtadia quingenta. Quod ſi auferas ſpatium extra Columnas Herculis, ſupererunt vicies ſex ſtadiorum millia & quingenta. Verum de hac quoque ſumma auferenda ſunt ſtadia mille propter obliquitatem quæ eſt inter Pachynum promontorium & fretum Siculum, quæ nihil facit ad longitudinem maris Mediterranei, Sed & in menſura Cretæ, cum longitudinem ejus facit duorum minimum millium ſtadiorum, à vero aberraſſe viſus eſt iis Græcis,

qui

qui poſt eum floruerunt, quique reliqua admittentes. Cretæ menſuram ad mille quingenta ſtadia unanimi conſenſu reducendam eſſe exiſtimarunt. Hos itaque ſi ſequamur, ſupererit maris Mediterranei longitudo maxima vicies quinque ſtadiorum millium.

Rectiore via procedit Ptolemæi ſupputatio. Is vero lib. I cap. ita ſingula ſubducit intervalla.

A Calpe ad Carilin Sardiniæ partes ſeu gradus XXV.
Hinc ad Lilybæum Siciliæ partes IV cum dimidia.
Hinc ad Pachynum promontorium partes III.
Inde ad Tænaron Laconicam partes X.
Hinc ad Rhodum partes VIII cum una quarta.
Unde ad Iſſum partes XI cum una quarta.

Habemus hic gradus ſeu partes LXII. Cum vero in parallelo Rhodi, id eſt in gradu latitudinis XXXV & XXXVI, unicuique gradui adſignet ſtadia quadringenta, clarum eſt inter Calpem ſeu fretum Herculeum, uſque ad Iſſum intercedere ſtadiorum XXIV millia & octingentorum intervallum, quæ menſura ducentis tantum ſtadiis contactior eſt ea, quam prius ſubduximus.

Veniamus nunc ad eos Græcos qui proxime elapſis floruerunt temporibus, & ad Venetos, & ipſos jam à multis ſeculis diligentiſſimos maris Mediterranei ſcrutatores. Licet in utrorumque Portolanis, ſic enim vocantur libri qui deſcriptionem hujus maris continent, aliqua etiam occurrat differentia; adeo tamen ea eſt levis, ut merito aliquis miretur, tanta cum cura & diligentia ſingulorum portuum ſitum, naturam, intervalla, per ſingula ventorum momenta acus magneticæ beneficio explorata fuiſſe, ut facile aliquis perſpiciat, non niſi plurium ſeculorum experientia & infinitorum nautarum labore tantam rem perfici potuiſſe. Venetorum quidem ephemerides aliquot nauticæ, florente etiamnum republica ſcriptæ, in lucem jam olim prodiere. Prodiit quoque non ita pridem portolanus Græcobarbaro ſermone conſcriptus. Sed exactior & copioſior eſt alter manu

manu exaratus, ante trecentos circiter annos compilatus; qui accuratiſſimam maris Mediterranei & Ponti Euxini continet deſcriptionem. Millibus paſſuum illi omnia expediunt intervalla, de quorum menſura mox dicemus. Prius ipſa ſubducamus intervalla, in quibus omnes fere iſti conveniunt Portolani. Incipiamus itaque ab Alexandretta ſive intimo ſinus Iſſici receſſu.

Ab Alexandretta ad promontorium Cypri orientale quod Sancti Andreæ dicitur millia CXXV

Longitudo Cypri à promontorio S. Andreæ, ad promontorium S. Epiphanii millia CCXX

A promontorio S. Epiphanii ad Samonium orientale Crætæ promontorium millia CCCCL

A Samonio promontorio ad inſulam Gozo, olim Caudum vel Caudam dictam, non recte enim Κλαῦδος in Ptolemæo, aut Κλαύδη in Actis Apoſtolorum vocatur, millia CC

A Gozo ad Melitam millia DCC

A Melita ad fretum Herculis ſive os maris Mediterranei millia MCCCCLXV

Habes hic ſummam centum & ſexaginta millium ſupra ter mille. Supereſt ut videamus quænam milliarium in iſtis Portolanis ſit menſura. Notum quidem ſecundum exactiſſimum Polybii calculum, quem & Strabo & Ptolemæus & plerique fere veteres ſunt ſecuti, mille paſſus convenire cum octo ſtadiis & duobus plethris, id eſt triente ſtadii, ita ut unum circuli maximi gradum, quingenta ſtadia, ſexaginta vero paſſuum conficiant millia. Sed vero medii ævi Græcis placuit mille paſſus componere cum ſeptem ſtadiis & ſemiſſe. Quod vero mirum aucta hac ratione ſtadiorum menſura, diminuta tamen fuere milliaria, adeo ut quatuor paſſuum millibus antiquis, tribuantur hoc tempore quinque hodierna, aut etiam quinque ſemis, ita ut LXXV, aut etiam LXXXII$\frac{1}{2}$ milliaria uni à nautis Mediterranii maris adſignentur gradui. At vero ſiquis Portolanos, qua Græca,

eos diligentius perlegat, tanto manifeſtius perſpiciet, unicuique gradui centum in illis convenire milliaria. Cum ubique id pateat, minime opus eſt exemplis. Siquis tamen petat, ſufficiat uno & altero id declaraſſe. Dicunt Samonio Cretæ promontorio adſitam inſulam Chriſtianam vulgo vocatam, item promontorium occidentale Cypri, quod S. Epiphanii appellatur, & præterea Alexandriam Ægypti exactum conſtituere triangulum, cujus unumquodque crus ſit 450 milliarium. Item Rhodum ab eadem Alexandria diſtare ſcribunt quadringentis & ſexaginta millibus. Cum notæ ſint latitudines & intervalla horum locorum, non opus eſt pluribus. Siquis tamen dubitet, excutiat omnes iſtos portolanos, & inveniet trecenta & plura occurrere loca, etiam in iiſdem ſita meridianis, ubi unicuique gradui centum adſignantur millia.

Omnes vero Portolani, licet ad unquem fere conveniant, aliquam tamen in illis olim obſervatam fuiſſe differentiam exinde colligo, quod in quibuſdam poſt millium numerum annotatum inveniam alium locupletiorem aliquanto numerum ex aliis deſumptum Portolanis. Tabulæ quoque nauticæ, quibus omnes hoc tempore utuntur gentes in menſura non conveniunt cum ſuis Portolanis, ſiquidem quingentas & quinquaginta ut minimum leucas Germanicas, quarum quindecim unum conſtituunt gradum, maximæ maris Mediterranei longitudini adſcribunt. Peritiores quoque Venetorum & Maſſilienſium nautæ menſuræ huic ſubſcribunt, cum ter mille quingenta vel ſexcenta milliaria quarum centena unum conficiunt gradum, mare iſtud patere affirmant.

Si itaque hodiernam & à pleriſque jam à quatuor ſeculis probatam ſequamur menſuram erit mare Mediterraneum plusquam quarta parte contractius, quam Ptolemæus poſuerit, utpote qui 744 leucas huic adſignarit, cum hoc tempore non ultra quingentas & quadraginta patere credatur.

Noſtra tamen ætate clariſſimus Gaſſendus eclipſium ratione motus trientem de hac quoque menſura libenter eliſiſſet, ſi nautæ permiſiſſent. Illi quippe à Peireſcio conſulti de intervallo quod Alexandriam & Maſſiliam interjacet, cum reſpondiſſent eſſe illud bis mille & ſeptingentorum millium, ille plurimum eos errare & tertiam partem auferendam eſſe contendebat. Illi tamen inſtabant dicentes, non poſſe niſi quingenta forſan abradi millia, quia nempe in omnibus Portolanis & mappis nauticis intervallum inter Alexandriam & Maſſiliam ponitur eſſe millium 2200. Notandum enim nautas, licet ſacra ipſis ſit Portolanorum auctoritas, in longitudine tamen exigenda ab illis diſcedere. Sic quod Cyprum & Venetias interjacet ſpatio ipſi tribuunt millia 2200, cum tamen in omnibus Portolanis & tabulis nauticis tantum numerentur 1800.

Ratio vero quam ſubjicit in metiendo Melitæ, Cretæ, & Cypri intervallo, non ſuccedit, cum apud omnes nautas in confeſſo ſit fieri id, non propter breviora intervalla, ut ipſe putat, ſed propter acus nauticæ à borea in occaſum declinationem, quæ cum omnino in hoc tractu ſit manifeſta navigantibus, negari non debuit.

Antequam vero quid de vera ſeu maxime probabili maris Mediterranei longitudine ſentiendum ſit exponamus, operæ pretium fuerit inquirere, quando, & à quibus, & qua de cauſa factum ſit, ut relictis omnibus Græcis & Latinis ſcriptoribus, & antiquis menſuris, vaſtus ille maris tractus mediocribus adeo includi cœperit terminis.

Tempus quod attinet ex quo communi quaſi omnium maris Mediterranei accolarum conſenſu, in eam, qua hodie depingitur, mare iſtud commutatum in pleriſque tabulis compareat figuram, annos excedit trecentos. Chriſtophorus de Bondelmontibus Florentinus in ſuis maris Mediterranei tabulis ante ducentos & ſexaginta delineatis annos, eandem quæ in hodiernis nauticis conſpicitur mappis, exhibuit formam & menſuram. Sed illo antiquiores ſunt

Portolani

Portolani Græcobarbari & Italici nonnulli, tribus ſeculis vetuſtiores. Verum & Chryſococcas, qui anti annos 336 illuſtrium urbium catalogum conſcripſit, hanc ſecutus eſt menſuram, ut mox docebimus.

Primi vero qui Mediterraneum mare arctis adeo conſtrinxere terminis, utique iſti fuere Arabes. Ut in cæteris artibus & ſcientiis, ita quoque in deſcriptione orbis terræ ſolos illa tempeſtate pleræque gentes ſequebantur Arabas. Barbari quippe & indocti erant tunc fere omnes Chriſtiani, vixque quiſquam Latine, nedum Græce erat peritus. Arabum vero ubique florebant ſtudia, non in Aſia tantum & Ægypto, ſed & in Mauritania, Hiſpaniaque. Nemo inter Latinos doctus habebatur, niſi qui medicinam ſecundum præcepta Arabum exerceret. Nulla vel philoſophia, vel matheſis, vel aſtronomia, vel denique geographia admittebatur, præter eam quæ ex Arabum hauriretur placitis. Huc accedebat odium Græcorum, utpote qui nullum vel Papam, vel Imperatorem agnoſcerent Romanum, præter Patriarcham & Imperatorem Conſtantinopolitanum. Auctum fuit iſtud odium belli præcipue ſacri tempore, prætextu paſſagii, ut vulgo loquebantur, debilitato & fracto imperio Byzantino, & capta Conſtantinopoli primo quidem à Latinis, mox deinceps à Turcis. Maluerunt itaque ea tempeſtate Aſtronomica & Medica Græcorum ſcripta, male ab Arabibus verſa, & pejus etiamnum Latine reddita, à Saracenis quam ab ipſis accipere Græcis. Ariſtotelem non ſuo, ſed Averrois ore loquentem audire, nullas denique Græcorum artes & ſcientias, non Mauris potius & Judæis, quam ipſis debere Græcis. Capta Conſtantinopoli & everſo Orientali imperio, tum demum admiſſæ à Latinis Græcæ fuere literæ, multis Græcorum profugis fame & neceſſitate compulſis Latinæ ſe ſubjicientibus Eccleſiæ, & quos prius, jam à ſeptem integris ſeculis, ne pro legitimis quidem Romæ agnoſcere voluerant epiſcopis, iiſdem illis tunc etiam primatum ſupra omnes deferentibus Patriarchas. Plerique tamen

illi Græci qui ſub ſub Turcarum vivunt tyrannide, ſi illos excipias qui Latinos ſequuntur ritus, antiquum ſervant morem, & quantumvis miſeri, honorifice tamen de Papa Romana ſentire & loqui ſe exiſtimant, ſi quando illum patriarcharum ſuorum appellant fratrem. Quamvis rebellandi poteſtas & occaſio hoc præſertim non deſint tempore, patienter tamen jugum ferunt, metuentes ut pejor quam nunc ſit ipſorum fiat conditio. Niſi enim Pontificis Romani in omnes eccleſias auctoritatem admittant, Turcis potius quam ſibi adjumento fore exiſtimant omnes huic obnoxios Occidentis reges & principes, neceſſaturos priuſquam ad aſperiorem etiam quam prius redeant ſervitutem. Verum hæc obiter, perſequamur nunc inſtitutum.

Iſtam quam diximus maris Mediterranei dimenſionem, quam omnes noſtri ſeculi ſequuntur gentes, ab Arabibus promanaſſe, manifeſte patet ex Geographo, qui Nubienſis vulgo dicitur, quique quinque eſt vetuſtior ſeculis. Is enim in principio operis longitudinem hujus maris, quod Damaſcenum ipſe vocat, à freto Gaditano uſque ad Syriam ſcribit eſſe leucarum Arabicarum MCXXXVI, id eſt leucarum Germanicarum 511⅓. Addito vero eo ſpatio, quod ſupereſt uſque ad Alexandrettam vicinam Antiochiæ, jam dicit climatis quarti parte prima mare iſtud patere XXXVI curſus, curſui vero aſſignat centum milliaria, ſive 33⅓ leucas Arabicas. Si ſummas componas habebis leucas Germanicas 540, in qua menſura ſcriptor iſte convenit exactiſſime cum tabulis marinis, quibus omnes hoc tempore utuntur nautæ.

Quamvis vero Nubienſis iſte alias quoque enumerat menſuras, ipſe tamen toto hoc opere eorum ſequitur ſententiam, qui centum millia paſſuum, ſive 33⅓ leucas Arabicas uni tribuunt gradui circuli maximi, quæ menſura cum nunquam vel Græcis vel Latinis fuerit uſitata, patet & hac quoque in parte Portolanorum compilatores menſuram ſecutos eſſe Arabicam.

Quod

Quod autem alii Arabes quinquaginta ſex tantum millia ſingulis adſignent gradibus, exinde nihil aliud confici poteſt niſi quod ut apud Europæos, ita quoque apud Aſiaticos terra marique variaſſe menſurarum rationes. Sufficit oſtendiſſe, iſtis, quibus in mari Mediterraneo navigantes etiamnum utuntur milliaribus, illa ipſa jam ante quinque ſecula uſurpata fuiſſe Arabibus.

Ut vero clarius pateſcat in Mediterranei maris menſura cæteros fere Arabes conſpirare cum Nubienſi, hoc dixiſſe ſufficiat, præcipuos niſi fallor convenire in ea quam diximus longitudine. Itaque Alexandriam collocant in gradu longitudinis quinquageſimo primo, decem nempe integris gradibus cum ſemiſſe occidentaliorem quam Ptolemæus fecerit. Chryſococces qui Arabas eſt ſecutus quinquaginta addit ſcrupulos, ita ut hac quoque ratione maneat differentia novem graduum & 40 ſcrup.

Neque eſt ut quiſquam exiſtimet ab eo longius in Occidentem removeri primum meridianum, quippe & hic, quemadmodum & Ptolemæus, Os freti Gaditani, ſeu Calpen montem ponit in longitudine grad. 7½. Cordubam vero in longitudine grad. 8. ſcrup. 40.

At vero cum idem Chryſococces Antiochiæ vicinæ ſinui Iſſico tribuat longitudinem grad. 61—30, nimium poſuit pro ratione intervalli ab Alexandria. Unde apparet ſi numerus iſte recte ſe habeat, illum alios ſecutum fuiſſe Arabas, qui inter Ptolemæum, & iſtos qui contractiorem facerent Mediterranei maris longitudinem, mediam voluerunt inſiſtere viam.

Veniamus nunc ad cauſam, qua præcipue impulſi Arabes, mare iſtud tam arctis conſtrinxere limitibus, & à Ptolemæo, cujus magna ſemper apud illos fuit exiſtimatio & auctoritas, tam longe receſſerint. Præclaram illos navaſſe operam in reducendis & dirigendis intervallis ad ſingula ventorum momenta, non eſt ut dubitemus, cum à ſex plus minus ſeculis uſum acus magneticæ à Sinenſibus acceperint, diuque

diuque ante Chriſtianos nauticas pyxides in triginta duas diviſerint partes. Quæ felicitas cum Græcis & Latinis non contigerit, mirum videri non debet, ſi hodierni ut cum vulgo loquar Portolani, Arabum menſuras & directiones continentes, aliquando ſint exactiores antiquis. Neque enim Arabibus, præſertim antequam Turcis miſcerentur, in explorandis terrarum mariumque intervallis defuit diligentia. Late dominabantur non in Aſia modo & Ægypto, ſed & in Hiſpania & univerſa quæ interjacet Africæ ora. Quamvis vero ut cæterarum terrarum, ita quoq; totum Africæ tractum qui à Syria & Ægypto, uſque ad Atlanticum protenditur pelagus, permenſi ſint diligentiſſime, progreſſu tamen temporis factum eſt, ut non ſatis fidentes itineribus, cœlo petenda eſſe exiſtimarint longitudinum momenta. Ut itaque & nunc complures, ita quoque & illi ex defectuum lunarium diſſitis in locis apparitionibus & horarum exinde prodeuntium numero & momentis, longitudinum intervalla metienda eſſe cenſuerunt. Hac ratione factum eſt ut mare Mediterraneum plus quarta ſui parte fuerit multatum. Verum quam fallaces ad longitudines determinandas ſint eclipſeon obſervationes, ex iis quæ poſtea dicentur ſatis fiet manifeſtum.

Ut itaque verum maris Mediterranei habeamus longitudinem, non acquieſcendum iis quos diximus portolanis, aut quotquot illos ſequuntur nautis: Licet laudanda ſit illorum opera quod ſingulorum locorum intervalla & aſpectus ad quaſcunque ventorum plagas tanta cum cura & diligentia annotarint, errorem tamen iis ſubeſſe, vel ipſe terrarum, quibus hoc mare cingitur, ſitus & menſura poſſit evincere, præſertim in ea parte quæ eſt ultra fretum Siculum; Propter contracticres enim menſuras adeo mutilata in pleriſque marinis tabulis terrarum adſitarum adparet facies, ut Cyprus, Creta, Peloponneſus, Aſia minor, & oppoſitæ oræ Africanæ integra tertia & aliquando majori etiam longitudinis parte mulctatæ conſpiciantur. Hinc factum ut in pleriſque

pleriſque nauticis maris Mediterranei tabulis, longitudinis non apponantur gradus, quo nempe minus hæc terrarum adpareat deformatio, quæ alias nimis foret conſpicua, præſertim in ea parte qua in Orientem excurrunt.

Ut autem vera huic mari reddatur facies, præcipuos aliquot hic annotabimus errores, qui in pleriſque Portolanis & nauticis comparent tabulis.

Cypro cujus longitudini Portolani tribuunt CXXXIII paſſ. M, vera reddenda eſt menſura, quæ eſt ut Veneti plerique affirmant, ducentorum millium paſſ. ſive ut ipſi incolæ, CCX.

Cretæ vera longitudo minimum eſt ducentorum & ſedecim millium P. Ipſi Cretenſes etiam hoc ſeculo plura aliquanto numerant millia. Et ſane conſtat hanc Cypro eſſe longiorem. At vero in Portolanis non niſi CXXXII inſulæ huic tribuuntur millia.

Aucta & emendata hac ratione inſularum Cretæ & Cypri longitudine, jam quoq; ſubſiſtet nautarum ſententia, affirmantium Cretæ orientale, Cypri occiduum promunctoria, & præterea Alexandriam Ægypti. parili inter ſe diſtare intervallo, & perfectum conſtituere triangulum. Quod autem in Ptolemæi poſitione id non uſque adeo verum ſit, ejus rei hæc eſt cauſa. Erravit nempe ille in eo, quod Byzantii meridianum nimis removerit à meridiano Alexandriæ, utpote quos quatuor gradibus cum ſemiſſe diſtare crediderit, cum tamen vel nihil vel parum admodum à ſe invicem abſint iſti meridiani. Ex portolanis enim conſtat Helleſpontum & Boſporum Thracium directionem ſuam habere, non inter Aquilonem & Libonotum, ut Ptolemæus voluit, ſed inter Africam & Cæciam, ſeu potius ut nautæ Itali loquuntur, inter Græco Levante, & ponente Libeccio: ita ut tota ea quæ intercedit Thraciæ portio Aſiæ quaſi incumbat, & Propontis vix dimidiam habeat latitudinem, quam Ptolemæus huic adſignet. Unde neceſſario ſequitur meridianum Byzantii multo eſſe viciniorum Alexandrino, quam

quam ipſe poſuerit. Nec defuiſſe inter veteres qui eidem hæc loca meridiano ſubeſſe crediderint, patet cum ex aliis tum ex Strabone, utpote qui Alexandriam, Rhodum, Byzantium & oſtia Boryſthenis ſub eodem collocant meridiano.

Aucta hac ratione Cypri & Cretæ longitudine, ſatis quoque manifeſte confici poteſt, quanto in errore verſentur, qui maris Ægei & Aſiæ minoris longitudinem, adeo in arctum contrahunt, ut inter Tænaron Laconicæ promontorium vulgo Matapan dictum, & Iſſum vulgo Ajaſſo nuncupatam, non plura quam ſexcenta & octoginta paſſuum numerent millia, cum tamen ſi non plura quam mille, ut Strabo, vel nongenta ſeptuaginta quinque ut Ptolemæus, plura tamen quam nongenta intercedant paſſ. millia.

Obſtant quoque menſuræ terreſtres, quæ non permittunt ut totus ille Aſiæ minoris tractus, qui à Cnido, uſque ad intimum ſinus Iſſici excurrit receſſum, tam iniquo includatur ſpatio. Si portolanos & marinas ſequamur mappas, non plura in illis huic intervallo adſignata inveniemus paſſuum millia quam CCCCXLVIII, quibus tuto poſſis addere, ducenta & quinquaginta millia. Nam ab Epheſo quæ multo eſt vicinior quam Cnidus, ad Iſſum recto itinere numerantur ab Artemidoro ſexcenta quinquaginta octo paſſ. millia, Itaque ſpatium quod interjacet Epheſum & Antiochiam, quæ bidui itinere abeſt ab Iſſo ſeu Alexandria κατ' Ἴσσον, confici ſcribit Euagrius diebus triginta, idque ab expedito viatore, ſiquidem illi quem diximus numero, plura quam centum paſſuum in itinerariis adduntur millia, nempe propter viarum difficultatem & obliquitatem. Nec longius ab Iſſo abeſt Byzantium quam Epheſus, ſi anfractus itineris auferas & verum Byzantio ſitum reddas, in quo ut diximus peccavit Ptolemæus. In itinerario Romano, quod Antonini eſſe creditur intervallo inter Byzantium & Antiochiam tribuuntur in melioribus libris millia paſſ. DCCLXXVI, ſtationes XXXVI ſed propter montium obſtacula

obſtacula obliquato nonnihil itinere. Si auferas intervallum, quod Iſſum & Antiochiam interjacet, & obliquos tramites pari ratione in rectam redigas viam, habebis totidem fere ſtationes & paſſuum millia ac ſint inter Epheſum & intimum ſinus Iſſici receſſum.

Perſequamur nunc eam quam ingreſſi ſumus viam & videamus quanto intervallo diſtet Byzantium ſeu Conſtantinopolis à Dyrrachio, ſeu huic vicina Apollonia, ab utraque enim per viam Egnatium iter eſt Conſtantinopolin. In itinerario Romano inter Dyrrachium & Byzantium numerantur ſtationes triginta ſex, paſſuum vero millia DCCLIV. Alio vero itinere quo ab Aulona per Apolloniam aditur Byzantium continentur millia DCCLVI, ſtationes vero triginta. A Turcis qui laxioribus utuntur ſtationibus conficitur hoc ſpatium diebus XXIV. Si itaque itinerario Romano credendum, cujus omnes menſuræ probe ſatis conveniunt, tantundem fere itineris eſt à Byzantio ſeu Epheſo ad Iſſum tendentibus, quantum ſit intervallum inter Dyrrachium & Byzantium, cum ea quam retulimus Artemidori menſura non niſi duobus aut quatuor paſſuum millibus excedat alteram. Attamen via Egnatia licet non multum ſinuoſa & per paſſuum millia quam exactiſſime digeſta, adeo tamen non fuit recta, quin aliqua ſui parte multanda ſit, ſi rectitudine in iſtam velimus ad normam exigeret. Itaque Strabo lib. VII. cum ſcribit viam hanc extendi ab Apollonia uſque ad Hebrum & Cypſelam oppidum, tribuit ei longitudinem millium paſſ. DXXXV, ſive ſtadiorum quatuor millium & CCCLVIII, ſecundum Polybii calculum. Atqui in itinerario Romano digeſto ad lapides milliarios ab Apollonia ad Cypſelam numerantur millia DLXXXII, quæ menſura quadraginta ſeptem paſſ. millibus longior eſt Straboniana. In ea vero menſura quæ à Cypſela ad Byzantium ſupereſt, numerantur in eodem itinerario millia CLXXIV, cum tamen via recta non plura quam centum viginti ab aliis numerentur millia. At

vero Ptolemæus, ac ſi menſura Strabonis nimia eſſet; adeo decurtavit hæc intervalla ut inter Apolloniam & Cypſellam non reliquerit majus ſpatium CCCLXXI paſſ. millibus. Cypſellam quippe octo gradibus & quatuordecim ſexageſimis orientaliorem poſuit Apollonia. Differentiam vero latitudinis facit gradus unius cum ſemiſſe: quæ menſura in iſtoc parallelo in millia paſſ. reſoluta, non plura quam diximus dabunt millia.

Licet reprehenſione dignus videatur Ptolemæus, quod contra omnium veterum ſententiam viam Egnatiam tanta ſui parte truncarit, quia tamen non defuere qui etiam Ptolemæum nimiam Macedoniæ Thraciæque exiſtimarunt tribuere longitudinem, tranſeamus ad aliud argumentum unde clare cognoſcamus utri rectius ſenſerint.

Alexandriam Ægypti & Pataram Lyciæ ſub eodem ſitas eſſe meridiano conſtat non ex Ptolemæo modo, ſed & pleriſque portolanis, cum recta inter boream & auſtrum eas diſtare affirmant. Byzantium eidem ſubeſſe meridiano, multis jam olim perſuaſum ut ex Strabone patet. Et ſane qui ſic credidere, multo melius ſenſere quam Ptolemæus, qui Alexandriam quatuor gradibus cum ſemiſſe orientaliorem facit Byzantio. Sed vero de errore Ptolemæi in poſitione Byzantii, jam antea egimus. Chryſococcas, qui ex Arabum ſententia contracto mari Mediterraneo tabulas Ptolemæi emendare conatus eſt, duorum graduum differentiam facit. Siquidem Conſtantinopoli longitudinem tribuit graduum 49. ſcr. 50. Alexandriæ vero 51. 50. Siquis menſuras Portolanorum diligenter perſequatur & mappas conſulat nauticas, tantundem inveniet.

Videamus nunc quem Libyæ locum ſecet meridianus Apolloniæ, à qua incipit via Egnatia. Si eundem ſequamur Ptolemæum, inveniemus illum meridianum, qui tranſit urbem Apolloniam, tranſire quoque Syrtim majorem, & quidem inter vicum Oeſporis dictum & Pontiam inſulam, ita ut hæc quindecim ſcrupulis ſit orientalior, ille vero quinque ſcrup. occidentalior. Quia

Quia vero planum esse videatur, si quod duos istos interjacet meridianos spatium, mutilatum aut ampliatum fuerit à Ptolemæo in climate Apolloniæ & Byzantii, sequi etiam ut idem factum sit in omnibus aliis locis duos istos interjacentibus meridianos, idcirco persequemur intervalla quæ, à parallelo Alexandriæ occidentem versus usque ad meridianum Apolloniæ intercedunt, unde quid de hac re sentiendum sit colligere possimus.

Primo itaque explicemus intervallum ab Alexandria ad Cyrenam & Ptolemaida celebrem Cyrenarum urbem. Itenerarium Romanum vulgo Antonini dictum, à Cyrena ad Rhacotin Alexandriæ suburbium numerat millia passuum CCCCLXIV, à Ptolemaide vero ad Rhacotin millia passuum IↃXLIX. Ptolemæus inter Alexandriam & Ptolemaida ponit differentiam graduum undecim, & scrup. 24. Hoc intervallum si redigas ad mensuram graduum paralleli Alexandrini habebis millia pass. 586$\frac{1}{2}$. De hoc eodem intervallo loquitur Procopius lib. v de ædificiis, cum Pentapolin viginti dierum itinere abesse ab Alexandria scribit, totidem nempe stationibus ac numerantur in itinerario Romano. Cum vero iter diei Procopius stadiis ducentis & decem includat, habebimus & hic millia pass. quingenta & sexaginta.

Sed cum nulli diligentius singula Africæ spatia sint scrutati quam Arabes, illo præsertim tempore quo Hispania potiebantur, literæque inter eos florebant; videamus & horum quoque de hoc intervallo sententiam. Audiamus ergo Geographum Nubiensem, qui ut puto feliciter rem conficiet. Is igitur parte tertia climatis tertii describens iter à Syrtibus Alexandriam, dicit Barcam oppidum interjacere, à qua abest Alexandria stationibus XXI, pass. vero millibus quingentis & quinquaginta. Singulas deinceps stationes & intervalla singula enumerat, non per ambages, sed via recta per solitudines & arenas Marmaricæ. Sed observandum culpa librariorum vel interpretis unam

excidiſſe ſtationem, cujus intervallum fuerit XXVI mill. paſſ. Alias enim viginti tantum eſſent ſtationes & mill. paſſ. ICXXIV, contra mentem ſcriptoris.

Oppidi vero Barcæ ſitum ut cognoſcamus hoc dixiſſe ſufficiat, illam non eſſe eandem ac ſit Ptolemais, ut Strabo & Plinius voluere, ſed Mediterraneam, ut recte habet Ptolemæus.

Antiquiſſimam eſſe urbem patet non pluribus tantum apud Herodotum locis, ſed & exinde, quod ab ea nomen Barcæi acceperint, qui primi artem aurigandi Cyrenæos docuerunt. Exhauſta longo tempore vicinitate Ptolemaidis, tranſlatis eo cum omnibus ſuis aquis cætero quoque urbis ſplendore. Verum everſo aquæductu, deſolata poſtmodum Ptolemais, & tunc iterum habitari cœpit Barca. Quamvis autem aquæductum hunc inſtaurarit Juſtinianus, fuit id ad breve tempus, cum jam à multis ſeculis magna iſta olim Ptolemais in ſolitudinem abierit, & paucis ſolum nota nautis nomine Tolomettæ. Barca vero notiſſima Mauris & Ægyptiis, cum per hanc communis utrorumque pateat tranſitus. Ab hoc itaque oppido totus ille tractus qui Syrtim majorem & Ægyptum interjacet Barca appellatur. Sed revertamur ad iſtud quod inſtituimus iter.

Cum itaque notus ſit ex Ptolemæo & Nubienſi geographo ſitus Barcæ, ſupereſt ut videamus, quam parva in tam vaſto intervallo inter illos quos diximus ſcriptores occurrat differentia. Ptolemæo Barcæ meridianus diſtat orientem verſus ſcrupulis novem à meridiano Ptolemaidis. Si redigas in paſſus, habebis millia ſeptem cum duabus quintis, hoc eſt paſſus fere 7715.

Auſer hos numeros ab intervallo quod diximus ſecundum Ptolemæum intercedere inter Alexandriam & Ptolemaida nempe 586⅔ & ſupererunt 578⅘. Intervallum itaque inter Alexandriam & Barcam Ptolemæo eſt paſſuum 715 ſupra millia DLXXVIII.

Nubienſis

Nubienſis vero Geographus intervallum inter Barcam & Alexandriam facit mill. paſs. DL. At vero millia paſſuum Arabica decimaquinta ſui parte excedunt Romana, ſiquidem unicuique gradui adſignant non LX, ſed LVI. paſſ. mill. Secundum horum calculum habebis millia paſſ. $589\frac{2}{7}$.

Differentia itaque inter Arabes & Ptolemæum eſt millium paſſuum $10\frac{5}{7}$. Sed ſi illos ſequaris Arabes qui ſingulis gradibus adſcribunt millia paſſ. $56\frac{2}{3}$ invenies menſuram haud multo tribus paſſ. millibus majorem Ptolemaica.

Si jam eundem hunc perſequaris parallelum à Barca uſque ad littus Syrtis majoris & inde porro uſque ad locum ubi parallelus iſte ſecatur à meridiano Apolloniæ invenies paſſ. mill. $213\frac{3}{7}$ quæ ſi jungas cum $578\frac{2}{7}$ paſſ. millibus, quibus diſtat Barca ab Alexandria conficies ſummam DCCLXXXXII paſſ. millium. Et tantum quidem eſt intervallum quo in parrallelo Alexandrino diſtat meridianus Alexandrinus à meridiano Apolloniæ.

A Parallelo Alexandrino aſcendamus ad parallelum Apolloniæ. Si illum perſequamur in orientem tendentes, donec Alexandrino occurramus meridiano, ſecundum poſitionem Ptolemæi, non prius illum habebimus, quam Cromnam attingamus, utpote quam eidem, quo Alexandriam, ſubdat meridiano, quod tamen fieri omnino non poteſt, cum Cromna & tota illa ora Ponto adſita Euxino multo longius in Orientem ſit abducenda. Patet hoc exinde quod Strabo, cui in rebus patriis præcipue credendum eſt, non uno in loco affirmet & doceat Amiſum eidem ſubeſſe meridiano, ac ſit is qui per intimum ſinus Iſſici tranſeat receſſum, quod longe aliter ſe habet in tabulis Ptolemæi, in quibus meridianus Iſſi diſtat ab Amiſo gradibus quatuor & quinque ſexageſimis. Error iſte non aliunde promanavit, quam quod Macedoniam & Thraciam, quatenus

tenus inter ortum & occaſum jacent, arcto nimis incluſerit ſpatio & Propontidis ſitum & directionem non bene expreſſerit, ut jam antea monuimus. Ipſa locorum in Thracia & oppoſito Aſiæ littore conſtipatio & confuſio manifeſte vitium oſtendunt.

At vero ſi Strabonis & illorum ſequaris ſententiam qui Byzantium & Alexandriam ſub eodem collocant meridiano, omnia recte ſe habebunt. Ut totam rem conficiamus, colligamus intervallum quod in parallelis Apolloniæ & Byzantii intermetidianus Apolloniatem & Byzantinum intercipitur, pari ratione ac in Alexandrino parallelo ſpatium quod hos duos meridianos intercedit ſubduximus. Id ſi fecerimus habebimus DCLXXXXIII paſſ. millia. Cum enim gradus in parallelo Apolloniæ minus, in Byzantino vero plus una quarta decreſcant, non multum aberrabimus ſi medium teneamus & unicuique gradui quadraginta quinque tribuamus ſexageſimas, & ſic illum quem diximus conficiemus numerum. Quod ſi magis geometrice per rationem triangulorum ſphæricorum inquiramus exceſſum lateris majoris, non tamen integra ſeptingenta habebimus paſſ. millia, cum ad conficiendam hanc ſummam tria fere paſſuum deſiderentur millia.

Ex iis quæ hactenus diximus ſatis eſt manifeſtum Ptolemæi rationes & menſuras optime ſe habere in Ægyptio, Marmarico & Cyrenaico littore, ſed vero plurimum peccaſſe in Macedoniæ, Thraciæ & Propontidis ſitu, rectiuſque de intervallo quo diſtat Apollonia à Byzantio ſenſiſſe Strabonem, & cum alios tum quoque Plinium cum Dyrrachium à Byzantio ſeptingentis & undecim paſſ. millibus abeſſe affirmat.

Fuſius aliquanto & forte ad faſtidium uſque proſecuti hæc ſumus; ſed tamen cum terrarum mariumque longitudo & ſitus abſque his cognoſci non poſſit, neceſſario dicenda fuere. Revertamur nunc ad inſtitutum & ut totius maris Mediterranei longitudinem habeamus perſequamur litus Libycum,

Libycum, unde præcipue maris hujus petenda eſt menſura. Quamvis ex iis quæ hactenus diximus clare ſatis confici poſſit plurimum peccaſſe eos qui maris Mediterranei longitudinem tam arctis incluſerint terminis, quo tamen manifeſtius horum cognoſcatur error hoc dixiſſe ſufficiat, ut in præcèdentibus quæ attulimus intervallis ita quoque in illis quæ Syrtin majorem & fretum Gaditanum interjacent ſpatiis, convenire fere Græcos, Romanos & Arabes, qui omnes cura & impenſis principum, magiſtratuum & calipharum totum Africæ dimenſi ſunt litus, nec obliquorum tantum, ſed & rectorum itinerum menſuras diligenter annotarunt. Itaq; & in Syrtis majoris ambitu & trajectu conveniunt inter ſe itineraria Romana, Geographus Nubienſis, Ptolemæus, Plinius & Procopius, niſi quod in Plinio juſto amplior occurrat numerus, in Procopio vero mille ſtadiis contractior, utrunque culpa librariorum. Sed & in menſura totius tractus qui à Gadibus uſque ad terminos Tripolitanæ provinciæ, cui Procopius nonaginta dierum iter adſignat, ſatis bene conveniunt omnes, ut nequeam ſatis mirari Geographum Nubienſem, quod tam arcto ſpatio mare incluſerit Mediteraneum, cum tamen terreſtres apud illum menſuræ tertia fere parte ſint ampliores. Si mutilanda ſit maris longitudo, mutilanda etiam fuerat terrarum adjacentium menſura.

Quod autem idem Nubienſis refert Marabutenſes quoſdam quadraginta & uno diebus à Cairo Segelmeſſam uſque penetraſſe; nullum exin argumentum duci poſſit. Qui camelis in Libya iter faciunt aliquando centum & plura paſſ. millia ſingulis abſolvunt diebus, ut Leo Afer teſtis affirmat certiſſimus. Cum vero ſecundum iſtum Nubienſem inter Cairum ſeu Alexandriam & Segelmeſſam bis mille minimum intercedant milliaria; clarum eſt iſtos Marabutenſes quinquaginta fere paſſ. millia ſingulis abſolviſſe diebus ſeu ſtationibus.

Licet multa ſuperſint, quibus ea, quæ de maris Mediterranei longitudine hactenus à nobis dicta ſunt confirmare poſſimus,,

poſſimus, ſiquis tamen ea perpendat, plura ut exiſtimo non deſiderabit, cum undique terrarum circumjacentium menſuræ, non patiantur mare hoc ad iſtas redigi anguſtias, quas ſolo eclipſeon argumento induxere Arabes, nec tamen omnes, cum etiam inter illos non defuerint, qui relictis obſervationibus lunaribus non recte inſtitutis Ptolemaicas amplexi ſint menſuras.

Ut vero cognoſcamus non in Europa modo, ſed & ubique fere & præcipue in Aſiæ longe diſſitæ partibus magno veritatis & geographiæ damno adeo mutilatum eſſe terrarum ſitum, ut Aſiam in Aſia fruſtra quæras; operæpretium fuerit in orientem excurrere, & videre quam longe in ortum ſe explicet Aſia, & aperire cauſas quibus contigerit ut nobiliſſima pars orbis in pleriſque hodiernis tabulis adeo truncata ſit, ut ampliſſima etiam regna vix dimidiam magnitudinis ſuæ portionem obtineant, quædam vero omnino non compareant.

Admiſſis ergo iis quas Ptolemæus poſuit menſuris, iſtinc unde deſivimus incipiamus. Ab Iſſi itaque ſinu & ab Alexandretta vulgo dicta per Aleppum ſive Berœam tritiſſima eſt quæ Babylonem ducit via. Conficitur ea diebus novemdecim, vel ut plurimum viginti. In longitudine Babylonis, quæ eſt LXXIX graduum, conveniunt Græci & Arabes, cum eam decem fere gradibus Iſſo ſeu Alexandretta orientaliorem faciunt. Nam quod Arabum nonnulli Babyloni tribuunt longitudinem LXX vel paulo plus, id inde factum, quod de menſura maris Mediterranei decem fere gradus amputarunt, ut jam ante oſtendimus.

A Babylone ſeu Bagdado in ortum tendentibus quindecim dierum iter eſt Spahanum uſque. Perſæ huic tribuunt longitudinem grad. 86. ſcr. 40. Ptolemæo eſt Aſpadana adſignans ei longitudinem 86 graduum, latitudinem 33—10. Unde apparet errare eos, qui recens eſſe exiſtimant hoc vocabulum. Nugantur quoque plurimum cum civitatem hanc cum Hecatompylo confundunt, quæ quam longiſſime

longiſſime hinc abeſt. Chryſococes Spahano, ſeu ut ipſe habet Ἰσφαὰν tribuit longitudinem grad. 77. 20. contractiorem de qua diximus Arabum ſecutus menſuram, quæ tamen manifeſte vitioſa eſt, & magnorum multis cauſa fuit errorum, ut cum Schiras ſeu Perſepolin in 78 longitudinis collocant gradu & ipſa occidentaliorem faciunt Babylone. Quapropter qui Ulugbegi, Abulfedæ & aliorum Arabum & Perſarum legunt libros, caveant ne à duplici iſtac menſura fallantur, quam non à propriore primi meridiani poſitione, ut vulgo exiſtimant; ſed à diminuta maris Mediterranei longitudine proveniſſe oſtendimus.

A Spahano pergamus ad Indos & primo ad Candahar, cui Abulfeda adſignat longitudinem Grad. 97. ſcr. 40. Latitudinem gr. 33. Sed rectius Perſæ, qui iſtam contractiorem maris Mediterranei non admittunt menſuram, eam collocant in longitudine grad. 106. Et hanc poſitionem eſſe veriorem exinde patet, quod inter Spahanum & Candahar interſint paraſangæ 292, quæ menſura cum 1095 paſſuum millibus convenit. Verum hujus urbis nomen eſt Scandar, quomodo Perſæ & Arabes Alexandrum vocant; ut videri poſſit eadem eſſe, ac ſit Alexandria in Ariis, quam Ptolemæus collocat in 110 longitudinis, 36 vero latitud. gradu, utrinque nimis excurrente menſura. Minus recte de ea accipias Alexandria quæ eſt in Arachoſiis, utpote quam à Candahar diſtinguat Alpherganus. De ſitu autem Candahar nequis dubitet facit Ulugbegi & aliorum auctoritas, cum affirmant eam diſtare ab Alexandria Ægypti gradibus 45, ſcr. 46. Hinc facile colligas, quam late Perſarum pateat ditio, utpote quæ à Babylone uſque ad Candahar ad mille trecenta & decem paſſuum millia in orientem excurrat. In iis tamen quæ vulgo proſtant chorographicis tabulis videre eſt Perſarum terras ad multo etiam majorem porrigi amplitudinem. Fateor ſed pudendo plane errore, cum complura etiam maxima Indorum regna Perſici regni terminis includant. Inde nempe hoc factum, quod Perſicæ

ditionis terminum Indum fluvium esse crediderint. Illum vero adeo longe in ortum promoverunt, ut in media demum compareat India, & in Cambajensi exeat sinu, cum in sinu Canthino, vulgo dicto Golfo di Jaquetta, ostia ejus collocanda sint, ita ut quadringentis minimum pass. millibus remotior sit Indus, quam situs ejus postulet; reliqua vero Indorum ditio ita contracta sit, ut in plerisque hodiernis mappis, vix tertiam amplitudinis suæ partem obtineat. Ut vero cognoscamus quantum sit magni Indorum regis imperium, & quam longe in ortum porrigatur persequamur iter & videamus quantum spatii intercedat inter Candahar & ostia Gangis.

A Candahar itaque ad Cabul numerant Indi Cossos 110. A Cabul ad Lahor cossos 244. A Lahor ad Deli cossos 191. A Deli ad Agram cossos 68. Simul conficiunt cossos 613. Sed vero brevior & rectior est via, quæ per Multan civitatem ducit Agram, quæ continet cossos 525. Cum vero singuli cossi duo minimum conficiunt passuum millia, habemus via pene recta mille & quinquaginta pass. millia.

Ab Agra vero ad Dacam sitam ad maxime orientale Gangis ostium haud procul à mari, numerant Indi cossos 492. Si utramque summam componas habebis cossos 1017. seu millia passuum 2034. Ulterius tamen producendum hoc Gangis ostium nempe usque ad Bander oppidum & fluvium Caor vel aliquanto etiam longius: id si feceris habebis intervallum à Candahar, usque ad remotissimum Gangis ostium MMC circiter pass. millium.

Si emendata locorum Indiæ latitudine, in qua non fere quam veteres peccarunt hodierni etiam scriptores, solam longitudinem & intervalla spectemus, prorsus cum hac quam dedimus mensura convenit Ptolemæus. Si enim hac ratione summam colligas, habebis millia passuum MMCXXXI. Quod si relicta Ptolemaica latitudine spatium à Candahar, id est Alexandria in Ariis, usque ad remotissimum Gangis ostium

oſtium per rationem triangulorum ſphæricorum exactius ſubducas, invenies paſſ. millia MMCCLXXXVIII. Nec multum auferendum erit de hac menſura, ſi cum Barroſo ultimum Gangis oſtium continues uſque ad Chatigam, ubi demum eluctatus omnes inſulas apertum flumen hoc aſpicit mare.

Verum alia quoque, & quidem multum rectiore via Indici imperii magnitudinem exploremus. Conveniunt omnes Indi inter oſtia Gangis & Indi fluminis intercedere minimum coſſos mille ſive bis mille paſſuum millia. Indi occidentale oſtium collocat Ptolemæus in gradu longitudinis 110. ſcr. 20. Perſæ tamen & Arabes huic adſignant longitudinem grad. 102. aut non multo plus, perſuaſi nempe eclipſeon argumento. Longius tamen oſtium hoc Indi abeſſe tam terreſtria quam marina convincunt intervalla. Promontorio Carpellæ, quod vulgo dicitur Cabo de Jaſque Perſæ adſcribunt longitudinem 94 graduum, ita ut octo graduum inter hoc promontorium & Indi proximum oſtium differentia relinquatur. At vero cum alii Luſitani, tum præcipue Barros, intervallum hoc faciunt leucarum Hiſpanicarum 200, quæ in hoc parallelo conficiunt gradus pene tredecim. In antecedentibus etiam nonnihil peccatum. Retenta itaque Ptolemaica menſura, de qua quid ſentiendum ſit poſtea dicemus, ſi calculum ineamus intervalli inter occidentale Indi oſtium & orientale Gangis, cui tribuit longitudinem graduum 148. cum ſemiſſe, habebimus millia paſſuum 2118. Quod ſi ab orientali Indi fluminis oſtio menſuram colligas, habebis paſſ. millia 1956, ita ut & ſic quoque 2000 paſſ. conficias millia, ſi quidem conſtat coſſum Indorum aliquantum excedere duo paſſuum millia.

Ex his facile aliquis conficiat, ut nunc, ita quoque olim terrarum ſuarum menſuras Indos collegiſſe, & Ptolemæum longe rectius partium Orientis longitudines poſuiſſe, quam vulgo fiat. In latitudine locorum & præſertim litorum

forma plurimum peccaſſe, negare minime debet. Dum diſcrepantes ſequitur ſententias eaſdem urbes diverſis poſuit locis, longitudine quidem quam latitudine rectius obſervata, ut cum Caſpiriorum civitatem vulgo Cachemire dictam, ſub Caſpiræ & paulo poſt ſub Gagaſmiræ nomine recenſet. Agræ hoc tempore Indorum primariæ urbis, quam ipſe Agaram nominat, longitudinem ſatis bene expreſſit, verum in latitudine tribus fere gradibus aberravit. Situm quoque Gangis fluvii rectius multo deſcripſit, quam vulgo fiat, cum ejus fontes tam longe ab Indi fontibus removent. Hinc factum ut in pleriſque fere hodiernis Geographicis tabulis vix aliquid intervalli inter Seras & Gangem relinquatur, cum tamen ampliſſima intercedant regna, quibus in hodiernis mappis vix tantum ſupereſt ſpatii, ut vel ſola notentur nomina. Quamvis enim Ganges innumeris & multum inter ſe diſſitis oriatur fontibus, nulli tamen ejus fontes aut nulla flumina quæ huic miſcentur adeo ſunt orientalia, ut inter illa & terminos Serum, quos vulgo Sinas vocant, immenſus non intercedat terrarum tractus. Flumen Peguanum quod & Martabanum appellant, licet propter infinitas inſulas intimum ſinus Gangetici obſidentes receſſum, communia cum Gange oſtia habere à nonnullis creditum fuerit; abeſt tamen ab eo quam plurimum, longiſſimeque diſſitis oritur fontibus. Vulgo exiſtimant oriri ex lacu Chiamay, quod æque verum eſt ac ſiquis dicat Rhodanum oriri ex lacu Lemanno. Illud conſtat, Martabanum fluvium non ut Ganges à Chauro in Eurum, ſed à borea fere in auſtrum profluere. Inter Gangem & Martabanum flumen quod ad mare eſt ſpatium intercipitur fere à magna parte regni Bengalæ & regno Aracan. Ultra Martabanum flumen & regnum Aracan auſtrum verſus eſt regnum Pachou, Ptolemæo Beſynga vulgo Pegu dictum. Hoc quidem regnum non admodum late patet, ſiquidem à gradu latitudinis 14. 20, non ultra gradum latitud. 18. porrigitur, ejus tamen rex ſuperiore ſeculo adeo fuit potens,

ut

ut duodecim alia regna imperio ſuo adjecerit, & excepto regno Aracan ſibi ſubjecerit quidquid terrarum ultra Martabanum flumen ad boream jacet, ad plura quam quingenta paſſ. millia. Adempta quoque Sinis ea provincia quæ Junnan dicitur, per quam fluit Martabanus. In exercitu ejus numerata fuiſſe duodecies centena hominum millia prodidere Patres Societatis Jeſu, qui illo tempore in hoc regno verſabantur. Didacus Couto numerum iſtum auget ad vicies centena millia & inſuper decies mille elephantos, quæ tamen ſumma omnem ſuperat fidem. Interim frequentiam hominum in iſtoc terrarum tractu, vel inde facile conjicias, quod in ſolo regno Peguano, licet nuſquam ducentis & viginti paſſ. millibus latius pateat, ante famoſam tamen peſtem quæ circa finem ſuperioris ſeculi regnum hoc pene in ſolitudinem redegit, ſeptem ſupra ducentas numeratæ fuerint urbes, præter infinitos pagos & vicos. Cæterarum regionum opes & magnitudinem memorare non eſt hujus loci, hoc dixiſſe ſufficiat, in illarum menſura & longitudine explicanda, plus peccari quam uſquam fere alibi terrarum. Peninſula illa, cujus cervix à Martabano fluvio & regno Pegu, ad regnum Gannan & Couchinchinam excurrit, vulgo adeo iniquis includitur terminis, ut vix quartam magnitudinis ſuæ partem obtineat. Si vulgaribus credamus tabulis, non ſufficit illa ut vel ſolam Siamenſis regis ditionem contineat, qui non minus terrarum poſſidet, quam ſit tota Hiſpania. Sunt tamen in hac peninſula etiam alia regna & alii populi, qui ſi non tantundem potentiæ & ſplendoris, non multo anguſtioribus tamen ac Siamenſes continentur terminis, qualis eſt rex Cambodiæ & Champæ & magna pars populi qui Loos vel Laos dicuntur, ut de regno Gannan, Cochincinæ & aliis taceam. Verum cum omnium harum gentium adeo confuſi ſint termini, ut certas iis menſuras adſignare non poſſimus, rectius ad Sinas nos conferemus, ut per illos quantum à nobis abſint ultima Orientis cognoſcamus; cum ſi-

ullis

ullis mortalibus, certe Sinis in ſuis rebus credendum ſit quam maxime. Ut tamen illos attingamus, & priores menſuras cum Sinenſium conjungamus menſuris, haud parva occurrit difficultas, cum non ſatis exploratum ſit intervallum, quod Sinas, ſeu potius Seras ab Indis diſtinguit. Multi quidem è Patribus Societatis Jeſu ab Agra, aut à Caſmir Sinas petierunt, ſed via montoſa & per anfractus, ut neminem hactenus invenerim qui certi aliquid de hoc intervallo auſus fuerit affirmare. Incertiora etiamnum omnia fient, ſi Moſcovitarum ſequamur itineraria, & aliquid ex illis concludere velimus. Arabibus quidem in terrarum ſuarum deſcriptione multum tribuo, ſed in remotioribus ſi illis credamus, erit ut regnum Tebet occidentalius fiat omnibus Indorum terris. Tanta præterea diverſitas in illorum occurrit ſcriptis, ut aliquando totis viginti, nonnunquam vero pluribus inter ſe diſſideant gradibus, ut cum Cambalek, hoc tempore Pequinum dictam, alii in 124, quidam in 144, nonnulli ut Chryſococes in 148 demum collocant longitudinis gradu. Nempe quanto longius in Orientem recedunt terræ, tanto plus de longitudine auferunt. Mare Mediterraneum decem gradibus contractius feciſſe ſuperius oſtendimus. De mari Caſpio tertiam fere partem abſtulerunt. At vero ultimas Aſiæ partes pluribus quam viginti & aliquando etiam totis triginta multarunt gradibus. Non aliunde quam ex eclipſeon male inſtituta obſervatione iſta terrarum & marium contigit mutilatio. Verum quæ ex eclipſibus petuntur rationes, quam multis ſint obnoxiæ erroribus, ex iis quæ poſtea dicentur ſatis fiet manifeſtum. Nunc ad inſtitutum revertamur.

Ut itaque feliciter nobis ſuccedat iter, tutiſſimum fuerit tritam maxime inſiſtire viam, & hic quoque ducem ſequi Ptolemæum. Ex omnibus illis qui vel olim, vel hoc tempore ex India ad Sericam, vulgo Cathayam & pejus Sinam appellatam peregrinantur, illos conſtat ut plurimum ex regno Caſmiræ deflexo fere ad aquilonem itinere eatenus progredi,

progredi, donec transito regno minoris Tebet, perveniant ad regnum & civitatem Kasgar vel Kacheger dictam. Ad hanc civitatem omnes gentes & omnes Caravanæ ex Indis, ex Tartaris & aliunde venientes confluunt. Arabes tribuunt huic urbi latitudinem graduum 44. Chrysococes 40. 30 Ptolemæus 43. Neque enim dubitandum, quin hæc sit illa ipsa statio, ad quam dicit convenire omnes, qui ad Seras proficiscuntur; itaque portam seu ὁρμητήριον illuc euntium appellat. Cum vero Caspiræ seu Caimiræ longitudinem tribuat graduum 127, latitudo autem ejus vera sit grad. 36. 30. longitudo autem Caschgaræ grad. 140, supereſt ut intervallum circiter sit 480 pass. millium. Hoc tamen spatium propter difficultatem itineris, non nisi integro mense conficitur. Sed propter arduos & vix superabiles montes, multo difficilius est, quod à Caschgara ad Seras supereſt itineris, quod non nisi bimestri conficitur spatio, cum tamen ad proximos Serum terminos haud plura quam 720 secundum Ptolemæum intercedant pass. millia. Australes Sericæ gentes Ptolemæo fuere ignotæ, neque enim alia via, atque ea quam diximus, quæque etiam hoc tempore maxime frequentatur, nempe per regna Tebet, ad Seras patebat aditus. Attamen Australes Serum provinciæ, multo Indis sunt viciniores, multoque magis in occidentem excurrunt. Siquidem constat provinciam Junnan sub eodem esse meridiano, ac sit ille, qui transit per regna Tipora, Aracan & Pegu. Aliquanto tamen magis in ortum sunt promovenda hæc regna quam vulgo fiat, verum non tam longe quam Ptolemæus, qui Besyngam seu Pegu ponit in gradu longitudinis 162. Multo etiamnum magis peccavit in situ Siamensium, qui sunt veri Sinæ, quosque omnium ad Orientem populorum ultimos esse credidit, addens horum terras totum ambire Orientali Oceanum, donec Africæ conjungantur. Quam fabellam jam ab Alexandri magni temporibus à Judæis fuisse confictam alibi ostendimus.

Rejectis

Rejectis itaque cæteris quæ ultra Gangis oſtia & proximos Serum terminos excurrunt ſpatiis, ſufficiat orbis veteribus cogniti menſuras ſecundum Ptolemæum quoſq; ille ſecutus eſt hactenus explicaſſe. Quod ejus numeri tam longe excedant illa quæ noſtro hoc tempore ſingulis terris adſcribuntur ſpatia, merito aliquis miretur: ſed ſiquis conſulat ſcripta Arabum, quibus tamen Aſiaticarum terrarum menſuræ cognitiſſimæ eſſe debebant, minus forſan mirabitur, ubi viderit illos longe etiamnum productiores poſuiſſe numeros. Cæterum cum paulo ante dixerimus magnam eſſe varietatem in horum ſcriptis, operæpretium fuerit monere quænam hujus diverſitatis ſeu confuſionis potius fuerit cauſa. Nempe cum multi illorum offenderentur varietate numerorum in menſura maris Mediterranei, placuit iis, omiſſo toto hoc mari aliunde longitudinum principium auſpicari, à Mecca nempe & ſepulchro Mahometi, ubi primum fixere Meridianum. Verum cum deliquiorum ſolis & lunæ eadem apud Aſiaticos atque alibi ſit ratio, ſucceſſu temporum factum eſt ut obſervatione cœleſtium ſiderum perſuaſi, & iſtic quoque terrarum ſpatia contraxerint, unde demum duplices iſti numeri prodierunt. Si tamen utraſque longitudines, maris nempe Mediterranei, & quidquid ab ultimo ejus termino uſque ad extrema Aſiæ intercedit ſpatii conjunxeris, ſemper conficies ſummam, quæ vel æquet, vel etiam excedat menſuras Ptolemaicas.

Nunc videamus quando, à quibus & qua de cauſa factum ſit, ut relictis Ptolemaicis longitudinum numeris, etiam Europæi Orientis ita contraxerint ſpatia, ut Indorum populorumque ultra Indos ſitorum intervalla & longitudines, ne dimidiam quidem in geographicis tabulis ſuæ amplitudinis obtineant partem. Quamvis menſuræ ex deliquiis lunariis ſumptæ ad roborandam hanc ſententiam multum contulerint, alia tamen & prior & potior fuit ratio, quæ depravandis & mutilandis tabulis, quibus terrarum ſitus

continetur,

continetur, cauſam præbuerit. Ut paucis expediam, factum id ſeculo ſuperiore, anno Chriſti 1521. & poſtea. Gravi nempe hoc tempore orta controverſia inter Luſitanos & Hiſpanos de Moluccis inſulis, utriſque eas ſibi vindicantibus, delataque re ad geographiæ peritos utrinque delectos arbitros, non tamen convenere vel in principio vel in fine meridianorum, quibus utrorumque ditio terminaretur. Diviſerat quidem Alexander ſextus Pontifex orbem in duo hemiſphæria, quorum alterum orientale Luſitanis, alterum occidentale Hiſpanis cederet, ſed lis erat de loco meridiani, qui duo iſtæc dirimeret hemiſphæria; Luſitanis indidem unde Ptolomæus incœpit meridianorum initium ſumentibus, Hiſpanis vero Meridianum primum ad Maranionis fluminis oſtia removentibus. Sed acquiſcendum fuit utriſque in donatione Pontificis, qui primum meridianum affixerat inſulis quæ vulgo dicuntur de los Azores.

Sed neque ſic compoſita lis fuit Hiſpanis contendentibus Moluccas inſulas ab hoc innitio abeſſe pluribus quam centum & nonaginta gradibus, vel minimum centum octoginta quinque; quoque id facilius obtinerent, affirmabant vaſtum iſtud mare quod littus Peruvianum & Philippinas ac Moluccas inſulas interjacet, non extendi ultra mille ſexcentas leucas Hiſpanicas, quæ conficiant gradus 91$\frac{3}{7}$ quibus ſi addatur ſpatium à Peruviano littore ad primum meridianum, quod aſſumebant graduum eſſe circiter ſeptuaginta; ſupereſſe fere ducentos gradus, antequam totus impleatur circulus. Inde conficiebant occidentale hemiſphærium non Moluccas tantum, ſed & totum illum tractum, qui à Moluccis ad Malaccam uſque porrigitur comprehendere.

At vero longe alium Luſitani poſuere calculum. Illi ut non tantum Moluccas, ſed & totam Japoniam orientali id eſt ſuo vindicarent hemiſphærio, incipiendo ab iiſdem inſulis de los Azores; terminos ditionis ſuæ non ſolum promoverunt ad Moluccas, quas in longitudine 160 graduum poſuere; ſed & pari prorſus ac Hiſpani ratione integros

viginti gradus longius fines ſuos produxerunt, ad inſulas uſque latronum & Japonenſis inſulæ remotiſſimam partem, iſtic ditionem ſuam terminantes in gradu longitudinis 180, ſecundum ipſorum calculum.

In figenda itaque Meridiani circuli, qui per Azoridas tranſit, parte oppoſita, totis quadraginta gradibus à ſe invicem diſceſſerunt Hiſpani & Luſitani, quæ differentia plane eſt enormis, utpote quæ nonam ambitus terreſtris globi abſorbeat partem. Attamen etiam publico edicto utræque gentes caverunt ne in quibuſvis tabulis aut Sphæris geographicis aliter gradus & meridiani ſignarentur. Longe tamen abſurdior eſt Luſitanorum ſententia, qua factum eſt ut extremæ Aſiæ partes ita contractæ in pleriſque geographicis compareant tabulis, ut ne dimidia quidem parte ſe videndas exhibeant. Notandum tamen in iis Luſitanorum tabulis, quæ diſſidium hoc præceſſerunt, iſtam non comparere deformitatem, utpote in quibus longitudines longe rectius ſe habeant, & fere cum Ptolemaicis conveniant numeris.

Contractiori tamen huic terrarum menſuræ, quam primo Arabes deinde Luſitani, & demum reliquæ ſecutæ ſunt gentes, favent intervalla quæ ex ſiderum defectibus vulgo deducuntur. Verum ut cognoſcamus quam parum fidendum ſit fallacibus umbris, quarum nec principium, nec medium, nec finem quiſquam hoc tempore adſecutus eſt, ſufficit hoc dixiſſe, ſi eclipſeon, prout vulgo ſubducuntur, habeamus rationem, fore ut terrarum ambitus trecentos tantum & viginti contineat gradus, & ut ſol ſpatio horarum $21\frac{2}{3}$ diem noctemque perficiat & mundum circumeat duabus horis & viginti ſexageſimis citius, quam omnium ætatum experientia docuerit. Nam ſi ex eclipſeon obſervationibus totum iſtud intervallum quod in occidentem pergendo à Philippinis ſeu Moluccis patet inſulis, uſque ad Limam & Peruviana littora horarum tantum ſit $13\frac{1}{3}$ ut vulgo exiſtimant, ſupereſt ut quod reliquum eſt ſpatii à Peruviano littore uſque ad Philippinas ſit horarum $10\frac{2}{3}$ ſive

graduum

graduum 160. Atqui ſi planum fecero, totum iſtud maris Pacifici ſpatium non excedere menſuram graduum 116, tota eclipſium male obſervatarum corruit ratio, & manifeſtum fiet reliquas duas horas & quod præterea ſupereſt ſpatii, in altero quod diximus quærendas eſſe intervallo. Illas vero inveniemus ſi in ſupputandis telluris ſpatiis iſtam quam inſtitimus teneamus rationem, & integra relinquamus ſpatia quibus ſingulæ gentes in menſuranda terrarum ſuarum utuntur amplitudine.

Veniamus erga ad maria & illorum quoque vaſta inquiramus ſpatia, ut exinde etiam terrarum adjacentium innoteſcant menſuræ. Sunt qui nihil certi ex navigationibus propter ventorum & æſtuum inæqualitatem colligi poſſe exiſtimant. Sed licet in pluribus locis hæc valeat ratio, in Oceanis tamen zonæ fervidæ ſubjectis, longe aliter id ſeſe habet. Tanta ibi ventorum & æſtuum eſt æqualitas, præſertim ſi qui longius à littore ſint provecti, ut paribus temporum ſpatiis, paria ſemper abſolvant intervalla. Una eademque ſemper flat aura, nullæ ibi tempeſtates, ſimilis ſemper æſtuum ab ortu in occaſum tendentium motus. Si non nimis pigræ aliove naves laborent vitio, diei noctiſque ſpatio centum & quindecim conficiunt paſſuum millia, ita ut in utranque aurem ſtertentibus nautis, neglecta omni velorum & gubernaculi cura duos fere percurrant gradus, recta per mediam zonam deferente eos æſtu & aura æquabili. Itaque quæ à portu Limæ & littore Peruviano ſolvunt naves, ſi recta in Occidentem pergant & nuſquam deflectant aut moram faciant, ſpatio quinquaginta dierum ad Latronum deferuntur inſulas. Spatio vero ſexaginta dierum ad Moluccas & Philippinas perveniunt. Idem quoque colligi poteſt ex curſu illarum navium, quæ ex Acapulco portu Mexicanorum ad Philippinas ſolvunt, quas plerunque attingunt die quinquageſimo. Cum vero meridianus Aquapulci tantundem diſtet à Philippinis, quam meridianus Limæ ab inſulis Latronum, nonaginta ſex nempe graduum intervallo,

ſupereſt ut totum intervallum, quod eſt à Peruviano littore ad Philippinas, non excedat gradus centum & ſedecim.

Quod ſiquis non contentus his argumentis, nondum admittat id quod diximus naves ſcilicet quæ ſub æquatore deferente æſtu Oceani in Occidentem tendunt ſpatio diei noctiſque abſolvere & conficere centum & quindecim paſſuum millia, deſinet is dubitare, ſi norit, non in Pacifico tantum Oceano, ſed & ubique marium, quæ intra tropicos ſita ſunt, idem obſervari. Frequens eſt commercium Luſitanorum deferentium mancipia ex Angola ad Hiſpanos Peruvianos, utilitatis ſuæ gratia illis ut plurimum licet clam iſtud permittentibus. Solvunt hæ naves ex civitate S. Pauli de Lovando & Carthagenam appellunt die quinquageſimo, vixque vel citius, vel ſerius portum hunc attingunt, cujus rei argumentum vel exinde ſumas, quod non niſi quinquaginta dierum commeatu inſtruantur. Jam vero inter Meridianum Angolæ & Carthagenam interſunt minimum gradus 96. Sunt qui majus faciant hoc intervallum, ſed illos peccaſſe alibi oſtendimus. Facile exinde poſſimus conficere, adeo certam & æqualem eſſe navigationem in media zona æſtum Oceani ſequentibus, ut duos fere maximi circuli gradus ſingulis ſemper abſolvant diebus.

Supereſt illa Oceani pars quæ à promontorio Bonæ Spei uſque ad Moluccas & Philippinas excurrit inſulas. In ejus menſura & longitudine non minus vulgo peccatur, quam in menſuris terrarum huic adjacientium. Longe majus eſt hoc intervallum, ac ſit illud quod Peruvianum littus & Philippinas interjacet. In Javæ inſulæ ſitu viginti minimum graduum error committitur. Licet faventiſſimo anni tempore & æſtu ſemper ſecundo à freto Bantamenſi aliquis diſcedat, quinquaginta minimum dierum navigatione opus eſt, priuſquam Bonæ Spei promontorium attingat. Ubi vulgo ponitur meridianus Molluccarum, ibi collocandum erat principium

cipium insulæ Javæ; Moluccæ vero totis viginti duobus gradibus promovendæ ad Orientem, & collocandæ quatuor gradibus ultra illum meridianum, cui Latronum insulæ subesse creduntur. Latronum vero insulæ & ipsæ ad viginti gradus promovendæ in ortum & referendæ ad centisimum & nonagesimum quartum longitudinis gradum. Proximæ vero partes Japonicarum insularum, ubi est urbs & insula Firando, referendæ ad gradum longitudinis 178 vel circiter. Licet non satis explorata sit insulæ hujus magnitudo, hoc tamen constat, illam triplo fere esse majorem, quam in hodiernis compareat geographicis tabulis. Quam nuper magnus ille peregrinator Tabernerius dedit tabulam, illa omnium est vitiosissima & ab imperitis compilata. Cum ex Jesuitarum observatione constet Osaccæ latitudinem esse graduum 35½, facile aliquis colligat, siquis illam examinet tabulam, totam fere Japoniam extra locum suum exulare, nec Osaccam tantum, sed & ipsum quoque Meacum & quidquid supra illam est, non esse in Japonia, sed in istoc mari, quod Japoniam à septentrione alluit. Quod eam, quam Pater Martinius dedit Japoniæ attinet tabulam, & illa quoque mutila est. Prodiit quidem ista ex officina patrum Societatis Jesu, qui soli Christianorum intima Japoniæ perlustrarunt, sed ab Hollandis interpolatam esse, patet ex Belgicis appellationibus, quæ in australi & orientali insulæ hujus littore passim occurrunt. Peccat quoque tam in longitudine quam latitudine hujus insulæ, ut ex iis quæ mox dicemus palam fiet.

Cæterum quod relicta & suppressa Sinensium de hac insula tabula istam admiserit, id nollem factum. Duas præterea alias Japoniæ tabulas libris de arcano maris inseruit Dudleus. Una antiquioris est operis & minimum ante sesquiseculum, partim à nautis Lusitanis, partim à patribus Societatis composita, altera recentior & aliquanto contractior, neutra tamen integram hujus insulæ exhibet mensuram, neque enim ut diximus vel Lusitani, vel Hispani permittebant,

bant, ut ullæ prodirent tabulæ, quæ veras terrarum in hoc tractu exhiberent magnitudines. Siquis legat ſcripta patrum Societatis Jeſu, facile deprehendet ex itineribus ultro citroque crebro inſtitutis inſulam iſtam multo majora continere intervalla, quam quæ in iis, quas diximus, ſignantur & continentur tabulis. Unanimiter fere illi affirmarunt inſulam hanc majorem eſſe Hiſpania, Gallia, Italiaque ſimul junctis. Caronius qui longo tempore commercii Hollandici ea in inſula præfecturam geſſit, multo etiamnum ampliorem facit in ea quam ſcripto ſuo præfixit tabella, illa quidem muta & nominibus vacua, unde tamen conficias inſulam vel peninſulam hanc porrigi ad plura quam mille & quingenta paſſuum millia. Latitudinem vero tribuit ſexcentorum plus minus paſſ. millium. Verum hic numerus modum videtur excedere. Ut autem veram habeamus menſuram, tutiſſimum utique fuerit, ſi ut in aliis gentibus alibi, ita in ſitu & longitudine Japoniæ, ipſos audiamus & ſequamur Japonenſes. Illi itaque adfirmant inſulam vel potius peninſulam ſuam porrigi ad quingenta milliaria Japonica. P. Martinius in deſcriptione hujus inſulæ ſingulos gradus confert cum triginta leucis Japonicis. Id ſi verum eſt habebimus Japoniæ longitudinem mille paſſ. millium. Attamen in menſura milliaris ſeu leucæ Japonicæ non conveniunt alii ejuſdem ſocietatis patres, qui quinta fere parte porrectiora faciunt Japonica milliaria. Itaque quingenta Japonica milliaria cum trecentis ſexaginta ſex leucis Hiſpanicis componit Joannes Lucena in vita Xaverii. Horum ſententiam cum alii, tum quoq; continuator Barroſi Didacus Couto lib. VIII decadis V ſecutus videtur. Hanc ſi ſequamur rationem, quæ niſi fallor verior eſt, habebimus longitudinem imperii Japonici plurium quam mille ducentorum paſſ. millium. Satis hinc conficias nullam nos hactenus Japonicam habere tabulam, quæ legitimam hujus inſulæ oſtendat menſuram. Antiquior tamen illa quam diximus, ſi ſolam ſpectemus longitudinem à Libonoto in aquilonem

aquilonem porrectam, proxime accedit ad veritatem. Nam quod latitudinem attinet, omnes in ea quamplurimum peccant, cum constet insulæ hujus litus boreale, ad quod Christianis non conceditur aditus, tam longe in septentrionem excurrere, donec conjungatur terris Jessensibus, ita ut Japonia fiat peninsula. Quod si non sit peninsula, adeo tamen angusto & horrido rupibus & scopulis ab illis quas diximus terris dirimitur freto, ut illud omnino impervium esse affirment Japonenses. Quod si tam latum intercedat pelagus, ac in plerisque videre est tabulis, sola Caronii excepta; qui fieri potest, ut insulæne, an continentis sint incolæ dubitent Japonenses?

Veniamus nunc ad ingentes istos terrarum tractus, qui ab ultimis Sinarum & Tatarorum finibus in Orientem excurrunt, ut ex illis Japonicæ insulæ adeoque terrarum omnium veram cognoscamus mensuram. Vulgo appellantur terræ de Jesso. Adierunt & illas quoque patres nonnulli Societatis Jesu, & mira prorsus de vasta harum retulerunt magnitudine. Siquidem incipiendo ab insula Corea porrigi ad sexaginta duos gradus recta semper in ortum tendentibus prodiderunt, ita ut earum longitudo superet bis mille & sexcenta passuum millia. Verum numerus iste dimidia fere sui parte justam excedit mensuram. Hoc sic conficio. Ante quadraginta circiter annos naves duæ ab Hollandis missæ ad explorandum mare quod terras Jessenses & Americam interjacet, pertransito orientali littore Japonico, appulerunt ad terras Jessenses & in gradu latitudinis 44, deprehenderunt nautæ ultimum & maxime orientale harum terrarum promontorium, addentes illud ducentis circiter & viginti passuum millibus orientalius esse eo qui extremam Japoniam stringit meridiano. Habemus ergo finem harum terrarum, inquiramus nunc longitudinem. Illam exhibebunt Seres, qui teste P. Martinio affirmant, istam Tatariæ partem quæ continet terras Jessensium, quæque à provincia Leaotung, sive à fine muri Sinensis in orientem excurrit,

porrigi

portigi ad ſex millia ſtadiorum Sinenſium, quæ conficiunt 1440 paſſ. millia. Auferantur ab hac ſumma minimum quinque gradus, quibus promontorium hoc Jeſſenſe orientalius eſt promontorio Japonico, quod Nabo appellant, & auferantur totidem gradus qui intercedunt ab extremo muri Sinici in mare exeuntis, uſque ad proxima Japoniæ, ſupererunt minimum gradus viginti duo, quos ſi pro ratione parallelorum & climatis Japonici in paſſ. millia reſolvas, habita etiam ratione obliquitatis inſulæ inter Libonotum & aquilonem porrectæ, invenies eandem menſuram, quam inſulis ſuis adſignant Japonenſes, aut etiam aliquanto majorem.

Nunc ut omnium terrarum abſolvamus menſuras, tranſeamus ad vicinam Americam, utpote quæ à terris Jeſſenſibus ne bidui quidem navigatione abſit. Adierunt hoc fretum Hollandi, eo, quo diximus anno, & in medio invenerunt inſulam duodecim circiter paſſ. millibus ab ultimo Jeſſenſis terræ promontorio remotam, & indè in euraquilonem ad centum viginti paſſ. millia porrectam, nuſquam XXVIII millibus latiorem, unde demum ad oppoſitam tellurem trajectus eſſet quinquaginta ſex paſſ. millium. Ignotas iſtas & à ſe primum detectas terras vocaverunt terras ſocietatis Indicæ. Sed vero cum totus ille quem adierunt tractus ſitus ſit in latitudine quadraginta ſex & quinque graduum, unde demum in eurum excurrunt littora, nullum eſt dubium quin terræ iſtæ pertineant ad Americam, ita ut extremis Californiæ & Quiviræ regionibus conjungantur quam proxime. Palam evincunt id ipſum non ea tantum quæ jam collegimus terrarum intervalla, ſed & navigationes, & præcipue itinera Hiſpanorum terreſtria ab urbe Mexicana eorum verſus inſtituta. Qui ante centum quadraginta tres annos ad explorandum Americæ finem ab Antonio Mendoza prorege miſſi fuere Hiſpani, progreſſi fuere ad quadrageſimum latitudinis borealis gradum, ubi eſt Quivira & aliquanto etiam ulterius, nempe ad promontorium Mendozinum, cui tribuerunt latitudinem graduum 42½.

Plures

Plures quam nongentas Hiſpanicas leucas recta ſemper ad chaurum progrediendo emenſos eos fuiſſe affirmat Lopez de Gomara, licet Herrera & alii, utilitati gentis ſuæ ſtudentes, ab hac ſumma dimidium fere detraxerint. Cum itaque in hoc Americano litore ſolus iſte tractus, qui à promontorio Mendozino, uſque ad terras quas adiere Hollandi, nempe à 45, uſque ad 42½ latitudinis borealis gradum inveſtigandus ſuperſit; ne inexploratum hoc intervallum cæteras quoque menſuras incertas reddat, dicamus qua ratione & hujus quoque ſpatii colligere poſſimus quantitatem. A Coreæ inſulæ initio, ſive potius à fine muri Sinenſis, terra Jeſſenſis in ortum porrigitur ad gradus 33. Freti latitudo patet ad quatuor circiter longitudinis gradus. Cum vero quod a Mexico ad Mendozinum promontorium excurrit ſpatium ſit graduum 53, vel ut minimum 52½ ſecundum Hiſpanorum quem diximus calculum, jam habemus gradus 90. Atqui oſtendimus ſpatium quod Acapulcum portum Mexicanorum & Philippinas interjacet inſulas eſſe graduum 96. Phillippinæ vero ſub eodem, ac initium Coreæ ſubjacent meridiano: unde planum fit, ſpatium quod jacet inter terras, quas Hollandi detexerunt, & Mendozinum promontorium non eſſe majus gradibus ſex, vel ut plurimum ſex cum dimidio. Facile hinc colligas Japoniam non niſi novem graduum freto dirimi ab America, quod intervallum Dudleus facit graduum 48.

Supereſt ſpatium quod à primo meridiano ad Mexicum uſque protenditur. Creditur id quartam partem ambitus totius terreſtris ſphæræ conſtituere, ſiquidem nonaginta gradibus à primo meridiano abeſſe hanc civitatem affirmant Hiſpani. Nec obſtabo huic ſententiæ, dummodo primus meridianus per Tenariffam tranſeat. Quo tamen de veritate hujus menſuræ certiores fiamus, brevi tabella proponemus aliarum quoque orbis partium longitudines, relictiſque fere menſuris, quibus terrarum ſuarum ſpatia ſingulæ metiuntur gentes, à quibus non tuto receditur. Quo vero

commodius res ea ſuccedat, & ne numerorum multitudo aliquam difficultatem aut confuſionem pariat, univerſum terrarum orbem in quatuor æquales diſtinguemus partes, quarum unaquæque nonaginta contineat gradus.

Incipiemus vero ab eo qui Tenariffam ſecat meridiano, utpote qui & totam includat Africam & ad menſuras Ptolemaicas propius accedat. Qui ad Azoridas & inſulam Corvi eum removerunt, illi futili omnino utuntur argumento propter rectum ſcilicet hoc in loco acus Magneticæ ſitum. Vera cauſa quamobrem id factum illa nempe fuit, ut duodecim, quindecim, aut etiam plures, quos apud Ptolemæum cum alibi, tum præcipue in menſura maris Mediterranei redundare putabant lucrarentur gradus. Quidam alibi hunc defectum compenſare fuere conati & decem vel duodecim gradibus productius fecere ſpatium, quod ab Antiochia ducit Babylonem. Cautiores aliquanto fuere, qui has & ſimiles ut putabant redundantias ad mare Pacificum tanquam ſatis capacem omnium errorum deportarent voraginem. Verum cum de mari Mediterraneo ſatis dixerimus, & niſi fallor ſufficienter oſtenderimus menſuras Ptolemæi convenire cum menſuris terreſtribus, opus non eſt plura attexere. Hoc tantum addimus, ſi in menſura maris Tyrrheni nonnihil modum exceſſerit, facile id compenſari, ſi primum meridianum, qui ſecundum ejus calculum ſecat propiorem Canariam, quam vulgo vocant Fortem Fortunam, promoveamus ad Tenariffam mediam Canariarum. Verum nos retenta Ptolemæi menſura, quam & Arabes & Perſæ majori ex parte ſequuntur, primum orbis quadrantem terminamus regia Perſarum urbe vulgo Spahan dicta, Ptolemæo Aſpadana, qui ei longitudinem adſignat graduum 86, Perſæ autem 86. 40. Si huic ſummæ addideris differentiam meridiani Tenariffenſis & Fortis Fortunæ habebis exacte gradus 90.

Secundum

Secundum quadrantem ſervatis menſuris quibus Perſæ, Indi & Seres terrarum ſuarum metiuntur ſpatia, ſic conſtituimus,

A meridiano Spahani ad meridianum qui occidentaliſſimum Indi fluminis tranſit oſtium gradus —— 18
Ab hoc Indi oſtio uſquam ad ultimos Indiæ mari adſitæ terminos, ad meridianum nempe qui tranſit urbem Chatigam gradus —— 36
Hinc ad illum meridianum ſub quo murus Sinenſis exit in mare, cui ſubſunt etiam Philippinæ & Moluccæ inſulæ gradus —— 30
Inde ad meridianum qui ſtringit initium magnæ Japonenſis inſulæ gradus —— 6

Simul conficiunt grad. 90

Tertius quadrans ſic ſeſe habet.

A meridiano qui tangit initium magnæ Japonenſis inſulæ, uſque ad meridianum qui tranſit ultimum hujus inſulæ promuntorium dictum Nabo, gradus —— 22
Hinc ad finem terræ Jeſſenſis gradus —— 5
Tranſitus freti inter terras Jeſſenſes & Americam eſt graduum —— 4
Hinc ad Mendozæ promuntorium gradus —— 6
Inde ad meridianum Mexicanæ urbis gradus —— 53

Simul conficiunt 90

Ut vero eo unde digreſſi ſumus redeamus, ad meridianum nempe Tenariffæ, ſupereſt quartus idemque ultimus quadrans, qui continet quidquid ab hoc, quem diximus meridiano, uſque ad Mexicanam metropolin terrarum mariumque interjacet. Sic vero illum conſtituimus.

A meridiano Mexici uſque ad meridianum qui tranſit per maxime Occidentales regni Peruviani partes, gradus——20
Ab hoc meridiano, uſque ad Orientaliſſimum Braſiliæ promontorium, quod S. Auguſtini dicitur gradus——55
A promontorio S. Auguſtini, uſque ad meridianum Tenariffæ, gradus——15

Simul 90

De medio hoc intervallo graves inter Hiſpanos & Luſitanos fuere controverſiæ. Vaſtum iſtum tractum qui à promontorio S. Auguſtini extenditur uſque ad Limam aut Portum veterem, recto itinere nemo emenſus eſt hactenus. E navigationibus per flumen ut vocant Amazonum inſtitutis nihil certi ne nunc quidem poſſit confici. Maritimis tamen confici intervallis, contendebant Luſitani integros quinquaginta quinque gradus ſpatium hoc continere. Hiſpani tamen certis ut dicebant eclipſium rationibus ſuffulti, non niſi quinquaginta & unum longitudinis gradus intercedere affirmabant. Verum quantum lunaribus iſtis obſervationibus tribuendum ſit, vel exinde conficias, quod non ita pridem Margravius, ſola Eclipſeon ratione permotus, quadraginta quinque tantum graduum longitudinem huic intervallo adſignarit. At vero Luſitanorum ſententiam confirmant tam maritima quam terreſtria, illa quidem obliqua, ſed quæ facile ad normam reducuntur. Quin & ipſi

Hiſpani

Hiſpani quando à portu debuenos Ayres ſito ad oſtium fluminis Argentei terreſtri itinere petunt montem Potoſi & oppidum Platam, cum quingentis Hiſpanicis leucis intervallum hoc taxant, ſatis nos docere poſſint, vaſtam iſtam Americæ peninſulam, ampliora multo continere ſpatia, quam ipſi in tabulis ſuis expreſſerint geographicis.

Ad emendandas terrarum mariumque longitudines & cognoſcendam veram orbis univerſi faciem hæc dicta ſufficiant. Qui non omnino hebes & ad tractandas iſtiuſmodi res imperitus acceſſerit, facile ut puto intelliget quanto meliores noſtræ ſint menſuræ, ac ſint iſtæ quæ vulgo in tabulis & ſphæris paſſim obtinent geographicis, in quibus & Seres & Indi & pleræque fere orientis gentes, adeo longe extra fines ſuos exulant, ut ubivis potius quam in illis, quas Deus & Natura iis conceſſit, invenias ſedibus. Ubi continens eſt ibi invenias inſulas, ubi vaſta occurrunt regna, ibi omnia ſunt maria: denique tanta in illis terrarum, marium inſularumque facta eſt confuſio, mutilatio & diſtorſio, ut magna pars Aſiæ mille & quingentis paſſ. millibus loco ſuo avulſa alio migrarit. Tantam nempe geographiæ labem intulit aromatarium iſtud Hiſpanos inter & Luſitanos diſſidium & conſecutæ exin deliquiorum ſolis & lunæ obſervationes, quibus utrique ad promovendos commercii & navigationis ſuæ utebantur terminos. Lis erat de Moluccis ut diximus. Peritiores nautæ & geographi affirmabant ſitas eſſe eas in oppoſita parte meridiani qui per Azores tranſit. Sed qui pro Hiſpanis ſtabant contendebant illum oppoſitum meridiani ſemicirculum tranſire non per Moluccas, ſed vero per inſulam dictam Zuba, quæ gradibus duobus aut ut plurimum tribus occidentalior ſit Moluccis. Luſitani vero multo nobis viciniores eſſe affirmabant Moluccas, ſic tamen ut ſi hic ſubſtitiſſet controverſia, de decem vel octo aut etiam paucioribus iis fuiſſet gradibus. Poſtquam vero ad aſtronomos res delata fuit, longæ aliæ prodiere menſuræ. Illi quippe habita ratione eclipſium diverſis in occidentali hemiſphærio

hemiſphærio locis obſervatarum, certum eſſe affirmabant Hemiſpærium Hiſpanicum producendum eſſe ad Malaccam uſque, quam viginti duobus minimum gradibus occidentaliorem eſſe dicebant Moluccis. Luſitani vero & ipſi diverſis in locis in ſuo hemiſphærio ſubducentes horas & momenta eclipſium, centeſimum & octogeſimum gradum referebant ad finem Japoniæ, viginti duobus gradibus, ut affirmabant, remotum à Moluccis. Sed vero non viginti duobus tantum, ſed integris viginti octo gradibus abſunt ultima Japoniæ à Moluccis, ita ut inter Malaccam & orientaliſſima Japoniæ intercedant gradus quinquaginta duo, licet non plures quam quadraginta quatuor ſpatio huic vulgo tribuantur. Facile hinc conjicias, quantum in metiendis ſingulis hemiſphæriis errarint Luſitani & Hiſpani. Quod ſiquis illos ſtudio putet abbreviaſſe menſuras eclipſium, ut contractiora faciendo ſingula ſpatia, id quod ſuo deeſſet hemiſphærio, id de altero auferrent, non quidem is male argumentabitur; errabit tamen ſi alia quam qua ſemper fieri ſolet ratione eclipſeon momenta eos ſubduxiſſe exiſtimet. Si quis totum terrarum metiatur orbem per ſpatia ex eclipſeon obſervatione emergentia, ſemper 44 & trium fere horarum invenietur defectus. Quod ſiquis dubitet, conſulat is eclipſes, quam cum alii, tum præcipue præſtantiſſimus & diligentiſſimus aſtronomus Jo. Bapt. Ricciolus collegerunt adeo contractas in illis deprehendet omnium fere terrarum menſuras, ut Oceano Pacifico à Peruviano litore uſque ad Philippinas inſulas relinquatur ſpatium centum & ſexaginta minimum graduum. Atqui certis documentis oſtendimus mare hoc non patere ultra centum & ſexdecim gradus. Si itaque reſidui iſti quadraginta quatuor gradus perperam cauſa eclipſium Pacifico attributi Oceano, ab eo auferantur, & ea qua diximus ratione terris reddantur, jam omnia recte ſe habebunt. Servet itaque Mediterraneum juſtam menſuram, genteſque mare hoc accolentes Græci inquam, Ægyptii, Cyrenæi & reliqui Afri, ne tam iniquis includantur

dantur ſpatiis, ut terrarum ſuarum non agnoſcant formas & figuras; Perſis, Indis & Seribus reſtituantur quæ adempta ſunt; id ſi fiat, jam vera terris redibit facies, & partes partibus & totum cum ſuis conveniet membris. Nulla vero eſt cauſa ut iis moveamur argumentis, quæ ex eclipſeon petuntur apparitionibus, quamdiu earum umbræ, ea qua vulgo fit, ſubducuntur ratione.

Nec parva occurrit difficultas, ſi huic vitio mederi velimus. Cum enim neſciamus quantus ſit Sol & quantum à nobis abſit; neſcimus etiam ubi interior umbra, quæ in conum deſinit, terminetur. Neſcimus principium & finem dilutioris umbræ, quæ longe latius patet, quam oculorum ſenſus poſſit percipere, cum integra fere hora abeat, antequam diliquium appareat, nec minus intercedat ſpatii, antequam debilior umbra prætereat, quam tamen jam præteriſſe putamus. Neſcimus quantum ſit ſpatium, quo in orbe magno ſingulis horis terra promoveatur, interea dum obſervationes inſtituuntur. Scimus quidem quotam hujus orbis partem ſingulis horis ſeu momentis percurrimus, ſed quantum ſit iſtud quotum neſcimus. Ignoramus etiam qualem motu ſuo luna, dum circa terram noſtram fertur, deſcribat orbem. Defectus quidem hujus ſideris beneficio Chaldæorum exacto ſatis calculo prænoſcuntur, verum parum id prodeſt, cum non ex certa ſcientia, ſed ex eventuum obſervatione notæ ſint ejus anomaliæ & proſthaphæreſes, quæ tamen hactenus non ſuffecere ad demonſtrandam orbitæ ejus rationem. Ignoramus præterea leges refractionum, quæ ſemper efficiunt, ut quanto obliquiori angulo res quæq; à nobis conſpiciuntur, tanto omnia adpareant viciniora. Quis neſcit ex editioribus locis Solem videri etiam cum viginti duobus gradibus infra horizontem depreſſus latet? Eadem cæterorum quoque ſiderum foret ratio, ſi pari ac Sol ſplendore pollerent. Concedunt quidem multi etiam in eclipſibus refractionis eſſe habendam rationem, cum certum ſit ſole & Luna duobus gradibus ſupra horizontem conſtitutis,

conſtitutis, Lunam tamen pati deliquium; negant tamen tantum in ſubducendis eclipſibus poſſe committi errorem, ut in metiendis ſingulis hemiſphæriis, totis viginti duobus peccetur gradibus. Verum quid opus eſt verbis, experiantur calculum, & videant, num quod Hiſpanis & Luſitanis, idem quoque ſemper contingat. Utrique eclipſium ſecuti rationes invenerunt in ſingulis hemiſphæriis gradus ut plurimum, 158, ſecundum quorum menſuram orbis univerſi ambitus non continebit plures quam trecentos & ſedecim gradus, manifeſto quadraginta quatuor graduum errore. Ut itaque tandem abſolvam, hoc dixiſſe ſufficiat, ex terreſtribus intervallis & ex ſingularum gentium de menſuris terrarum ſuarum ſententia, longe tutius & certius longitudines colligi, quam ex ſolis, lunæ, aliorumque ſiderum apparitionibus vel deliquiis, quam diu, ea qua vulgo fit ratione, cœleſtes ab aſtronomis obſervationes inſtituuntur. Ut autem illæ emendentur, neceſſe eſt ut refractionum damna pro intervallorum compenſentur magnitudine, utque ex terreſtribus intervallis, veluti certis magis & exploratis, corrigantur & ſuppleantur defectus umbrarum, qui in omnibus hactenus tam Solis quam Lunæ deliquiis geographiam & longitudinum turbant ſcientiam. Qua autem ratione in ſingulis vicinis aut remotis intervallis inſtituendæ ſint iſtiuſmodi æquationes, id ſatis clarum fiet ſi ipſa cognoſcantur intervalla in quibus obſervationes peraguntur. Quanto enim ſpatio radius verus, quem terreſtria oſtendunt intervalla, excedit radium apparentem, qui è ſiderum umbris & refractionibus colligitur, tantundem ſemper addendum eſt temporis, quo defectus iſte compenſetur. Terreſtria autem intervalla ſatis tuto ſubducentur, ſi eam quam diximus inſiſtamus viam, & ſingularum gentium in metiendis ſuis terris ſequamur fidem, id enim ſi fiat, habebimus ambitum terrarum nullo vel hiatu vel exceſſu laborantem, ſed per convenientes numeros & menſuras in ſua membra & legitimas partes quam exactiſſime diſpertitum.

Ad

Ad legem terreſtrium intervallorum, reducenda quoque ſunt marium ſpatia. Id enim ſi non fiat, perit omnis longitudinum ratio. Qui enim miſerorum nautarum ſubſiſtat calculus, ſi maria pluſquam mille paſſuum millibus ſint patentiora, quam in marinis ſuis quas ſequuntur inveniunt tabulis, cujus exemplum dedimus in eo mari, quod promuntorium Bonæ Spei & fretum Bantamenſe interjacet: aut ſi pluribus quam mille paſſuum millibus contractiora ſint marium ſpatia, uti in Pacifico contingit Oceano? Sed vero ſi ea qua diximus ratione terrarum mariumque menſuræ reformentur, probe cum terreſtribus intervallis navigationum convenient ſpatia; bene quoque ſe habebunt triangula loxodromica, vixque erit ut in calculo peccent nautæ, niſi negligentes aut admodum fuerint imperiti.

~

BP DE

DE PATEFACIENDA PER SEPTENTRIONEM AD JAPONENSES & INDOS NAVIGATIONE.

IIS qui aliquam hujus & ſuperioris ſeculi navigationum habent ſcientiam, ſatis eſt notum quanto ſtudio & deſiderio quantiſque propoſitis premiis fœderati Belgii proceres jam ab octoginta & pluribus annis conati ſint excitare eos, qui primi aperirent viam, qua ad Sinas, Japoniam aliaſque orientis inſulas brevior & compendioſior per ſeptentrionem patefieret aditus. Verum primos conatus non ſemper ex voto ſuccedere ſatis experti ſunt, qui ſeſe huic itineri accinxerunt, quorum opus non eſt recenſere calamitates, cum omnium manibus eorum verſentur diaria. Qui proxime illos ſubſecuti ſunt, nihilo fuere feliciores, eadem quippe prementes veſtigia, iiſdem quibus priores circumventi fuere difficultatibus. Nempe fefellit eos quod exiſtimarint fretum quod Novam Zemblam & Tatariæ continentem interjacet eſſe pervium, ac per hoc patere navigationem ad Sinas, cum tamen Moſcovitis hoc tempore notiſſimum ſit, novam Zemblam non eſſe inſulam, ſed

partem Tatariæ, cui ab oriente longa cervice annexa eſt, ita ut fretum quod per anguſtias oſtii Waygat aditur, vere non ſit mare, ſed Sinus maris, ſeu potius lacus aquarum dulcium. Copia fluminum è media Aſia in hunc Sinum exeuntium hanc efficit dulcedinem, ut mirum non ſit hiberno tempore aquas has adeo vehementi gelu conſtringi. Quod vero non ſucceſſerit navigatio Wilhelmi Bernardi navarchæ alias peritiſſimi, qui latus Novæ Zemblæ ſeptentrionale uſque ad 77 emenſus eſt gradum, neque hoc mirum videri debet, cum notum ſit omnibus in ſeptentrionem tendentibus terras pleraſque ad multas ſæpe leucas glacie cingi, quæ tamen in aperto mari non reperitur, ne ſub polo quidem, niſi caſu, quando nempe provecta æſtate, ſoluto quodammodo gelu, illa ipſa glacies, quæ terras ambit, iis relictis, paſſim in maribus fluitat.

Hoc ipſum obfuit quominus neque ſucceſſerint eorum tentamina qui aliquanto altius ſeptentrionem verſus curſum ſuum inſtituerunt, repreſſi quippe ab iſtac temere & quaquaverſum fluitante glacie curſum ſuum inhibere & patriam ſuam repetere fuere coacti.

Ante octo demum vel decem annos Mercatores aliqui Amſtelodamenſes & Roterodamenſes denuo hoc maretentavere, & longe feliciori ſucceſſu quam priores. Progreſſi quippe ad 78 & 80 latitudinis borealis gradum pluſquam centum leucis prætervecti ſunt novam Zemblam orientem verſus, & quamvis diligenter caverint, ne cognoſcerentur ea quæ vidiſſent, hoc tamen in vulgus promanavit, obſervaſſe eos mare ultra novam Zemblam purum ab omni glacie & perquam navigationi commodum. Regreſſi itaque ad ſuos proceribus Federati Belgii obtulerunt diverſos libellos ſupplices, rogantes eos ut quandoquidem illi totius pene orbis commercium ſolis orientalis & occidentalis Indiæ conceſſiſſent præfectis, vixq; cæteris mercatoribus adeo bene de Rep. meritis præter Mediterranei & Baltici maris commercium aliud quidquam ſupereſſet, concederent ſaltem navigationem ad

oras

oras ſeptentrionales & nondum detectas orientis oras, quas utriuſque Indiæ non frequentaret ſocietas, idque tanto magis, quod jam ante tot annos ipſi proceres magno etiam propoſito præmio quoſvis ad aperiendam per ſeptentrionem ad Sinas & Japonenſes viam invitaſſent.

Præfecti ſocietatis Indicæ rem ſuam hic agi exiſtimantes & ipſi libellos obtulere ſupplices, rogantes ut iſtiuſmodi mercatorum poſtulata ad ſe remittantur. Multas enim turbas orituras ſi quid iis deferatur. Quod vero præmium attineret à proceribus propoſitum, ſeſe hoc in ſe recipere, & judicaturos prout ipſis bonum videretur. Mercatores ubi ſuppreſſos eſſe intellexere libellos ſuos ſupplices Regem Daniæ adierunt, qui illico poſtulatis ipſorum annuit. Sub ejus itaque auſpiciis paravere duas aut tres Galeotas itineri huic ſuſcipiendo maxime ut credebant idoneas. Hoc ubi cognovere ſocietatis Indicæ Præfecti annumerata aliqua pecunia ſumma facile perſuaſere nautis, ut omiſſo tam periculoſo itinere & ſibi conſulerent & ſimul mercatoribus cauſas querelarum præcluderent. Nautæ dicto audientes ubi ſe mari commiſere poſthabitis mercatorum mandatis rectà Spitsbergam ſe contulere, unde onuſti piſcibus domum reverſi ſunt.

Attamen neque ſocietati Indicæ defuit ſtudium & diligentia etiam ab altera parte tentandi itineris quod ab Indis & Sinis per mare ſeptentrionale navigantes in Europam reduceret. Rumor quidem erat de freto Anian per quod in mare Tartaricum pateret aditus & ex Japonenſibus & Luſitanis nonnulla intellexerant de terris Jezzo ſupra Japoniam ſitis, verum ſoli rumori non acquieſcentes, anno hujus ſeculi 52 & 53. aliquot è ſuis explorandi gratia ad has oras miſerunt. Provecti illi ſupra Japoniam uſque ad quinquageſimum borealis latitudinis gradum adierunt terras Jezzo dictas, & detexere fretum latum ſatis & commodum per quod borealis poſſit adiri Oceanus. Terras oppoſitas *het compagnie lant* appellarunt. Inſulam autem in medio ſitam

inſulam

inſulam Ordinum. De harum terrarum conditione nonnulla in lucem prodiere longe tamen plura habentur in ipſo nautarum diario, quæ ſtudio ſupprimuntur.

An vero hæc terra Jezzo annexa ſit Japoniæ, dubitant æque Japonenſes ac Jezzenſes propterea quod vaſti & inacceſſi intercedant montes qui tranſitum impediant.

Sed neque ſatis conſtat an hæc Jezzenſis terra portio ſit Tartariæ, an vero freto ab eadem dirempta & ſeparata. Sinenſes affirmant Tartariam ſupra murum uſque ad trecentas leucas Sinicas orientem verſus excurrere, adeo ut terra Jezzo ipſaque Japonia, ſi hos ſequamur, poſſint videri Tatariæ eſſe annexæ. Sed vero ipſi Jezzenſes affirmant inter ſuas terras & Tatariam fretum intercedere. Horum ſententia ex eo confirmari videtur, quod Hollandi illi qui ante ſex vel ſeptem annos naufragium paſſi ſunt ad Coream Sinæ peninſulam obſervarint balenam cujus tergo infixus eſſet hamus Vaſconicus. Horum vero fides cum à nemine in dubium vocetur, utique veriſimilius per vicinius fretum à Spitsberga balenam iſtam huc enataſſe, quam per illud quod remotius eſt, de quo paulo ante diximus. Ut ut ſit veriſimile ſatis hinc colligi poſſit, indicium, id quod Japoniam & Spitsbergiam intercedat mare eſſe pervium. Attamen quo minus hoc argumentum urgeam, facit quod & Japonenſes capturæ balenarum ſint addicti, utpote à quibus trecentæ vel ducentæ minimum ſingulis annis capiantur balenæ, facileque fieri potuerit, ut ſimilitudo hamorum impoſuerit. Sed & à Jeſſenſibus multæ capiuntur, licet ipſorum hami ſint ex oſſibus ferro acuminatis ut affirmant qui illorum luſtrarunt terras.

Poſt inquiſitionem factam anno ut diximus hujus ſeculi 52 & 53 ulterius inquirere deſtiterunt Præfecti ſocietatis Indicæ, tum quod Japonenſium imperator ut affirmant, non permittat navigationem in terras Jezzenſes, utpote è quarum argenti fodinis haud exiguum ſingulis annis percipiat tributum, tum quoque quod præfecti ſocietatis minime

è re

re ſua eſſe exiſtiment, ut compendiaria hæc innoteſcat navigatio. Ut itaque de Auſtralibus oris, ſimili quoque ratione de Jezzenſibus & aliis adſitis terris edicto caverunt ne ulterius inveſtigarentur.

Tractum vero quod attinet intermedium, ſpatium nempe quod Spitsbergam Novam Zemblam & Jezzenſia interjacet freta; de eo non eſt ut dubitemus non tantum quod balena tranſitum invenerit, ſed & quod Moſcovitarum complura experimenta confirment, litus Tataricum à Nova Zembla non in Boream ſed in Eurum potius declinare ita ut vertex novæ Zemblæ omnium Tatariæ locorum longe ſit borealiſſimus.

Quin & ex tabulis chorographicis Sinenſium & eorum hiſtoriis idem colligere eſt, affirmant quippe illi à muro Sinenſium in boream tendentibus ſpatio quatuordecim dierum ad mare perveniri. Ipſe quoque Tatariæ tractus qui eſt ultra Samoyedas viciniam maris ſatis teſtatur, quanto enim quis longius in orientem procedit tanto omnia mitiora & cultiora occurrunt. Flumina illic vaſta & navigabilia civitates inſuper magnas & multarum rerum copia affluentes obſervavere Moſcovitæ, quod ſane ſecus ſe haberet, ſi longe in boream tractu excurrerent terræ.

Supereſt ut inquiratur, qua via & quo potiſſimum anni tempore navigatio hæc ſit inſtituenda. Siquis breviſſimam velit carpere viam quæ ad fretum ducit Jeſſenſe, tranſeundus utique polus eſt borealis relicta ad dextram Spitſberga. Cum enim hoc fretum ſit in longitudine graduum 111, ubi finiuntur terræ Jeſſenſes, pateatque ad Americæ proxima litora ſita in longitudine 215, ſatis colligi poteſt, ſiquis ex eo quod Britannos & Belgas interjacet mari eundem ſemper perſequatur meridianum, illum neceſſario huic occurſurum freto. Sed vero ſub polo inutilis eſt acus magnetica & amittitur meridianus, & magnum ab occurrente plerunque glacie imminet periculum. Neſcitur præterea num terræ ibi ſitæ tranſitum permittant. Tutius

itaque

itaque huic se committere mari, quod Spitsbergam & Novam Zemblam interjacet, cujus jam magnam partem investigarunt Belgæ, constat enim pluribus quam centum leucis prætervectos fuisse Novam Zemblam Orientem versus, nec ullam observasse glaciem. Consultissimum itaque fuerit horum premere vestigia & relicta quamproxime ad levam Spitsberga ad octogesimum usque gradum navigationem dirigere, aut etiam ulterius aperta persequi maria, donec converso deinceps ad eurum & euronotum cursu Jessense tandem attingas fretum. Pertransita Nova Zembla scito te medium itineris confeciisse. Quanto propius polum accesseris & minus discedas ab illo meridiano qui ab hoc nostro mari per polum transit, tanto brevior & rectior erit navigatio, cum polus iste fere sit medius inter nos & fretum Jessense.

Tempus quod huic navigatio ni fuerit commodissimum, bifariam considerandum est. Primo vere, mense nempe Martio, ventos & maria favere tendentibus ad Spitsbergam & oras polo adsitas, totumque illud spatium absolvi undecim duodecim aut tredecim dierum spatio in confesso est apud plerosque. Sed vero pertransito eo intervallo, siquis freta Jezzensia petere in animo habeat, omnino ad meridiem instituendus est cursus; unde fiet ut iidem illi ventorum & marium motus qui navigantibus boream versus erant propitii, fiant contrarii tendentibus in austrum. Diu vero expectandum erit, priusquam aquilones flare incipiant, qui ut plurimum provecta jam æstate & demum mense Augusto solent favere. Quapropter siquis brevissimo spatio iter istud conficere velit, is haud multum aberrabit, si illud eligat anni tempus, quo & aditus & reditus ad Spitsbergam brevissimo possit absolvi tempore, quod ut puto, fiat æstate. Tutius tamen illam prævertere, & cursum navigationis quoad licet & fieri potest promovere.

Quod si contingat ut iter hoc feliciter succedat, opus non fuerit ut puto monere ea quæ in aditu, illa ipsa quoque in reditu

reditu esse observanda. Prudentiæ itaque nautarum & ductorum hæc relinquenda sunt.

Monendi tamen nautæ, quandoquidem magna pars hujus navigationis per ignota instituenda sit maria ut quoad fieri potest occurrentes terras & insulas devitent, propter glaciei periculum, & ut patentiora semper eligant maria velutique minus à glacie infestantur, & in quibus frigus sit moderatius. Experientia jam satis docuit nusquam reperiri integra maria concreta, sed oras tantum & litora terras ambientia, à liquatis in salso humore navibus gelu constringi. Docuit quoque eadem experientia non tantum esse periculi à fluitante passim glacie, quam vulgo jactatur, præsertim in tractu non magnis tempestatibus obnoxio & semestri seu potius octimestri die. Si tamen crebræ terræ & insulæ prætereundæ fuerint, tutius est latiora insistere freta, & non illa latera quæ boream spectant, sed ista quæ in meridiem vergunt legere, quæ vel nunquam vel certe multo minus à glacie obsidentur.

Ubi maris hujus & interjacentium fretorum natura penitius investigata fuerit, ne dubitandum quidem videtur, quin totus ille tractus qui ab hoc nostro mari Japoniam usque extenditur, quinque vel sex ut plurimum hebdomadibus possit absolvi.

Attamen si vel casu vel errore contigerit, ut nondum confecto itinere alicubi hibernandum sit, etiam hoc absque periculo fiet dummodo vitetur crassus ille Belgarum stupor, qui in ultimo pene septentrione hyemem transacturi habitaculum sibi in summa telluris superficie è modicis tabulis ligneis exstruxerunt, qua ratione ne apud Jappones quidem vita constare possit. Deprimendæ sunt ædes infra terram, eædemque copiosa humo consternendæ, neque enim in tanta cœli hyemalis inclementia servari homines possint, nisi in terræ visceribus delitescant.

Supereſt ut de altero quoque nonnihil dicamus freto, quo terræ Jessenses, ut complures scribunt, à magna Tata-

rorum dirimuntur continente. Seres tamen hoc negant, & Coream & terram Jeſſo, Tatariæ conjunctam eſſe affirmant, uti in ſuo Atlante Sinico teſtatur P. Martinius. Verum ab iſtis Seribus, quos ſecutus eſt P. Martinius, diſſentiunt Coreani, qui & ipſi ſunt Seres, & Coream inſulam eſſe contendunt. Addunt quoque ſupra Coream vaſte ſe explicare maria. Sic retulere Hollandi naufragi de quibus paulo ante diximus, qui viderunt ibi balenas, quorum tergis hami inſiderent Vaſconici, unde certum poſſimus capere indicium, illas à Spitsberga uſque ad Coream enataſſe, ſi verum ſit hamos iſtos fuiſſe Vaſconicos, & non Japonenſes aut Jeſſenſes, ut monuimus. Nonnulli ex patribus ſocietatis Jeſu qui & ipſi has adierunt oras, Coream & huic junctas terras Jeſſenſes freto à Tataria dirimi affirmarunt. Ipſi quinetiam Jeſſenſes terras ſuas inſulam eſſe teſtantur. Et ſane moribus, habitu corporis & cæteris in rebus tantum à Tataris diſcrepant, ut alterius orbis potius, quam ejuſdem continentis incolæ eſſe videantur.

Omnia hæc licet perſuadeant eſſe & ibi fretum quod pervium ſit, quia tamen illud non ſatis hactenus eſt exploratum, tutius niſi fallor fuerit per alterum orientalius, quod diximus, fretum curſum dirigere. Si tamen vel caſu, vel errore nautarum, illud prius ſe obtulerit, non inconſultum fuerit, & hujus quoque ſitum & naturam non ſcrutari tantum, ſed & adjuvante maris æſtu pertranſire, præſertim ſi finiente æſtate & potiſſimum autumno illuc appellant. Tum enim ut in toto boreali oceano, ita quoque illic ventus & æſtus in auſtrum tendentibus favebunt, qui plerunque hyeme & vere ſunt contrarii.

DE

DE APPARENTIBUS IN LUNA CIRCULIS.

QUamvis videam pleroſque, qui beneficio teleſcopiorum cœlum penitius contemplantur, in ea eſſe ſententia, ut quæ in globo Lunæ adparent inæqualitates non montes eſſe exiſtiment, ſed vero cavitates ſeu valles potius profundas & alto circumdatas aggere: tantum tamen abeſt ut ſic ſentientium unquam me moverint argumenta, ut contra iſtis adparitionibus & iſtac opinione nihil eſſe fallacius certo mihi perſuaſerim. Nam quod ex umbrarum ratione id ipſum ita ſe habere pertendant, in eo quam longiſſime illos à veritate abeſſe arbitror. Si quis partem Lunæ à ſole illuſtratam contempletur, utique cavitates ſe videre exiſtimet: ſed vero ſiquis eaſdem partes in hemiſphærio Lunæ umbroſo & tamen diu priuſquam oriantur à ſole illuſtratas aſpiciat, utique montes eſſe cognoſcet. Iſtas duas apparitiones ſibi invicem contrarias conciliare conantur, dicentes eſſe quidem cavitates, ſed undique prælto ambiri vallo, itaque & montes ſimul eſſe & cavernas. Verum hæc ratio neutiquam ſatisfacit & nequidem eſt probabilis. Profecto Lunæ corpus non diſcrepat à noſtra tellure, eademque quæ hic, occurrunt quoque iſtic, maria, inquam, flumina, lacus, montes & valles, ſed ſimiles noſtris. Et ſane quem

non offendant valles & aggeres tam circinatæ rotunditatis, qualem vel unum fruſtra in tota hac noſtra quæras tellure. Quomodo fieri poſſit, ſi tam profundæ iſtic paſſim inveniantur valles, aut antra, ut à pluviis aut allabentibus aquis non impleantur? Sed & hoc quoque qui fieri poſſit, ut præalti iſti aggeres qui in umbroſo Lunæ hemiſphærio à viceſima lunaris diametri parte ſunt conſpicui, quando in lucem emergunt & in hemiſphærio lunæ conſpicuo verſantur, non etiam umbras ſpargant quam latiſſime diffuſas? Omitto reliqua quæ ſiquis perpendat, omnino etiam ut fateatur neceſſe eſt, falli nos ab oculis noſtris, & quærendas eſſe alias cauſas, quæ omnibus iſtis apparentiis ex æquo ſatisfaciant. Sic itaque exiſtimo, ſiquis in Luna verſetur, & inde tellurem noſtram proſpectet, illic conſtitutis eodem modo apparitura pleraque quæ apud nos fiunt, ac nobis appareant illa quæ in Luna contingunt. Hoc quo facilius accipiatur, explicanda eſt primo cauſa & origo circulorum lucidorum, qui in parte Lunæ à ſole illuſtratæ adeo frequentes adparent, ut præter rotundiſſimos exactiſſimæque circinationis orbes vix quidquam aliud in Luna videamus.

Dico itaque illos nihil aliud eſſe, quam montium à ſole illuſtratorum everſam in aëre lunam ambiente imaginem, eodemque prorſus modo generari ac irides in aquis, in aëre, aliiſque pellucidis corporibus.

In aquis quomodo fiant exemplo nobis eſſe poſſit nummus vel aliud quid majus eo, quod præcipue fulgeat & ſub aquis conſpici poſſit, quanto enim altius ſub aquis deprimantur res iſtiuſmodi, tanto ſemper majores apparebunt. Quod ſi illæ ad haſtæ longitudinem depreſſæ fuerint, jam in medio incipiunt nigricare & dehiſcere. Altius etiamnum ſi mergantur ad quadraginta nempe aut plures pedes, ut in quibuſdam maribus obſervatum eſt, jam imagines non integræ, ſed everſæ & in amplum apparent conformatæ circulum.

In

In aëre idem contingere patet è lucernis in aëre humido eminus conſpectis, quanto enim longiori intervallo illæ abſunt, tanto adparent majores, donec in medio deficiant & dehiſcant & tandem in ampliſſimos abeant circulos. Nec alia iridum & halonum eſt ratio, de qua multi multa quidem, nulli tamen quod ſciam ſatis bene ſcripſere. Neque enim aliud eſt iris quam imago Solis in ſpeculo aëris everſa & in circulum deformata. Interior & minor iris eadem ratione fit ac fiant iſtæ irides quæ in ſpeculis concavis aut vitris convexis formantur, cum imagines à medio ad oram ſeu circumferentiam priuſquam invertantur recedunt. Exterior & major ſeu potius propior iris eſt imago Solis jam inverſa, ideoque colores habet priori quoad ordinem contrarios & aliquanto imbecilliores, eadem prorſus ratione qua imagines quæ poſt decuſſationem radiorum à vitris redduntur convexis. Verum cum hæc alibi fuſius ſimus perſecuti, iis nunc non immorabimur.

Quod rationem umbrarum attinet, quæ vulgo perſuaſit ut qui revera montes ſunt, habeantur pro cavernis aut profundis vallibus, de illis ſic exiſtimo. Idem iſtic contingere quod ſphæræ vitreæ aqua plenæ quando Soli opponitur. Id enim ſi fiat, jam quoque videre eſt, eam ſphæræ vitreæ partem quæ ſoli vicinior eſt, ilico obſcurari: averſam vero partem & à Sole remotiorem clariori luci perfundi, utpote in quam radii ſolis convergant? cum altera pars, quæ imaginem ſolis excipit, opacetur. In pellucidis enim corporibus ſi imago generetur. jam quoque pelluciditatem tolli & opacitatem induci, optica docet ratio.

In aëre vero idem contingere argumento eſſe poſſint parelia, quæ a parte ſoli expoſita obſcuriora plerunque videntur, lucidiora vero in parte à Sole averſa.

Sed nequis ſuſpiciones vanus & conjecturas non ſatis valido nixas fundamento promere me exiſtimet, a Idam illuſtre teſtimonium unde ipſa hæc quæ diximus in montibus evenire manifeſto poſſit colligi exemplo. Picus mons Tenariffæ

inſulæ

insulæ excelsus, notus est omnibus. Illum ante annos aliquot curiositatis gratia conscendere complures mercatores Angli. Præter alia quæ in culmine ejus constituti observavere, hæc quoque quæ ex Anglico sermone conversa subjunxi vidisse se testantur: *Ab hoc monte Pico, Canaria magna quæ quatuordecim, Palma quæ octodecim, & Gomera quæ septem abest leucis adeo distincte cernuntur, ut universus ille qui intercedit maris tractus, non latior videatur quam sit Thamesis Londini. Quin & insula Ferro licet plurium quam viginti leucarum freto dirempta, & longe remotiora exinde spectantur maria. Simulac Sol ortus fuit montis hujus umbra visa nobis est, non universam solum operire Tenariffam insulam, sed & magnam quoque Canariam & totum insuper mare ad Horizontem usque, ubi vertex seu conus Pici montis manifeste inversus adparuit, & in ipsum aërem umbram suam projiciens, quod haud modicum nobis stuporem incussit. Antequam vero sol alte admodum esset provectus, nubium citato adventu interceptus fuit noster prospectus, ut nec mare nec insula compareret, paucis duntaxat exceptis verticibus quæ supra nubes extabant.*

Libenter fateor cum primum horum mercatorum epistola ad manus meas pervenisset me haud parum gavisum esse cum viderem sententiam meam quam sola conjectura ductus ante complures annos multis proposui adeo, confirmari, ut nullus omnino dubitationi locus relinqueretur. Ecquod enim clarius testimonium possit excogitari, ad evincendum circulos illos qui in luna adparent formari in aëre à refractione montium lunarium supra nubes extantium quando à sole illustrantur, eadem prorsus ratione atque hic videmus etiam in nostra fieri tellure? Ecquid etiam manifestius id quod mercatores isti Angli vocant umbram montis, revera non fuisse umbram, quæ in occidentem & in partem à sole remotam projici debuisset, sed imaginem montis seu potius ipsum montem in aëre refractum ab ea parte qua Sol oritur, neque enim quisquam est qui ignoret Canariam magnam

spectantibus

ſpectantibus à monte Pico ſitam eſſe ad eam partem à qua Sol oritur?

Notandum vero mercatoribus iſtis integrum non comparuiſſe circulum ſole oriente, ſed dimidiatum tantum aut potius ſemicirculari minorem, quemadmodum etiam fieri videmus in partibus lunæ conſtituris in confinio lucis & umbræ. Tum demum integri adparent, cum toti vertices à ſole illuſtrantur, tum quoque diſparent iſtæ vulgo creditæ umbræ, cum ſint formæ montium in aëre refractorum. Sole vero altius provecto & inducente nubes ſeu fumidos vapores, tum diſparet telluris ſuperficies, quod etiam experiuntur qui in Andibus id eſt Peruvianis & Chilenſibus verſantur montibus, qui cum matutino tempore imaginem montium in aëre refractam aſpiciant, medio die nihil omnino cernunt præter nubes, illas quidem pellucidas & tranſparentes ut plurimum nobis ſuſpicientibus, ſed deſpicientibus ita opacas, ut qui in iſtis culminibus verſantur, geminum ſe videre cœlum exiſtiment, unum ſupra ſe, alterum vero pedibus ſubjectum. Idem quoque in ea lunæ parte videre eſt quæ à ſole illuſtratur, ubi præter ipſos montium vertices, ſi ſint altiores nubibus, & circulos illos qui à verticibus illis formantur, aliud nihil comparet. Ut fruſtra laboraturi ſint, ſi qui ſperent ſe ope cujuſcunque teleſcopii id efficere poſſe, ut ea quoque cernamus, quæ in planitie lunæ contingunt, cum ne in noſtro quidem orbe, ſi qui ſupra nubes verſentur quidquam videant, præter æquabilem ſibique ſemper ſimilem nubium ſuperficiem, & montium ſublimium vertices tanquam inſulas mari extantes, tectis penitus & inconſpicuis iis omnibus, quæ vel in ipſis nubibus, vel infra eas à nobis conſpiciuntur.

A. Mons Tenariffæ Solis radios per refractionem excipiens.

B C. Circulus lucidus ab illuſtratis à Sole montis partibus in aëre roſcido montem cingente refractus & perfectum conſtituens annulum.

D. Pars umbroſa quam minus penetrant radii Solis.

E. Pars lucida propter collectionem radiorum à ſole O obliquè incidentium in I & L & refractorum ad E.

M. Umbra Pici Tenariffenſis, quam efficit pars lucidior in E. Si enim inter partes lucidas & minus lucidas corpus intercedat, neceſſe eſt ut à parte lucida umbræ jaciantur in minus lucidam.

O O O. Sol multis quidem gradibus infra Horizontem depreſſus, in horizonte tamen apparens iis qui verſantur in montis vertice.

DIURNA

DIURNA TELLURIS CONVERSIONE OMNIA GRAVIA TENDERE AD MEDIUM.

QUamdiu literarum & aſtronomiæ aliqua inter mortales fuit cognitio, tam diu etiam non defuiſſe qui Solem in centro mundi tanquam animam univerſi quieſcere, terram vero æque ac reliquos planetas circumagi crediderint, ſi non certis, ſatis tamen probis confici poteſt documentis. Pythagoram non primum fuiſſe qui hanc opinionem invexerit, ſed illum à Chaldæis & Ægyptiis edoctum ita ſenſiſſe, & hoc quoque firmis ſatis adſtrui poteſt argumentis. Sed & antiquiſſimos Græcos & Romanos in eadem fuiſſe ſententia & per Veſtam, non tellurem, ſed Solem intellexiſſe eumque in medio collocaſſe, & hoc quoque conſtat. Quamvis vero pleraque cœli phœnomena, id ipſum manifeſte ſatis evincant, miror tamen eos qui magna cum diligentia cauſæ hujus patrocinium ſuſceperunt, vel præteriiſſe, vel leviter adeo attigiſſe argumentum, quod vel ſolum ad demonſtrandum telluris motum potuiſſet ſufficere. Si enim quieſcat & non moveatur hæc noſtra tellus, ecqua poſſit comminiſci ratio, qua oſtendi poſſit, quare omnia gravia ad centrum tendant? At vero ſi terram circumagi ſtatuamus, jam non certam tantum, ſed & neceſſariam quoque habemus cauſam quamobrem graviora pleraque ad medium ſeu centrum vergant. leviora vero ab eodem recedant. Quippe

cum ex lege naturæ graviora quælibet difficilius moveantur, fieri aliter non poteſt, ſi terra in orbem volvatur, quin quæ gravia ſunt deorſum tendant, veluti ad locum tanto majoris quietis, quanto minores & propiores centro ſunt circuli & orbes in quibus gravia moventur, unde neceſſum eſt ut leviora quæque corpora ad ſuperficiem expellantur. Cum omnes phyſici, etiam illi, qui non admittunt terræ vertiginem, in eo ſemper conſenſerint, ut credant in motu circulari omnia gravia tendere ad centrum, levia vero ab eodem recedere, haud parvam tamen injecit difficultatem, quod in rota, quæ in orbem movetur, contrarium contingat, utpote quæ res quaſlibet impoſitas, non ad centrum deferat, ſed excutiat. Solum hoc ſuffecit argumentum ut & olim & nunc quoque velut naturæ contraria explodatur telluris revolutio, fore enim exiſtimant, ſi terra in orbem moveatur, ut omnia à centro quam velociſſime recedant, & tota hæc machina momento diſſiliat. Non ſatis feliciter huic objectioni occurrit ſagaciſſimus Galilæus, quapropter non erimus intempeſtivi ſi hanc removeamus difficultatem. Manifeſtum eſt itaque quod ſimulac rota motum concipit, ſimul quoque impoſita quævis moveantur corpora. At vero illa cum inferiore ſui parte rotam contingant, & à parte contactus motum concipiant, non poſſunt per aliam, quam per rectam moveri lineam, cujuſcunque demum formæ & figuræ fuerint iſtæc corpora. Si enim ejus ſint generis ut circumagi nequeant, fiet ut ſimulac rota celerius currere incipiat, quam ut propter reſiſtentiam aëris celeritatem rotæ adſequi valeant, cito excutiantur. Quod ſi corpora exactiſſimæ fuerint rotunditatis, multo etiamnum citius excutientur. Mota enim rota, ſimul quoque illa à puncto contactus, inferne nempe, moveri incipiunt: ſed vero motu ut dixi recto, cum ex lege Naturæ neceſſe ſit, ut quæcunque corpora ſuper quodcunque planum ea ratione moveantur, ut axem habeant parallelum ſeu æquediſtantem plano horizontis, motu ſemper ferantur recto.

Hæc

Hæc veriſſima eſt ratio quamobrem quæ rotæ ambulanti imponuntur corpora ſemper à centro recedant. Sed vero ſi velimus efficere ut corpora quæcunque ſive in aqua ſive in aëre collocata ad centrum ſe conferant, id demum conſequemur, ſi talem indicamus motum, quo corpora erecto axe in gyrum moveantur. Clariſſimum hujus rei exemplum memini exhibuiſſe me jam ante viginti & plures annos in vaſe latioris fundi cui aqua eſſet infuſa. Injectis quippe globis plumbeis, ferreis & lapideis & aqua in circulum commota, haud obſcure licuit obſervare pleroſque iſtos globos ad medium vaſis tendere præcipue plumbeos, aliquanto minus ferreos & dein lapideos. Lignei vero ſupernatantes in aquæ ſuperficie, quod aqua eſſent leviores, illico ad oram vaſis expellebantur. Quod ſi & illi aqua graviores fuiſſent, pari utique ratione ad medium confluxiſſent; nam ſane ſcobs ferrea ſupernatans, & ipſo quoque velociter medium occupabat.

In hoc vero experimento præcipue notandum, quod ſiqui globi ſcabritie vaſis offenſi motum inferne concipiunt, ita ut moveantur axe non erecto, ſed inclinato & parallelo ad horizontem, illi nonnihil à centro recedant, ſed ad breve tempus, donec nempe & ipſi erecto axe ad centrum confluant. Niſi enim axis rotationis ad horizontem ſeu fundum vaſis ſit perpendicularis, non vergunt ad centrum.

Globi & quæcunque alia aquis merſa corpora, cum ab aquæ vertigine & ipſa quoque in orbem moventur, principium motus ſui accipiunt ab ea parte quæ remotior eſt à centro vaſis. Cum enim quanto majores ſunt circuli, tanto celerius moveantur, neceſſe eſt etiam ut ubi globi iſti contingunt majores aquæ orbes, ibi rotari incipiant & velociori obſequantur motui.

Planum quoque eſt in iſtiuſmodi vertigine globos & pleraque alia aquis merſa cum motum concipiunt, per helicem ſeu ſpiralem lineam ad centrum vaſis tendere, ita ut gravia foras protrudant leviora & quanto graviora quæque ſunt

corpora, tanto velocius ad centrum tendant, quanto leviora, tanto longius ab eo recedant.

Quod si aqua immota & quiescente globus aliquis vel ferreus vel lapideus ita moveatur ut axis circa quem movetur sit parallelus horozonti, per rectam movebitur lineam. Si axe erecto circumagatur, manebit suo loco: sed si & alterum progressivum acquirat motum, utique tunc & is quoque tendet ad centrum, non quidem vasis, sed ad centrum illius quem describit helicis.

Quia tamen experimenta non semper succedunt, & difficile sit globo sub aquis quiescenti motum addere violentum, quo erecto axe circumvolvatur, & multo difficilius efficere ut manente axis situ alium quoque progressivum habeat motum; idcirco non acquiescebat huic experimento Jll. D. Joannes de Witte, vir & ingenio & meritis erga rempublicam magnus, & scelere malorum civium iniquissima nuper morte extinctus; is inquam contendebat quibuscunque etiam corporibus posse duplicem hunc inesse motum & tamen recta progredi, idque patere in globis tormentorum, qui cum exploduntur rotationem concipiunt & tamen recta feruntur. Ego vero argumentum hoc sic retorquebam, globos istos cum è tormentis emittuntur, circumagi quidem, sed ea lege, ut axis rotationis semper ad horizontem sit parallelus. Istam vero rotationem si cum motu progressivo comparetur, admodum esse imbecillem, quia tum demum globi isti velociter rotari incipiunt, quando ad terram seu aliud corpus impingunt, ubi quidquid fere motui progressivo aufertur, accedit rotationi. Et tamen quantumvis imbecillis in initio ista sit rotatio, esse nihilominus verisimile, ut si non magnam, aliquam tamen mutationem inducat in directione lineæ, quam globi motu suo describunt, cum deorsum feruntur. Quod si fieri possit ut qui è tormentis exploduntur globi axem rotationis habeant erectum & tamen recta procedant linea, tum demum validum fore hoc argumentum.

Tutius

Tutius itaque proposui exemplum petitum à turbine projectitio quo pueri utuntur, qui statim à vinculis liberatus & supra planitiem emissus magna peracta helice ad centrum se confert, eluctatusque ambientis aëris resistentiam circa proprium movetur axem. Quamdiu ille erectus est, tamdiu tranquillus & sine murmure in centro motus sui subsistit. Idem vero peracto propemodum motu, primo vacillat, dein concidit, & mox inclinato & parallelo ad horizontem axis situ cum strepitu quam longissime à suo provolvitur centro.

Satis ex hoc colligere possimus exemplo, quod in stante & quiescente contingit aëre, idem quoque in quiescente futurum aqua, si contingat ut globus erecto axe circumactus, simul quoque progressivum habeat motum. Ut vero credam globis è tormento excussis idem accidere facit exemplum illius globi, qui in Brabantia circa hujus seculi initium contacto prius muro in arenam delatus, peracta brevi helice in centro silens & veluti quiescens supra erectum volvebatur axem. Vidit & accessit hunc præteriens & percussit pede, unde factum ut globus mutato axis situ & priori restituendus motui, alterum misero pedem demeteret. Simile fere & nos vidimus. Fiunt turbines pedali fere magnitudine, è buxo ut plurimum & forma cylindrica, qui siphoni ligneo utrinque perforato inseruntur, & restibus à duobus distinguntur hominibus. Cum laxatis habenis è siphone excidunt, ingentem edunt fragorem, magnosque describunt orbes, priusquam in centro quiescant. Verum contigit ut necdum peracta helice ad obicem impingens everso axe conciderit, rectaque quam longissime procurrens linea, senis obambulantis suffringeret tibiam.

Hæc dixisse sufficiat, ut cognoscamus, quælibet corpora quæ ab aqua, aëre, æthere aut alia ambiente materia circumaguntur, vel etiam illis immotis, quæ alia vi impellente ea lege moventur, ut axem habeant erectum; semper centrum petere, ab eodem vero recedere si jacente axe circumvolvantur.

volvantur. Clarum hujus rei exemplum exhibere etiam poſſint typhones ſeu turbines in mari, & venti qui in angiportis & ædium angulis omnia in gyrum contorquent, ſed cum ex iis quæ diximus res plana ſit, pluribus non opus eſt documentis.

Duplex porro hæc vertigo, cum non exemplum tantum, ſed & cauſam tam diurni quam annui motus, quo circum Solem tellus noſtra fertur manifeſte oſtendat, ſatis nifi fallor ſolidum præſtat argumentum ad convincendos eos qui utrumque hunc negant motum. Sed & non claram tantum, verum & neceſſariam exhibet rationem, quamobrem omnia gravia ad centrum tendant. Hoc præterea docet, quare axis telluris ſemper ſit erectus & ſibi parallelus. Id enim ſi non eſſet, nunquam magnum ſuum tellus abſolveret orbem, ſemperque à Sole & centro univerſi recederet. Quod autem non per helicem ſed per eundem ſemper tellus moveatur orbem; hujus rei minime obſcura eſt cauſa, cum ut reliqui planetæ, ita quoque tellus noſtra pro ratione molis & gravitatis æquali ſemper virtute Solis in ſuo ſuſtineatur orbe. Fruſtra ſunt qui ad magneticam confugiunt virtutem, nihil illa ad motum ſeu directionem telluris confert. Magnes quippe non dirigit tellurem; ſed à tellure, eundem ſemper in ſua vertigine ſervante axis ſitum, ipſa illa virtus in magnetes transfertur.

ISAACI

ISAACI VOSSII

DE

SIBYLLINIS

Aliisque quæ Christi natalem præcessere

ORACULIS.

ACCEDIT

Ejusdem ad priores & posteriores

P. SIMONII OBJECTIONES

RESPONSIO.

Doctiſſimo & eximio viro,

THOMÆ BRUNONI

Capellæ Regiæ

WINSORIENSIS

Canonico S. P.

ISAACUS VOSSIUS.

Ni te plus oculis meis amarem

NOſti reliqua, & jám puto intelligis, quid de Saturnalitio tuo ſentiam munere. In tam frigida anni tempeſtate, potuiſſe mihi iſte tuus ſemirabbinus aliquam afferre gravedinem, ſed jampridem inficeti hujus ſeculi adſuetus ineptiis, ſalvus evaſi. Licet vero bonas aliquot in eo evolvendo horas perdiderim, temporiſque jactura, ut Philoſophi ſentiunt, ſit omnium graviſſima; non uno tamen profuit commodo; nam non bonorum tantum librorum jucundiorem mihi fecit lectionem, ſed & laborantem & proſtratum jampridem ita reſtituit appetitum, ut etiam faſtidita placeant, & quælibet quantumvis licet mediocria, optima tamen & præſtantiſſima eſſe videantur. Cum Rabbiniſta

iſte totus in eo ſit ut antiquitatem Grammaticæ Rabbinicæ & punctorum adſtruat vocalium, attamen ne unius quidem eruditi, & ne vel Rabbini alicujus antiquioris potuit adducere ſuffragium, cujus auctoritate ſua confirmèt deliria. Poſtquam omnium apicum genera, formas & figuras magno percurrit conatu, nec quidquam ſe proficere ſentit, tandem ad divum ſe convertit Hieronymum, ejuſque producit verba interpolata nequiſſime. Ubi enim ille mentionem facit accentuum, qui in Tetraplis & Hexaplis Origenis apponebantur Hebraico ſermoni Græcis deſcripto literis, ille pro accentibus puncta ſuppoſuit. Quin & ejuſdem Hieronymi locum adducet, qui occurrit in quæſtionibus ſeu traditionibus Hebraicis, quique in pleriſque editionibus ſic concipitur; Denique Hebræi quod ſequitur: & neſcivit cum dormiſſet cum ea & cum ſurrexiſſet ab ea: appungunt deſuper, quaſi incredibile, & quod rerum natura non capiat, coire quempiam neſcientem. *Quamvis ſenſus ſatis ſit apertus, conſului nihilominus complura exemplaria manu exarata, ut viderem ecqua lectionum occurreret varietas, ſed in omnibus ſic ſcriptum inveni, niſi quod pro* appungunt, *habeant* apponunt, *& quidem rectius. Remitto tibi librum, ut videas quo pacto homo iſte hæc Hieronymi verba perverterit, & interpolarit. Sic enim illa producit,* appungunt hanc vocem בקומה deſuper puncto irregulari. *Si pro ſolito tuo agas candore, non effugiet opinor, ut ſi in cæteris fatuus iſte tibi videatur ſemirabbinus, in citandis ſaltem ſcriptorum locis pro in-*

ſigni

ſigni à te non habeatur nebulone. Mitto etiam duos aut tres alios libellos muſteos, ut rideas & ſimul deplores miſerum hoc tempore Academiarum in Germania ſtatum, in quibus ſtriges iſtæ Rabbinicæ tam late dominantur, ut qui iſtic vivunt eruditi ſine ſuſpicione hæreſeos vix hiſcere audeant. Mirum principes Germaniæ tantæ peſti non occurrere, & permittere ut Judaiſmus ita impune graſſetur, & ut à Lutheranis ipſe quoque Lutherus hæreſeos damnetur, quod puncta Hebraica floccifecerit & pro commento habuerit Rabbinico. Fierine poteſt ut humaniores literæ feliciter tractentur, ubi Rabbiniſmus regnat, & ubi nulla excolitur theologia quæ non ſit Rabbinica? Quid demum ſperandum eſt ab illis, qui cum nec Græce, nec Latine, ac minus etiamnum Hebraice ſciunt, ex omnibus nihilominus unam faciunt linguam, à nemine intelligendam, ne ab illis quidem qui eam procudunt, quam ipſam tamen velut ſanctam & cœleſtem, & Dei vernaculam, in ſcriptis, in pulpitis, doctis pariter & indoctis impudentiſſime obtrudunt? An non merito rideant nugivendi Judæi, cum tam multos inter Chriſtianos inveniunt fatuos, qui futiles quovis pretio redimant merces, & Judæos libenter agnoſcant magiſtros, dummodo permittatur ipſis eſſe ſemirabbinis? Hæc ſola gratia & hic ſolus ſufficit titulus. ut magna pars Theologorum noſtræ ætatis pleraque Rabbinorum admittant commenta, omneſque verſiones & quælibet ſacrorum librorum interpretamenta ad Judæorum conforment placita, adeoque quidem ut Chriſto & Apoſtolis, quam punctis

malint non credere Rabbinicis. Et tamen vel paulo ſagaciores norunt, ne ſex quidem effluxiſſe ſecula, ex quo primum uſurpari cœperint puncta iſta vocalia, quibus hodierni Hebræi onerantur codices. Sciunt illi per integra tria vel quatuor ſecula acerrime inter ſe conflixiſſe Judæos, dum alii ſic, alii aliter inducendas eſſe contendunt vocales, & ne nunc quidem controverſiam hanc fore ſopitam, niſi Daniel Bombergus litem iſtam immenſo diremiſſet pretio, conductis aliquot Judæorum centuriis, in quibus alendis totum ſuum dilapidavit patrimonium. Iſtæ tamen vocales ſeu puncta, quæ primum Venetiis ex Bombergi officina in lucem prodierunt, illa ipſa ſunt, quæ Chriſtiani Rabbiniſtæ tanquam cœlitus delapſa ſuſpiciunt. At vero non deſunt complures Judæi, qui iſtis minime acquieſcant, quique infinitis mendis ſcatere affirment editiones Bombergianas, cum in aliis, tum quoque in eo, quod pluribus in locis eadem vocabula & iidem ſenſus non tamen iiſdem ſignentur punctis vocalibus. Sed ex iſtis libellis, quos tibi mitto, præclaram ſane hujus difficultatis cognoſces ſolutionem. Nempe Deum, Cum Moyſem & Prophetas alloqueretur, adeo raptim & præcipitanter fuiſſe locutum, ut non intelligeretur. Cum vero illi de velocitate ejus linguæ conquererentur, tum demum Deum moderaſſe ſermonis impetum, & ſingula verba guttatim iis annumeraſſe & hinc proceſſiſſe duplicem iſtum punctorum ordinem. Scribis te mirari qui fiat, quod cum olim, præſertim in primitiva Eccleſia tot Judæorum millia ad Chriſtianorum tranſierint partes, hodie tam pauci & pene

pene nulli reperiantur, qui ſe perſuaderi patiuntur. Verum ſi iſtiuſmodi Judaicis credamus fabellis, & ſi in interpretandis ſacris libris duces ſequamur Rabbinos; an fieri aliter poteſt, ut non plures Chriſtiani ad Judæos, quam Judæi ad Chriſtianos ſe conferant? Profecto pro Judæis ſtrenue magis Chriſtiani, quam ipſi militant Judæi. Quod vero addis, ſiquis hodiernos Judæos iiſdem aggrediatur argumentis quibus veteres uſi ſunt Chriſtiani, libris videlicet Sibyllinis & ſimilibus, omnem omnino defore ſucceſſum, præſertim cum ne Chriſtiani quidem ullis diutius credant Sibyllinis: id quidem verum eſt, ſed hæc Chriſtianorum eſt culpa, impune permittentium ut quælibet ſcripta & quælibet teſtimonia, quibus præcipue noſtra nititur religio, veluti ſpuria & nullius fidei, non contemnantur modo, ſed & palam explodantur & conculcentur. Quandoquidem vero cauſam à me poſtulas quæ me præcipue movet, ut Sibyllinis plurimum tribuam Oraculis, longeque de iis aliter ſentiam, ac faciant noſtri ſeculi homines, ut in cæteris, ita quoque in hoc morem tibi geram quam libentiſſime.

Londini CIↃDCLXXII
medio Decembri.

ISAACI

ISAACI VOSSII
DE
SIBYLLINIS
Aliisque quæ Christi natalem præcessere
ORACULIS.

INter præcipua Christianæ religionis argumenta habita olim fuisse ea quæ Sibyllis adscribuntur oracula, licet plerique etiam hoc tempore libenter agnoscant, sed ea demum lege & conditione, ut piis illa & officiosis accenseantur fraudibus: operæ pretium fuerit & vanam sic sentientium diluere opinionem, & simul ostendere fieri non posse ut ea à Christianis sint conficta, cum non tantum piusquam Christianorum in seculum exiret nomen, sed & diu quoque antequam nasceretur Christus & lecta & celebrata pene fuerint ab omnibus. De plerisque, qui hoc nostro tempore supersunt Sibyllinis libris, quid sentiendum sit postea videbimus; prius dicemus de illis, qui Christi nativitatem præcessere fatidicis versibus, quique si non præcipua, at certe magna fuere causa, ut innumeri, non ex Judæis modo, sed & ex gentibus, relictis prioribus sacris, ad Christianorum se receperint castra. Ut vero clarius innotescant omnia, indagandum est tempus, quo in lucem prodiere isthæc oracula, quærendumque præterea à quibus, & qua de causa fuere conscripta. Singula hæc ut cognoscantur, altius paulo repetenda est rerum summa.

CAP.

CAP. I.

De Danielis Hebdomadibus.

QUamvis itaque jam ex eo tempore, ex quo Græcorum jugum ſubiere Judæi, videri poſſit cœpiſſe ſpes & expectatio quam de futuro rege Chriſto gens ea habuerit; tamen cum nulla, aut exigua, ut id affirmemus ſuperſint indicia; & à Daniele hoc ſpatium ſeptuaginta hebdomadibus fuerit definitum; rectius utique rei hujus initium referemus ad finem hebdomadum, & annos qui proxime adventum Chriſti preceſſere. De iſtis autem hebdomadibus alibi nonnulla ſcripſimus, incipiendaſque eſſe monuimus anno Xerxis vigeſimo quinto, quando nempe Hieroſolyma venit Nehemias, ſecuti in eo Joſephum teſtem omni exceptione majorem.

Quod ſi tamen Judæi, & illis faventes Chriſtiani quidam pergant & hic cavillari, & dicant Artaſaſthum iſtum ſecundum, ſub quo Nehemias Hieroſolyma venit, non Xerxem, ſed Artaxerxem eſſe, eo nimirum, quod vox iſta propius ad hunc, quam ad illum videatur accedere; ſciant illi & hæc quoque fruſtra dici, cum Xerxis & Artaxerxis idem apud Perſas fuerit vocabulum. Arta enim regem vel principem ſignificare, crebra Satraparum Artabazi, Artaphernis, Artapatis, Artabani, & complura ſimilia ſatis declarant nomina. Hinc eſt quod Ἄρταν & Ἀρταῖον dominum ſeu principem Græci interpretentur Grammatici. Ex horum nominum confuſione orta quoque eſt diſcrepantia inter Græcos ſcriptores de regum Perſicorum annis, quod cum cognomines eſſent, non ſatis ſingulorum diſtinxerint tempora. Sed & hoc quoque errori cauſam præbuit, quod duo pluribus ſimul regnarint annis, ut Cyrus cum Cambyſe,

Cambyſe, & Darius cum Xerxe. Utrumque negant quidam; ſed convellant, ſi poſſint, ea quæ ſcripſimus. Si Cyrus ſeptugeſimo ætatis obierit anno, aut etiam prius, quomodo ſenectus ejus optabilis potuit videri Aſiaticis populis, ut ſcribit Themiſtius oratione quinquennali? Cur non potius in voto illis fuit Artaxerxis Memoris ætas? De Xerxe vero quomodo verum eſſe poteſt, id quod Julianus Apoſtata ſcribit oratione prima, illum, non ut alii produnt, per triennium aut quinquennium tantum, ſed per integros decem annos bellum contra Græciam inſtruxiſſe, niſi pluribus annis ſimul cum patre regnarit? De duratione regni Perſici quæ ſcripſi, libenter doctorum judicum permittam arbitrio. Interim non à Joſepho & Strabone ſolum tribui huic ſpatio annos plus minus ducentos & quinquaginta, ſed & communem Judæorum hanc fuiſſe ſententam colligo ex Sibyllinis, in quibus regnum Perſarum decima terminatur ætate. Decem autem ætates totidem quot dixi, ducentos nempe & quinquaginta conficiunt annos, illo ſiquidem ſeculo viginti quinque anni ætatem conſtituebant. Abſurdum autem in Perſicis & Babylonicis uni credere Herodoto, ignaro linguæ Perſicæ & nullis orientis gentium inſtructo monumentis, quam Joſepho cui hæc fuere cognitiſſima, non tantum ex Beroſo & aliis Syrorum & Chaldæorum ſcriptoribus, ſed & ex multis ſacris libris, qui ipſius etiamnum ſupererant ætate. Mirum præterea Herodotum, quem ab omnibus antiquis reprehenſum fuiſſe teſtatur Joſephus primo contra Appionem, hoc demum tempore obtinuiſſe, ut ab omnibus probetur. Atque hæc dicta ſufficiant ad adſtruendam fidem Joſephi, recte referentis initium hebdomadum ad annum Xerxis vigeſimum quintum. Male vero factum à viris doctis, quod relicto teſte certiſſimo, Artaxerxis demum ætate hæc contigiſſe adfirment. Peſſime vero illi, qui à Daniele ipſo & Cyri temporibus hebdomadum repetunt initium, edictum de inſtaurando templo, cum edicto de inſtauranda urbe & mœnibus confundentes, Manifeſte illi contradicunt

prophetæ, clariſſimis verbis exordium hebdomadum referentis ad urbis & mœnium inſtaurationem. Certe opus non fuiſſet templum arcis in modum munire, ſi urbs ante Nehemiæ adventum muris fuiſſet inſtructa, quod nugator aliquis pertendit, ac ſi mentitus ipſe eſſet Nehemias, cum Hieroſolyma ſine mœnibus eſſe apud Xerxem conqueritur.

Ex iis quoque quæ olim ſcripſimus clare ſatis colligi poteſt, quamobrem Propheta tempus politiæ Judaicæ definierit ſeptuaginta hebdomadibus, prætermiſſo & neglecto toto eo intervallo, quod à ſuo tempore, uſque ad tempus de inſtaurandis Hieroſolymis effluxerit. Eo nempe hoc factum, quod anni captivitatis in Sacris literis ubique omittantur, nec alia recenſeantur tempora niſi ea, quibus libertas conſtaret ac ſui juris eſſet Reſpublica. Morem hunc, ut aliis gentibus, ita quoque Judæis uſitatum fuiſſe adeo certis oſtendimus exemplis & documentis, ut nemo niſi veritatis inimicus poſſit obſtrepere. Græcis quidem & Romanis, quam ſolenne fuerit tyrannorum eradere titulos, omnemque eorum abolere memoriam, omnibus eſt notiſſimum. In Perſarum Chronicis nulli fere comparent reges niſi qui à Cyro genus ducere creduntur. Idem obſervare eſt in multis orientalium populorum monumentis, in quibus mali principes, & mala paſſim expunguntur tempora. Judæis vero quam hoc uſitatum fuerit, non tantum patet è multis captivitatibus, anarchiis & ſervitutibus, quarum ſpatia non memorantur in ſacris literis, ideoque ignorantur; ſed & ex compluribus Moyſis & prophetarum locis, jubentium ut malorum temporum & hominum extirpentur memoriæ, & deleantur è libro vitæ, utque piorum tantum habeatur ratio. Huc referenda verba Jobi cap. 3. cum diem noctemque qua natus eſt execratur, petitque ut poſthac *non ſit in diebus anni, neque numeretur in diebus menſium.* Hinc quoque eſt quod in ſacris literis quadraginta tantum annis regnaſſe dicitur Solomon, cum tamen totis octoginta regnarit

regnarit annis, ſuppreſſo nempe illo quo peccator fuit intervallo. Eadem quoque eſt ratio quod in Genealogia Chriſti apud Matthæum quatuor reges peccatores Ochoſias, Joazus, Amaſias, & præterea Joacimus omittantur. At verò non omittuntur Achazus, quem filii Ezechiæ, ne de regum expungeretur catalogo, conſervavit pietas; non Manaſſes qui pœnituit; non Ammon ejus filius, qui poſt breve regnum à ſuis occiſus, à populo vindicatus, & meritis filii Oſiæ nomen in genealogiis conſervavit. Sed & Jechonias memoratur, qui licet & ipſe in trimeſtri regno malus, longa tamen captivitate, &, ut veriſimile, ſubſecuta pœnitentia, abunde ſuis videri poteſt ſatisfeciſſe peccatis. Ut autem improborum eradebantur nomina, ita familiare Hebræis olim fuiſſe, quacunque etiam occaſione celebrare memoriam eorum, qui de gente ſua bene eſſent meriti, vel tria mulierum nulla neceſſitate in hac Chriſti genealogia incerta ſatis declarant nomina, Ruthæ inquam quæ relictis Moabitarum ſacris ad Judaicam tranſiit religionem; Thamaris, cujus factum ipſe quoque Judas juſtum fuiſſe cenſuit; & præterea Raab meretricis, optime, ſi quæ alia, de Iſraelitico meritæ populo. Berſabeæ vero nomen propter ſcelus ſupprimitur, Uriaſque, cujus ea conjunx fuit, tantum iſtic memoratur. Nec alia de cauſa in eadem apud Matthæum genealogia omittuntur complures alii poſt Zorobabelem, utpote à quo ad Joſephum maritum B. Virginis, novem tantum occurrant generationes, cum octodecim habeantur apud Lucam. Hæc cum ita ſint, clarum ſatis quamobrem Daniel omittat totum quod ſuam ætatem & inſtaurationem Hieroſolymorum interceſſit ſpatium, cum captivitates non conſtituant partem temporis politici. Omiſſo itaque hoc intervallo, oſtendit captivitatem non ſemper duraturam, ſed fore ut edicto regio permittatur Judæis in ſuam reverti patriam, & non templum tantum perficere, ſed & urbem & diruta inſtaurare mœnia, & ſuis vivere legibus. Et merito, vel ob hoc ipſum

nobilior cenſenda eſt hæc de hebdomadibus prophetia, utpote quæ utrumque remotum habeat terminum, cujuſque non finem tantum, ſed & initium divino inſtinctus ſpiritu prædixerit propheta.

CAP. II.

Explicatio prophetiæ Jacobi de Chriſto Geneſ. 49.

HÆc in anteceſſum de initio Danielis hebdomadum dicta ſufficiant. Nunc, cum ex divinis oraculis conſtet, Chriſtum non ante venturum, quam auferatur ſceptrum à Juda, videamus quo ſenſu & qua ratione id intelligendum ſit. Communis & maxime recepta eſt opinio, non veterum tantum Chriſtianorum, ſed & eorum qui Chriſtum præceſſere, factum id eſſe anno Herodis Magni tertio, utpote qui tum, occiſo ultimo Haſmonæorum ſtirpis principe, primus à Romanis declaratus fuerit rex alienigena. Obſtrepunt tamen nonnulli, dicentes Herodem non fuiſſe alienigenam, ſed purum putum Judæum. Verum hac in re ipſis mihi iniquiores videntur Judæis, qui unanimi conſenſu Herodem ſemper vocant proſelytum. Quis non rideat frivolum argumentum, cum dicunt Herodem ideo non fuiſſe proſelytum, quod proſelyti fuerit filius? Scio quidem Nicolaum Damaſcenum in gratiam Herodis, cujus erat magnus aſſentator, non dubitaſſe olim fingere, Antipatrum patrem Herodis ducere genus à principibus Judæorum qui à captivitate Babylonica in Judæam eſſent reverſi: ſed hoc commentum ipſe explodit Joſephus, qui non uno loco novum fuiſſe hominem ſignificat. Circa finem lib. 14. manifeſte plebeum fuiſſe oſtendit: & iterum lib. 17. cap. 10. Sed & alterum expendamus argumentum, quod mire video placere viris doctis cum ſcribunt, etiamſi concedatur Herodem

Herodem fuiſſe alienigenam, prophetiam tamen Jacobi morientis de illo non poſſe intelligi, eo quod è ſtirpe ſeu tribu Judæ, nullus prodierit rex ante Davidem; nullus item poſt captivitatem Babylonicam, cum in Sedecia & Jechonia defecerit ſtirps Davidica. Sed ſi verum eſt hoc Patriarchæ oraculum, utique etiam verum eſt, ſceptrum ſeu principatum nunquam ablatum fuiſſe à tribu Judæ, uſque ad Herodem. Ante Davidem quidem, principatum cæterarum tribuum fuiſſe penes tribum Judæ, è pluribus S. Scripturæ conſtat locis, & ex ipſo ore Dei, cum poſt mortem Joſuæ ducatus belli huic confertur tribui. Itaque Judam fratrum ſuorum regem vocat David moriens apud Joſephum. Poſt Babylonicam vero captivitatem, & tum quoque principatum permanſiſſe in tribu Judæ, & quidem magis quam antea, id ſic conficitur. Conſtat duas tantum ultimæ deportationis tribus cum Zorobabele & Eſdras Hieroſolyma eſſe reverſas, tribum nempe Judæ & Benjaminis. Fuere quidem aliqui etiam primæ deportationis per Salmanaſſarem qui Eſdram ſecuti ſunt, ſed illi, etiamſi cum iſtis componantur, qui à Salmanaſſare in Judea relicti fuere, admodum pauci fuere numero, cum pleræque decem Iſraelis tribus trans Euphratem diſperſæ ab aſſuetis jam longo tempore ſedibus in antiquam noluerint reverti patriam, ut ſatis clare docet Joſephus. Attamen ſi veritatis habenda ſit ratio, prætextus hic potius fuit quam cauſa, utique enim veriſimile, etiam decem tribus migraturas fuiſſe, ſi ad ſuas redeundi terras integra iis fuiſſet poteſtas. Sed vero terræ, quas decem inſederant tribus, ille, jam à temporibus Salmanaſſaris, adſignatæ & poſſeſſæ erant à Cutheis aliiſque gentibus dictis poſtmodum Samaritis, nec reſtitui poterant, niſi prius pellerentur Cuthæi, irritaque fierent dona & beneficia facta à Perſarum regibus, qui non facile acta & decreta ſua reſcindere & deſtruere ſolebant. At vero reliquis duabus tribubus, facile fuit jus poſtliminii impetrare. Non tantum quod reges & principes non libenter ſoleant immu-

nitates,

nitates & libertatem nimium multis concedere, quodque à paucioribus minus metuenda sit rebellio; sed etiam quod terræ, quas duæ istæ tribus tenuerant, nemini donatæ aut adsignatæ essent, temere quippe & sine ullo juris titulo vicinæ illas invaserant gentes. Satis hinc clarum fit, quamobrem duæ tantum tribus ex captivitate Babylonica ad suas reversæ sint terras. Jam vero omnium tribuum nomina, in solam Judæ transiisse tribum patet exinde, quod qui prius Hebræi seu Israelitæ dicti fuere, statim post solutam captivitatem, uti docet Josephus, Judæorum assumserunt appellationem, ac si omnes è Juda traxissent originem, quod utique factum non fuisset, nisi omnium tribuum ut nomina, ita quoque jura ad solam transiissent Judæ tribum, ita ut reliquas omnes una hæc contineret. Hinc est quod qui ab Eleazaro Alexandriam missi fuere LXX interpretes, cum ex sola Judæ & Benjaminis eligi potuerint, à duodecim tamen missi dicantur tribubus. Hinc quoque in Actis Apostolorum 26. 7. τὸ δωδεκάφυλον de sola Judæ accipitur tribu. Mordochæus quoque hac de causa de tribu Judæ dicitur, cum tamen esset è tribu Benjaminis. Sed & Israelis nomen post captivitatem Babylonicam ad Judæ tribum transiisse constat, cum aliunde, tum quoque ex initio Malachiæ. Quamvis autem multis de causis id factum possit videri, præcipue tamen propter Samaritas id contigisse existimo. Cum enim illi reliquarum decem tribuum urbes & agros possiderent, & quamvis aliàs Judæorum infensissimi essent hostes, fratres tamen, & ejusdem atque ipsi generis vellent videri, si quando splendida esset illorum fortuna, ut nempe iisdem atque ipsi privilegiis & immunitatibus fruerentur; hinc proculdubio factum ut Samaritis exclusis omnia captivarum tribuum jura & nomina sola sibi vindicaret Judæ tribus. Cæterum, ut multa alia loca, ita non incommode ex iis, quæ hactenus diximus, solvas difficultatem in genealogia Christi, quæ tam multos exercuit eruditos, de tribu, è qua orta fuerit beata virgo. Sed & hoc quoque pater, frustra pertendere

pertendere Judæos, antequam adveniat Meſſias, debere compleri vaticinium Eſaiæ cap. XI, ut nempe reſidui de populo Iſraelis reſtituantur in libertatem eadem ratione ac factum ſit poſt captivitatem Ægyptiam. Cum enim poſt Babylonicam captivitatem duæ tantum tribus redierint, illam liberationem nequaquam eſſe ſimilem Ægyptiacæ; itaque expectandum tempus, quo omnes tribus reſtituantur, Sed vero ex iis, quæ diximus, manifeſtum fit totum reſiduum Iſraelitici populi rediiſſe in patriam, cum tribus Judæ & Benjaminis ſucceſſerint omnibus aliis tribubus & totum continuerint Iſraelem. Currunt tamen miſeri per univerſum terrarum orbem ut fratres ſuos deperditos & nuſquam reperiendos inveniant, & modo in inacceſſa Arabiæ aut Tatariæ parte illos latere affirmant, & quod neque illinc aliquis hactenus venerit nuncius, eo complures redacti fuere amentiæ, ut alicubi in America eos deliteſcere exiſtimarint. Sed neque illinc aliquis hactenus venit nuntius, nec venturus, ut opinor, antequam veniat ipſorum Meſſias.

CAP. III.

Quomodo vaticinia de Chriſto fuerint attributa Herodi: deque Herodianorum ſecta.

AD finem vergentibus Danielis hebdomadis, occiſo Antigono, tranſlatoque ad Herodem alienigenam ſceptro; nemo erat Judæorum, cui non eſſet perſuaſiſſimum, tempus Chriſti aut adeſſe, aut brevi adfuturum. Circumferebantur illa tempeſtate complura carmina à Judæis ſub Sibyllarum conſcripta nominibus, quibus denuntiabatur adventus magni regis, qui totum ſibi ſubjiceret terrarum orbem, multoſque etiam è gentibus vana inductos ambitione ſibi

ſibi conatos fuiſſe adaptare iſtud vaticinium, pluribus exemplis poſtea videbimus; ſed ne gentium res rebus miſceamus Judaicis, prius de Herode dicemus. Hunc primum fuiſſe qui inter Judæos pro Chriſto fuerit habitus, vel Herodianorum ſatis declarat ſecta. Nempe verba illa; *Non deficiet princeps è Juda, neque dux de femoribus ejus, donec venerit ille cui repoſitum eſt*, ita accepere, ac ſi ceſſante principe è ſtirpe Judæ, neceſſe foret, ut venturus Meſſias proſelytus aut alienigena eſſe debeat. Forſan etiam non defuere adulatores, qui negarent eſſe alienigenam, ipſumque hoc, quod Damaſcenus, pertenderent. Quod vero nullus unquam Judæorum rex tam gratus & acceptus fuerit Romanis & Græcis, ideo merito gentium exſpectationem vocari exiſtimabant. Secta vero hæc quòd magis increbuerit mortuo quam vivo etiamnum Herode, id ipſius factum videtur prudentia, ne Romanorum incurreret invidiam. Aluiſſe tamen inter Judæos iſtam de ſe opinionem valde eſt veriſimile, & videri poteſt non alia de cauſa magnificum illud exſtruxiſſe templum, quam quod de ſuo Meſſia opus tale exſpectarent Judæi. Sed & ex pluribus quas adhibuit cautelis, nequis alius prodiret aut haberetur Meſſias, ipſum hoc ſatis confici poſſit. In illis autem merito primum ſibi vendicat locum infanticidium Bethlemiticum. Hujus vero, licet in ſolis mentio fiat Evangeliis, non eſt tamen ut hoc cuiquam mirum aut incredibile videatur, præſertim ſi quis noverit, etiam Romæ, cum editum eſſet oraculum, Naturam regem mundo parturire, edicto Senatus cautum fuerit, nequis illo anno genitus infans educaretur, ut ex Suetonio conſtat. Altera cautela, fuit genealogiarum, quæ in templo conſervabantur, combuſtio. Sed & prohibitio librorum Sibyllinorum, & cædes tot regii ſanguinis principum, eodem referenda videntur. Sub Nerone vero floruiſſe hanc Herodianorum ſectam, & dies quibus regnum adierit feſtos fuiſſe Judæis, diſcas ex Perſio: *Herodis venere dies.* Quamvis autem etiam ante everſa Ieroſolyma multi ceſſaſſe exiſtiment

existiment hanc sectam, nunquam tamen defeciſſe, vel saltem revixiſſe apud Judæos, præsertim in Hiſpania, vel ipsum barbarum Aeræ satis indicat vocabulum. Cum ad institutum faciat causam & originem vocis hujus exponere, libens quod sentio proferam; neque enim placent quæ viri docti de eo scripsere. Sed neque probo sententiam Petri Alfonsi, qui in scripto continente disputationem inter Moysem Judæum & Petrum quendam, putabat vocem hanc detruncatam ex nomine Heraclii. Sic enim scribit in Præfatione; *Hoc autem factum eſt anno à nativitate Domini* 1106. *Heraclii* 1144, *menſe Junii die natali Apoſtolorum Petri & Pauli.* Constat sane ab Heraclio imperatore Judæos omnes ad Christianismum vi compulsos fuisse, non in Oriente solum, sed & in Hiſpania Galliaque, literis seu legatis ad Sisebutum & Dagobertum missis, & ad idem faciendum instigatis. Itaque Judæi quod nollent Christianorum fidem & computandi rationem admittere, alium calculum & alium commenti sunt Christum, Herodem videlicet, cujus regnum anticipat computum Christianum annis triginta octo. Sed vero Aëræ appellatio multo est antiquior, cum & in Chronico Idatii ad annum 409, & insuper in multis marmoreis Heraclio vetustioribus compareat monumentis. Libenter itaque cum illis sentio, qui Aëræ & Hegiræ seu Heiræ, nam & sic scribunt Arabes, idem existimant esse vocabulum, extrita litera G, ut solent Hiſpani, Arabes & Hebræi. Causa appellationis exinde petenda, quod Herodes à Judæis semper & ubique vocatus fuerit הגר id est proselytus seu peregrinus. Anni itaque *hager*, sunt anni Herodis, qui, ut diximus, triginta octo annis anticipant Christi natalem. Hegiræ seu Heiræ Arabicæ eadem omnino ac Aëræ Hiſpaniæ est ratio. Illo ipso enim Heraclii tempore, quo Judæi, non in Hiſpania modo, sed & toto Romano imperio ad Christianismum compellerentur, orta quoque est in Arabia secta Mahometi. Secuti sunt hunc complures Judæi, qui relicto altero isto Messia,

Herode videlicet & ipso Idumeo Arabe, Mahometum illico pro vero agnovere Messia. Theophanes & complures alii istius temporis scriptores pravam secuti lectionem, illos adhæsisse scribunt Mahometo *usque ad cædem illius*; μέχρι τ σφαγῆς ἀυτ. Sed rectius φυγῆς leges, non σφαγῆς. Idem scribunt recessisse Judæos à Mahometo, cum eum cameli carnibus vescentem conspexissent. Vt ut sit, cum Judæi Messiam peregrinum seu proselytum fore crederent, patet recte ab illis תגר dictum fuisse Mahometum, ipsum tamen Mahometum, non nisi postquam è patria sua Mecca expulsus fuit talem se nominasse, scribunt plerique Arabes, & ab hoc tempore Hegiram seu Heiram suam incipit Mahometus, cujus sectatores Hagerinos dictos volunt, velut religionis causa profugos & peregrinos, non autem ab Agare Abrahæ ancilla, ut Christiani scribunt. Constat sane Mahometum, ut nempe magis ad partes suas pertraheret Judæos, quorum plena semper fuit Arabia: de se interpretatum, & in se completa esse dixisse pleraque veteris testamenti loca ad Christum spectantia, ut jam olim observatum Petro Cluniacensi. Hæc de voce Aëræ dicta sufficiant, unde satis, nisi fallor, clare conficitur appellationem hanc multo apud Judæos antiquiorem esse, quam fuerit apud Arabes. Quod si cui minus probabile videatur, ita inter omnes convenisse Judæos, ut Herodem pro Messia agnoscerent, per me licet, ut quemadmodum Arabes, ita quoque Judæi vocem hanc de suo acceperint exilio, incipiendo hoc ab eo tempore, quo sublatis sui generis principibus, regem habuere Herodem. Ego utrumque verum esse existimo, cum ne nunc quidem inter Judæos desint, qui Herodem pro Messia admittant. Quod si id palam minus profiteri audeant, satis tamen se declarant, cum dicunt, si Messias jam advenerit, utique ejus tempus pluribus annis anticipare Christianorum calculum. Et sane qui sic sentiunt Judæi, longe illi sunt prudentiores istis, qui Messiam necdum advenisse contendunt, præterquam enim quod vaticinio Jacobi morientis

entis aliqua ratione ſatisfaciant, etiam Danielem admittunt, quem alii ex prophetarum expungunt albo. Jam vero quod in Hiſpania nomen Aeræ primum fuerit auditum, id inde factum, quod infinita propemodum Judæorum illic fuerit frequentia, florente etiamnum imperio Romano. Ab Adriano Cæſare poſt cladem Hieroſolymorum eos deportatos memorant ſcriptores Hiſpani, quo auctore neſcio. Ego libentius credo cum Arrianis, quorum magna ſemper in Hiſpania fuit copia, ſimul quoque creviſſe Judæorum numerum. Sed & fugientem in Hiſpaniam Herodem tetrarcham, fieri poteſt ut multi ſecuti ſint. Fieri quoque poteſt ut poſt ejectos Alexandria Judæos, magna pars illuc migrarit. Crebra cum Chriſtianis geſſere bella, præſertim poſt ſeculum inſtauratæ ſalutis quartum. Ideo prævalebant quod Romanis legibus pateret Judæis aditus ad honores, & conceſſum iis eſſet jus gladii. Chriſtiani autem in provinciis nullos gerebant magiſtratus, non tantum quod, ut Julianus Imperator dicebat, lex Chriſtianis non permittat uſum gladii, ideoque ad regendum non ſint idonei; ſed quod in Hiſpania qui magiſtratum gererent, ab Eccleſia prohiberentur, ut docet Concilii Illiberitani Canon LVI; *Magiſtratum vero, anno quo agit duumviratum, prohibere placet, ut ſe ab Eccleſia cohibeat.* In Hiſpania vero magiſtratus munere functos fuiſſe Judæos, cum alibi, tum quoque in Balearibus inſulis, patet ex Severo Sulpitio in Epiſtolis. Non autem in Hiſpania modo, ſed & in Galliis, licet non tanto numero & auctoritate eſſent ibi Judæi, atque apud Hiſpanos; & illic tamen ad honores & officia fuiſſe eos promotos, ſatis colligitur, & ex hiſtoriis, & ex Conciliis Gallicanis prævalente Chriſtianiſmo habitis, quibus æque atque in Conciliis Toletanis Judæi à magiſtratu & honoribus publicis arcentur. Jam vero cum tot indiciis & monumentis antiquis conſtet Aeram iſtam non ab uno, aut paucis, ſed vero palam ab omnibus fuiſſe receptam & approbatam Hiſpanis, iſtud vero fieri non potuerit ſine

communi magiſtratus ſuffragio, non eſt ut dubitemus, quin Aera iſta pſeudomeſſiæ Judaici, Herodis nempe, pro vero Chriſti anno à Judæis magiſtratum gerentibus fuerit obtruſa. Et quidem tuto hoc illis licuit inter Alanos, Suevos & Vandalos; nam certe illo ipſo anno, quo ab his barbaris occupata fuit Hiſpania, per Aeras primum numerari cœptum fuiſſe, aut ſaltem vocem hanc Judaicam tunc primum innotuiſſe Chriſtianis ex eo conficitur, quod ab Idatio ad annum prædictum anni Conſulares Aera permutentur, nec quiſpiam Idatio antiquior vocis hujus meminerit. Non eſt autem ut quiſquam miretur ſub Imperatoribus paganis Judæos in Hiſpania magiſtratus munere eſſe functos, & in Chriſtianos & quoſcunque alios, qui non eſſent cives Romani, jus vitæ & necis exercuiſſe, cum & in Syria, & apud Arabes & alias Aſiaticas gentes, idem illis licuiſſe crebra doceant exempla. In Syria plures fuiſſe urbes quæ Judæis tantum uterentur rectoribus, patet ex Epiphanio, ubi agit de Joſepho, qui ex Judæo factus Chriſtianus, cujuſque eſſe videtur Υπομνηστικόν, quod in multis reperitur Bibliothecis. In iſtis Syriæ urbibus Chriſtiani pro magiſtratibus Judæis publice etiam preces fundere jubebantur, obſervatuſque is mos ſub Imperatoribus quoque Chriſtianis. Sed & in Babylonica captivitate idem juris olim fuiſſe Judæis, docet hiſtoria Suſannæ. Nec quemquam id mirari debere monet Origenes in Epiſtola ad Africanum, cum Ethnarchæ Judæorum ſuo quoque tempore parem exercerent autoritatem.

CAP.

CAP. IV.

De Oraculis Sibyllinis, quando & à quibus fuere conſcripta.

DE Herode & Herodianorum ſecta fuſius aliquanto diximus, ut liquidius conſtaret, tantam de futuro rege fuiſſe Judæorum expectationem, etiam pluribus antequam ille adveniret annis, ut impium tyrannum pro vero maluerint agnoſcere Meſſia, potius quam de veritate ſacrarum dubitare prædictionum. Attamen licet ille rumor ſub Herode multum increbuerit, altius tamen aliquanto eſt repetendus, ab eo nempe tempore quo Hieroſolyma occupavit Pompeius, quinquaginta novem annis ante natum Chriſtum, completa exacte ſexageſima ſecunda Danielis hebdomade. Argumentum clariſſimum quo id conſici poſſit, exinde habemus, quod jam tum in vulgus ſpargi cœperint carmina ſub Sibyllarum nomine à diverſis toto orbe diſperſis conſcripta Judæis, quibus adventus magni regis contineretur; cui, licet ſine pompa & militibus eſſet adfuturus, totus nihilominus eſſet ſubjiciendus terrarum orbis. Illo ipſo enim anno quo capta à Pompeio fuere Hieroſolyma, prodiit Sibyllinum iſtud oraculum, *Regem populo Romano naturam parturire.* Quanti momenti viſum ſit gentibus hoc oraculum, vel inde colligas, quod Suetonius in Auguſto ſcribat; *Senatum exterritum cenſuiſſe, nequis illo anno genitus educaretur; eos qui gravidas uxores haberent, quod ad ſe quiſque ſpem traheret, curaſſe ne Senatus conſultum ad ærarium deferretur.*

Eodem anno idem hoc oraculum excitavit P. Cornelium Lentulum, qui illud ad ſe pertrahere conatus eſt, ut teſtantur non Appianus modo & Plutarchus, ſed & Saluſtius.

ſtius & Cicero III Catilinaria, cum alibi, tum quoque his verbis; *Lentulum autem ſibi confirmaſſe ex fatis Sibyllinis aruſpicumque reſponſis, ſe eſſe tertium illum Cornelium, ad quem regnum hujus urbis atque imperium pervenire eſſet neceſſe. Cinnam ante ſe & Sullam fuiſſe, eundemque dixiſſe fatalem hunc eſſe annum ad interitum hujus urbis atque imperii, qui eſſet decimus annus poſt virginum abſolutionem, poſt Capitolii autem incenſionem viceſimus.* Recte addit *aruſpicumque reſponſis:* in fatalibus quippe Sibyllinis ſcripti id tantum continebatur, ſi quando Ægyptus Romanis pareret, tum adventurum magnum regem, tumque tres futuros qui Romanam affligerent & perderent Rempublicam. Iſtos vero tres fore Cornelios,, id ex aruſpicum veriſimile eſt acceſſiſſe interpretamento. Verſus vero Sibyllini, quibus hæc continebantur, ſunt illi ipſi, qui etiamnum hodie occurrunt, circa finem libri ſecundi,

Αὐτὰρ ἐπὶ Ῥώμης τε καὶ Αἰγύπτου βασιλεία
Εἰς ἓν δὴ ξλώυσα, τότε δὴ βασιλεία μεγίστη
Ἀθανάτου βασιλῆος ἐπ' ἀνθρώποισι φανεῖται
Ἥξει δ' ἁγνὸς ἄναξ πάσης γῆς σκῆπτρα κρατήσων
Εἰς αἰῶνας πάντας ἐπειγομένοιο χρόνοιο.
Καὶ τότε Λατίνων ἀπαραίτητος χόλος ἀυδρῶν,
Τρεῖς Ῥώμην οἰκίζοῃ μοιρῃ καταδηλήσονται.

Vide quoque ſequentia. Aptius vero hæc intelligas de triumviratu Auguſti, Lepidi, & Antonii. Sed vero cum ex iis quæ diximus, manifeſte pareat verſus iſtos fatidicos jam exſtitiſſe totis viginti annis ante triumviratum, ſi quis credere nolit hæc futura potuiſſe præſciri à ſcriptoribus Sibyllinorum, per me licet ut credat, quemadmodum ante Cornelius Lentulus, ita quoque hujus exemplo iſtos triumviros ad invadendam Rempublicam inſtigatos fuiſſe verſibus illis Sibyllinis, quorum tanta apud Romanos eſſet auctoritas. Nec ſucceſſu caruit tam ſpecioſus prætextus,

textus, cum & tres simul oppressérint Rempublicam, idque tempore magis opportuno, capta jam quodammodo à Cæsare Ægypto. Quid autem moverit Ægyptios & Alexandrinos Judæos, ut regis magni adventum minentur, si quando fasces Romani Ægyptum & Alexandriam intrent; ejus rei causam infra explicabimus. Per virginum absolutionem intellige Fabiam Vestalem, de qua vide Asconium Pedianum. Quare vero decimum & vicesimum annos vocet fatales mox dicemus.

Aptatum deinceps hoc oraculum Prolemæo Auletæ, quem cum Romani regno vellent restituere, reposuerunt Alexandrini sacerdotes, reducendum regem esse ex voluntate Sibyllæ sine pompa & multitudine, ut est apud Ciceronem lib. 1. Epist. ad Lentulum. Vide quoque Dionem.

De Cæsare intelligendum esse hoc vaticinium multi postea credidere, uti docet Cicero, cum alibi, tum quo que libris de Divinatione editis statim post mortem Cæsaris: *Sibyllæ versus observamus, quos illa furens fudisse dicitur, quorum interpres nuper falsa quædam hominum fama dicturus in Senatu putabatur, cum quem revera regem habebamus appellandum quoque esse regem, si salvi esse velimus.* Vide quoque sequentia, ubi ex eo, quod versus illi crebras continerent acrostichidas, evincere conatur, eos non inspiratione divina, sed vero adhibita cura fuisse compositos: quod ipsum eodem tempore Ciceronis æqualis scripserat quoque Varro in libris rerum divinarum, negans acrostichidas istas esse Sibyllinas, uti constat ex Dionysio Halicarnasseo lib. 4. Pergit dein Cicero & concludit; *Cum antistitibus agamus, & quidvis potius ex illis libris, quam regem proferant: quem Romæ posthac nec dii, nec homines esse patientur.* Huc quoque facit L. Cottæ xv viri sententia apud Suetonium; *Quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi à rege non posse vinci. Cæsar rex appellaretur.*

Ad

Ad Auguſtum deinceps relatum idem oraculum. Cum enim eodem anno quo à Pompeio capta fuere Hieroſolyma editum, ut diximus, fuerit oraculum, Naturam orbi regem parturire, pauciſque poſtea menſibus natus fuerit Auguſtus Cæſar; ecquis dubitet aut neget, aſtrologos juſtam ſatis habuiſſe cauſam, ut quod de Chriſto intelligendum eſſet, poſtmodum Auguſto rerum potienti attribueretur vaticinium?

Satis itaque clarum, id quod toto orbe ſparſum erat oraculum de naſcituro è Judæis rege, qui univerſi orbis frueretur imperio, admodum fuiſſe vetuſtum, utpote è ſacris ſacerdotum literis depromtum, ut Suetonius & Tacitus teſtantur. Fruſtra aliquis in illis, quæ Sullanis temporibus una cum Capitolio conſumta fuere Sibyllinis ſcriptis, iſtiuſmodi quærat oracula. Si quis ea quæ ſuperſunt priorum Sibyllarum excutiat loca, longe alterius inveniet ea fuiſſe generis, & quidvis potius quam regis alicujus prænuntiaſſe adventum: ut manifeſtum ſit non potuiſſe hæc ab aliis, quam à Judæis vulgari, qui ſub nomine fatidicarum mulierum, & quarum apud gentes magna eſſet auctoritas, ea in lucem edidere, quæ ipſi è prophetarum ſuorum hauſiſſent oraculis. Nec ſucceſſus horum defuit vaticiniis, & quidem tantus, ut cæterarum gentium protinus ceſſarint oracula. Quippe cum alia plurimum inter ſe diſcreparent, & qui illa dictarent, non fallarent tantum, ſed & fallerentur; ſoli Judæi unum omnes clamabant, prædicentes adventum regis ſervatoris orbis, & cujus imperium in omnes eſſet futurum gentes. Etiam illi qui vaticinia ridebant, cum viderent tot millium hominum in illis quæ edocti eſſent à ſuis prophetis unanimem conſenſum; non poterant non exiſtimare aliquid ſubeſſe arcani & tamen divini, quo mentes ad tantam compellerentur concordiam, ac ſi uno ſpiritu, eodem numine, & iiſdem ſenſibus omnes inſpirarentur.

Quod

Quod ſiquis ſcire deſideret, qualia præcipue ea fuerint, quæ in iſtius temporis Sibyllinis vulgarentur; adeat is factos libros, & ſciat quæcunque ibi de Servatore noſtro occurrunt oracula; ſimilia quoque illis contenta fuiſſe carminibus, finem regni Judaici, deſolationem templi, everſionem religionis gentilium, inſtaurationem templi ſed ſpiritalis, conſummationem & conflagrationem mundi, partum inſuper viginis, novam progeniem cœlo delapſam, abolitionem peccatorum primi parentis, aliaque qualia in quarta Ecloga canit Virgilius, ſecutus oracula quæ ſub nomine Cumææ vatis iſto paſſim legebantur tempore.

Satis vero mirari nequeo, quid impulerit noſtri & ſuperioris ſeculi eruditos, ut verſus iſtos Virgilianos alieniſſimis ſenſibus interpolare, & tam præclara religionis Chriſtianæ argumenta eludere fuerint conati. Quid quæſo Sari Babylonici ad rem faciunt, aut quis veterum dixit, aut ſomniavit annum magnum Ægyptiacum impletum fuiſſe, cum iſta ſcriberet Virgilius, qui ne nunc quidem impletus eſt? Percurrantur omnia aſtrologorum & chronogolorum monumenta, nihil uſquam occurret, quo tam futile poſſit adſtrui commentum. Profecto ſi vel temporum colligamus momenta, manifeſte cognoſcemus, non potuiſſe aliunde illa haurire Virgilium. quam ex Judæorum oraculis, quæ illo ipſo, ut diximus, tempore ſub nomine Sibyllæ Cumææ præcipue vulgabantur. Scripſit quippe Virgilius iſtam Ecclogam circa initia Herodis magni, Olympiadis CLXXXV anno ſecundo, quo nempe Aſinio Pollioni natus fuit filius Saloninus, cui iſtos Sibyllæ verſus aptare fuit conatus. Sed operæ pretium fuerit ipſam Sibyllam per os Virgilii loquentem audire.

CAP. V.

Interpretatio IV Ecclogæ Virgilii.

CUm itaque hac Sibylla inſpirante ſcribat Virgilius, adeſſe ultimam ætatem, renovationem priſci ſeculi, & quæ ſequuntur; quis in his verbis conſtantem veterum Judæorum non agnoſcat ſententiam, unanimiter è Sacris libris credentium, poſtrema mundi ætate adventurum Chriſtum, & inſtauraturum omnia, proditurum è virgine, redempturum ſanguine ſuo peccata mortalium, & virtute patris ſui recturum orbem univerſum? Licet autem hæc ipſa quoque occurrant in iis quæ hoc tempore ſuperſunt Sibyllinis; quia tamen illa admodum confuſa, & paſſim interpolata vulgo leguntur, ut poſtea palam fiet; nec in iis ætates per metalla diſtinguantur, nec item eadem ratione & ordine, atque in verſibus olim Cumææ attributis Sibyllæ. ſecula procedant; neceſſum eſt & pauca nonnulla quæ de vatis Cumææ libris explorata habemus, & quibus cognitis clareſcat mens Virgilii, in medium proferamus.

In verſibus itaque quæ Cumææ olim adſcribebantur Sibyllæ, tota mundi ætas non in quatuor, ut apud Heſiodum & Ovidium, ſed in decem diſtribuebatur partes, quæ & ipſæ ætates appellabantur. Iſtæ autem ætates per metalla fuere diſtinctæ. Cum vero vulgo placuerit ſeptem eſſe planetas, unicuique ſuam attribuentes metallum, ſeptem quoque finxere metalla. Nec eſt hoc recens Chemicorum commentum: veteribus quippe Judæis & Ægyptiis idem placuiſſe, non tantum ex hoc Sibyllæ, ſed & multorum aliorum conſtat teſtimoniis, quibus addi poſſit locus iſte ex antiquo Pindari Scholiaſte ad Od. V. Iſthm, Ἐκάτῳ δ'

τ ἀστέρων ὕλη τις ἀνάγκαι. Ἡλίῳ μὲν ὁ χρυσός. Σελήνῃ δ', ὁ ἄργυρος. Ἄρει, σίδηρος. Κρόνῳ, μόλυβδος. Διΐ, ἤλεκτρος. Ἑρμῇ, κασσίτερος. Ἀφροδίτῃ, χαλκός.

Prima itaque mundi ætas apud Sibyllam, dicta aurea, Soli fuit attributa. Secunda argentea, quæ Lunæ. Tertia ab electro, quatenus pro metallo accipitur, denominata Jovi ſacra; & ſic porro, ita ut Marti ferrum, Veneri æs Mercurio ſtannum, Saturno vero plumbum adſignaretur.

Sed cum non ſeptem, ſed decem ætates deſcripſerit Sibylla, quæri poteſt quo nomine octava & nona ætas fuerint ſignatæ. Quamvis ergo, ut nunc, ita quoque olim multis placuerit plura quam ſeptem eſſe metalla, & propterea aliquis exiſtimare poſſit, etiam octavæ & nonæ ætati aliquod fuiſſe attributum metallum, ego tamen, ut aliter ſentiam, inducor his præcipue Juvenalis verſibus Sat. 13.

Nona ætas agitur, pejoraque ſecula ferri
Temporibus, quorum ſceleri non invenit ipſa
Nomen, & à nullo poſuit Natura metallo.

Vulgo hæc non recte exponuntur, cum nullum dubium ſit quin poeta hoc loco Cumæam ſecutus ſit vatem, quæ nonam ætatem, nullo ſignatam metallo, deſcripſerat velut omnium ætatum teterrimam: ut contra decimam ætatem veluti omnium optimam, utpote quæ futura eſſet ἀποκατάστασις per Chriſtum. Sed Juvenalis, cum iſtam ἀποκατάστασιν non admitteret, ſcribit nonam etiamnum fluere ætatem. Patet itaque in libris Cumææ Sibyllæ ἀνεπίγραφον & ſine titulo fuiſſe octavam & nonam ætatem, aut ſi id non ſit, veriſimile eſt ab octava ſphæra octavæ ætati, à tellure vero cognomen additum fuiſſe nonæ, cum conſtet aliquot Pythagoreos, eoſque ſecutum Philonem Judæum, iſtoc ordine cæli digeſſiſſe regiones.

Abſoluta hac periodo denuo fit aureum ſeculum, & denuo regnat Apollo ſeu Sol. Hinc eſt quod denarium numerum

merum Pythagarici & complures ex veteribus Apollinem ſeu Solem, & item Αἰῶνα ſeu integrum appellarint ævum, utpote quo fiat reſtitutio prioris ſeculi. Clarum eſt itaque quare Virgilius dixerit; *Ultima Cumæi venit jam carminis ætas*, & ſubjciat; *Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.* Recte itaque Servius *Cumæi* interpretatur *Sibyllini, à Sibylla quæ Cumana fuit, & ſecula per metalla diviſit. Dixit etiam quis quo ſeculo imperaret: & Solem ultimum, id eſt decimum voluit. Novimus autem eundem eſſe Apollinem*; *unde dicit* tuus jam regnat Apollo. *Dixit etiam, finitis omnibus ſeculis rurſus eadem renovari: quam rem etiam Philoſophi hac diſputatione colligunt, dicentes completo magno anno omnia ſidera in ortus ſuos redire, & referri rurſus eodem motu. Quod ſi idem ſiderum motus, neceſſe eſt ut omnia quæ fuerunt, habeant iterationem.*

Patet itaque quare Sibylla Chriſtianos futuros vocarit gentem auream, utpote qui decima ætate aurea, veluti Solis, ſint prodituri. Nonnulli tamen verbis Sibyllæ inhærentes, quæ & Virgilius expreſſit, cum dicit, *Jam nova progenies cœlo demittitur alto*, ita hæc ſunt interpretati, ac ſi è throno Dei, id eſt ex Sole proditurus eſſet Chriſtus. Hæc nempe vetus Judæorum opinio profluxit ſex eo quod in Pſalmis legitur; *In Sole poſſuit tabernaculum ſuum.* Verſus autem Sibyllini, quibus hoc adſtruitur, exſtant apud Lactantium, & occurrunt quoque in illis quæ ſuperſunt Sibyllinis. Sunt vero iſti;

Καὶ τότ' ἀπ' ἠελίοιο Θεὸς πέμψῃ βασιλῆα
Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.

Sic quoque complures olim ſenſiſſe Gnoſticos, colligo ex Theodoti excerptis apud Clementem Alexandrinum; Ἐν τῷ Ἡλίῳ ἔθετο τὸ σκήνωμα αὐτῶ ἔνιοι μὲν ἕν φασι τὸ σῶμα τῷ κυρίου ὂν τῷ ἡλίῳ αὐτὸν ἀποκαθεσθῶς, ὡς Ἑρμοφίλης· σῶμα ἅγιον λέγουσιν, οἱ

οἱ μὲν γὰρ σκῆνος αὐτοῦ· οἱ δὲ τὴν περὶ πιστῶν ἐκκλησίαν. Nec dubitandum quin Hermogenes & Gnoſtici opinionem iſtam de ſtatione Chriſti & Chriſtianorum in ſole è Sibyllinis oraculis ad ſuam tranſtulerint ſectam. Non ſolos autem Gnoſticos, ſed & complures olim Judæos, & præcipue Eſſenos, eorumque progeniem Sampſæos, ſolem tanquam Dei ſtationem coluiſſe, ſatis docet mos Eſſenorum antiquus ſcrobem effodientium & eundem poſtea replentium, ſi quando alvum, eſſent egeſturi, ne lucem & radios Dei è ſole progredientes inquinarent, ὡς μὴ πρὸς αὐγὰς ὑβρείζοιεν τοῦ Θεοῦ. Nugas agunt qui verba Joſephi, vel corrigere, vel aliter interpretari conantur. Ipſe Joſephus Lib. v. Cap. xx. de Bello Jud. cum deſcribit crudelitatem eorum, qui ſepeliendorum cadaverum facultatem impedirent, ſimiliter loquitur; καθάπερ συμβήκας πεπογημένοι τοῖς τοῦ πατρίου συγκαταλῦσαι τὸς τοῦ φύσεος νόμους, ἅμα τι τοῖς εἰς ἀνθρώπους ἀδικήμασι, συμμιᾶναι τὸ θεῖον, ὑφ' ἁλίῳ τὸς νεκρὸς μυδῶντας ἀπέλειπον. Eadem prorſus habet vetuſtiſſimus ſcriptor Judæus, cujus gnomæ ſub Phocylidis leguntur nomine.

Sequitur deinceps apud Virgilium, *Jam redit & virgo*, quod de Aſtrea interpretantur. Demus ſic intelléxiſſe Virgilium, at certe non ſic ſenſit Cumæa vates, ſeu potius Judeus ille qui ſub hujus nomine carmina iſtæc edidit. Ecquis dubitet illum locutum de futuro ſigno, quod Deus apud Eſaiam Cap. VII. promittit, cum dicit parituram virginem? Eſto itaque ut de Aſtrea, ſeu Pudicitia Dea, hæc acceperint Ethnici, & ipſe quoque Virgilius, qui tamen ſuam hoc loco non expreſſit ſententiam; hæſitaſſe tamen eos in vocabuli hujus acceptione, vel ex eo manifeſtum, quod P. Cornelius Lentulus, ut ex ſupra memorato Ciceronis apparet loco, per Virginem in Sibyllinis expreſſam, intellexerit Fabiam Veſtalem, quæ inſimulata inceſtus, innocens fuit declarata, honori reſtituta, & pro virgine habita decennio antequam cum Catalina conſpiraret Lentulus. Decennium

cennium vero ideo dixit, quod in Sibyllinis omnia tam bona, quam mala facta, denario continerentur numero, utpote fatali, quamobrem & Pythagoricos constat τὰν δεκάδα seu denarium appellasse fatum seu ἁμαρμένην. Eadem ratione dicebatur quoque fatalis annus vicesimus, velut ex duobus compositus denariis. Certum est autem combustionem Capitolii, quæ contingit anno urbis DCLXXI, præcessisse annis viginti conspirationem Catilinariam.

Jam vero cum dicit Virgilius, *Et incipient magni procedere menses*, & hæc quoque vulgo male interpretantur, nec melius Asconiusqui de Quintili & Sextili mensibus hæc accipit. Ut cætera, ita quoq; & hoc ex Cumæa desumptum est Sibylla. Ejus enim liber decem continebat ætates, quæà prima creatione, usque ad tempus Christi numerabantur. Per decem vero ætates intellige decem annos magnos, sed non ea ratione qua apud Astronomos & gentiles, sed quemadmodum apud Judæos, quibus annus magnus continebat spatium annorum sexcentorum. Docet hoc Josephus libro primo ubi de longa primorum hominum agit ætate. Causa hujus anni ex Jubileis petenda, quorum duodecim unum magnum constituebant annum. Singuli itaque Jubilei, singulos repræsentabant anni magni menses, utpote qui singuli Jubileum, seu quinquaginta continerent annos. Explodendi enim sunt qui invito Moyse & omnibus antiquis Judæis XLIX tantum Jubileis assignant annos. Unitas enim, ut sæpe, complementi & perfectionis numeri gratia addebatur, ut infra quoque dicemus. Nec officit quod hac ratione duo Sabbatici anni continenter sibi succedant. Ut enim in aliis Sabbaticis annis ad tertium, ita in Jubileis ad quartum annum sufficiebant fructus. Decem itaque ætates, seu anni magni, sex conficiunt annorum millia. Omnes vero antiquos Judæos adventum Christi retulisse vel ad medium, vel ad finem sexti millenarii, abunde, nisi fallor, alibi ostendimus.

Ægyptiis

Ægyptiis porro & Judæis ſymbolum hujus magni anni erat Phœnix avis, cujus propterea vita ad annos debeat patere ſexcentos. Sed tamen plerique fere non niſi quingentorum annorum vitam huic adſignarunt. Ideo id credo factum, quod in menſura anni magni, qui ex Jubileis conſtaret, non eadem omnes ſenſerint, aliis tribuentibus huic Jubileos duodecim, qui eſſent inſtar duodecim menſium; aliis terminantibus hunc annum Jubileis decem, velut perfectiori numero, nulla habita mentium ratione. Sed nec defuere qui annos mille vitam hujus alitis patere dixerunt. Nempe qui ſpatium à creatione ad Chriſtum, non in decem, ut Sibylla Cumæa, ſed in ſex diviſere ætates, illi mille annos unicuique tribuebant ætati. Hoc maxime Chriſtianis placuit, qui quod Chriſtum ſexta ætate adveniſſe ſtatuerent, ideo etiam per ſenarium numerum ſolebant Chriſtum exprimere. Porro quamvis quingentos annos Phœnici tribuat Ælianus Lib. VI. Cap. LVIII, tamen de hoc ſpatio non conveniſſe inter ſacerdotes Heliopolitanos, qui omnibus fere ſeculis majori ex parte fuere Judæi, & à quibus omnem ſuam religionem hauſerunt Ægyptii, ſatis manifeſtum fiet ſiquis perpendat ejus verba, utpote qui ſcribat, graves de adventus tempore interceſſiſſe rixas, aliis jam adeſſe, aliis exſpectandum etiamnum eſſe contendentibus, donec avis illa adventu ſuo finem magno imponat anno. Chæremon Ægyptius, qui de antiquis Ægyptiorum Hieroglyphicis ſcripſit, ſex vel ſeptem annorum millibus vivere Phœnicem putabat, totam videlicet cupiens intelligi mundi ætatem. Ex his ſatis fit clarum Phœnicis fabellam excogitatam & admiſſam fuiſſe ad deſignandum ἀῶνα ſeu ævi durationem. Quandoquidem vero vox ævi varie accipitur; nam ſi referatur ad vitam hominum qui diluvio fuere priores, mille contineat annos; ſi ad illos qui ſtatim poſt diluvium vixere, quingentos vel ſexcentos; ſi vero non hominum, ſed ætatis mundi habeatur ratio, complura comprehendat annorum millia;

hinc

hinc omnino factum existimo, ut tam diverse de voce αἰῶν, de vita Phœnicis, & de duratione magni anni apud Ægyptios & Judæos prodierint sententiæ. Sed & hoc quoque palam fit, annum magnum Judaicum, qui ex Jubileis conficitur, nihilo magis è revolutionibus aut compositis siderum periodis, quam ipsosmet pendere Jubileos. A Sabbathi cultu profluxit annus Sabbaticus, ab illo Jubileus, à Jubileo minore Jubileus major sive annus magnus. Annorum Sabbathicorum & Jubileorum qui à Moyse usque ad Christum & eversa Hierosolyma computant numerum, & suis inserunt Chronologiis, illi & se, & alios decipiunt. Jubilei in sacris libris nusquam mentio, nisi in lege Moysis. Tempore pacis & cum sui juris essent Israelitæ, celebratos ab iis fuisse Jubileos libenter credo. Sed vero credere servitutis & captivitatis temporibus id ipsum quoque fuisse factum, illud omnino absurdissimum. Tantum abest ut certus Jubileorum numerus hoc tempore possit haberi, ut ne olim quidem ullus exstiterit Judæus, cui id notum fuerit. Si enim continua & non interrupta Festi hujus permansisset observatio, plana esset tota Chronologia, & cessarent omnes controversiæ, nec hæsitasset Philo de tempore quod Moysis & suam intercesserit ætatem, Quapropter miror virum magnum in libro de Emendatione temporum, cum prius rectam instituisset viam, postea mutasse sententiam, & tot aliis errandi dedisse occasionem.

CAP.

CAP. VI.

De prohibitione librorum Sibyllinorum.

EX iis quæ hactenus diximus ſatis eſt manifeſtum, quam late toto orbe ſparſa fuerit fama de adventu magni regis, etiam antequam Chriſtus naſceretur; quamque varie exceptus fuerit hic rumor, faventibus quidem multis, tantique ſucceſſionem regni ad ſe pertinere ſperantibus: ſecus vero affectis pluribus, quibus nempe, ut ex iis quæ adduximus Ciceronis patet verbis, nihil æque in Sibyllinis ac regis diſplicebat nomen. Hoc ſolum poterat ſufficere ut privatis quibuſvis hominibus lectio Sibyllinorum interdiceretur. Nam certe inſtinctu malorum dæmonum, Herodis, ut opinor, cujus maxima apud Romanos erat auctoritas, pœnam capitis fuiſſe conſtitutam, ſiquis legeret libros Hyſtaſpis, Sibyllæ & Prophetarum, clariſſimis verbis teſtatur Juſtinus in Apologia ſecunda. Scio quidem virum doctum in exercitationibus Eccleſiaſticis conatum fuiſſe hæc eludere: ſed multum fallitur, cum iſta de iis accipienda eſſe putat Sibyllinis, quibus jam à Tarquinii regis temporibus utebantur Romani. Illa enim combuſta fuere ducentis & triginta plus minus annis antequam hæc ſcriberet Juſtinus. Sed vero quæ ſucceſſere Erythris allata Sibyllina, illa eſſe de quibus Juſtinus loquitur, manifeſtum ex eo, quod & Hyſtaſpis & Prophetarum ſimul memorentur vaticinia, quæ quod ſimiliter regem Judæum Romanis minarentur, multo etiam magis quam priora prohibita fuere Sibyllina.

Sed neque idem, neque alii complures poſt illum viri docti recte interpretati ſunt verba Aureliani Cæſaris apud Vopiſcum, quibus hortatur patres conſcriptos ut inſpici-

ant libros Sibyllinos, & cunctantes ita alloquitur; *Miror vos Patres ſancti tamdiu de aperiendis Sibyllinis dubitaſſe libris, perinde quaſi in Chriſtianorum eccleſia, non in templo deorum omnium, tractaretis.* Ita hæc accipiunt, tanquam ſi Chriſtianis execrationi fuiſſent libri Sibyllini, quod nemo unquam Chriſtianorum vel dixit vel cogitavit: quin potius cum gentilibus diſputantes, ſemper provocabant ad Sibyllas, & ad earum remittebant libros, ut ex Juſtino, Clemente, Tertulliano, Lactantio, imo omnibus patet. Eſt quidem verum Aureliani tempore fuiſſe quoque Sibyllinos aliquos libros, qui gentilium ritibus & ceremoniis faverent, uti poſtea dicemus: verum illi nullo omnino in pretio erant Chriſtianis. Quod ſi de illis ſolis Aureliani verba accipienda eſſe exiſtimemus, jam dubia & frigida fiet ſententia, quæ alias, ſi recte verba interpretemur, ſenſum exhibet clariſſimum. Exprobrat patribus quod cum ipſis licitum ſit conſulere libros Sibyllinos, adeo tamen cunctanter id faciant, ac ſi non in templo deorum omnium, ſed vero in aliqua Chriſtianorum verſarentur eccleſia, ubi capitale eſſet libros legere Sibyllinos. Legebant quidem illos Chriſtiani, ſed clam & in occulto, non autem palam & in eccleſiis.

Sed neque recte ab iiſdem Alexandrinus Clemens reprehenditur, cum ſcribit Apoſtolum Paulum remiſiſſe ad Sibyllas & Hyſtaſpis vaticinia, & commendaſſe eorum lectionem. Fruſtra quærunt ubinam hoc dixerit Paulus, ac ſi nihil dixiſſet aut ſcripſiſſet Apoſtolus, niſi quod indoctis placeat. Sufficiat nobis affirmaſſe hoc Clementem, virum ſanctum, & cum multis Apoſtolicis viris converſatum, ut non uno loco ipſe de ſe teſtatur. Inſtant tamen, & credulitatem Patrum ad ſimplicitatem uſque traducunt; ipſi potius traducendi, quod ſuam incredulitatem ex inſcitia ortam prudentiæ & judicii loco obtrudere conentur. Sed neque quidquam proficiunt exinde, quod libri iſti Apocryphis fuere annumerati. Ut

vero

vero quanti hoc argumentum faciendum ſit cognoſcamus, operæ pretium fuerit de hoc vocabulo & ſcriptoribus apocryphis nonnulla ſubjungere.

CAP. VII.

De libris apocryphis.

ANtequam in Græcum ſermonem à LXX interpretibus converterentur libri ſacri, omnes erant apocryphi, utpote ad quos ſolis Levitis & ſacerdotibus pateret aditus. Et ipſum vocabulum & frequens ejus uſus, apud quoſcunque etiam Græcos, ſatis manifeſte oſtendit, non de aliis id acceptum fuiſſe libris, quam vel de raris & non paſſim obviis, vel de iis, qui in archivis & ſacris recondebantur armariis, & ad quos ſolis, ut diximus, daretur acceſſus ſacerdotibus. Tales ſemper fuere Sibyllini, quorum cuſtodia XV viris erat commiſſa, tales Tuſcorum haruſpicum libri reconditi, quorum tam crebra paſſim fit mentio: tales Tyriorum & Ægyptiorum annales ſacri, qui ἀνακεχωρηκότες βίβλοι & ἀπόκρυφοι paſſim appellantur. Suidas cum dicit Epaphroditum Grammaticum triginta millia ἀνακεχωρηκότων βίβλων poſſediſſe, interpretatur ἀποκρύφων. Atque hæc vera hujus vocis ſignificatio, neque ullum vetuſtum invenias ſcriptorem, cui ἀπόκρυφος non fuerit idem quod κρύφιος, ita ut libri apocryphi idem fuerint qui arcani, inacceſſi, ſacri, & quibus merito credatur. Videmus nunc qua ratione factum ſit ut vocabulum hoc apud Chriſtianos aliam & priori quodammodo contrariam acceperit ſignificationem, cum ſcilicet apocryphi pro ſpuriis, aut ſaltem dubiæ fidei, accipiuntur libris. Ego ne dubitandum quidem exiſtimo, quin ſiniſtra vocis hujus acceptio à Judæis propagata ſit

ad Chriſtianos. Antequam enim eſſent Chriſtiani, in recta ſignificatione vox hæc ab ipſis quoque uſurpata fuit Judæis. Quomodo autem immutata fuerit ſignificatio, jam dicam. Totis quinquaginta & pluribus annis antequam naſceretur Meſſias, ſuis de Meſſia Vaticiniis univerſum Judæi terrarum compleverant orbem. Perſonabat ubique verſus ille;

Ἥξει δ' ἀγνὸς ἄναξ πάσης γῆς σκῆπτρα κρατύνων.

Perſtitere in hac ſpe & exſpectatione quamdiu rex Meſſias non adveniſſet. Poſtquam autem ille venit, & non agnoverunt eum, averſiſque tandem Hieroſolymis ſpes alius Meſſiæ paulatim cœpit evaneſcere, numeruſque in verum credentium Meſſiam indies augeri; fieri aliter non potuit, quin pudore & pœnitentia prioris à ſe ſparſi rumoris affecti fuerint maxima, adeoque quidem ut & ipſi quoque, quod eos fruſtratus eſſet, maledixerint Meſſiæ. Tum itaque cœperunt odioſi illis eſſe Sibyllini, Hyſtaſpis, aliique à majoribus ſuis paulo ante conſcripti libri, utpote adventum Chriſti clarius ſignificantes quam à veteribus factum eſſet prophetis. Tum quoque execrationi eſſe cœpit verſio. LXX interpretum, è qua tanquam è ſeminario omnes iſti novi prophetæ quaſi totidem Meſſiæ prodiiſſent precurſores. In hujus itaque verſionis perniciem cœperunt διαστρέφειν & novas condere verſiones, eo nempe conſilio, ut quem jampridem ex ſuis animis, eundem quoque è ſacris exterminarent regem literis. Quamvis autem non ſucceſſerit hic conatus, fecere tamen quod potuerunt, & adeo quidem, ut ſive Hebræa exemplaria, ſive Græcam ſpectes verſionem, nulla gravior libros ſacros adflixerit labes, quam quæ à Judæis iſtis ſit illata temporibus. Denique nequid impietati in Chriſtum deeſſet, cum publico cautum eſſet edicto, nequis legeret Sibyllinos alioſque fatidicos libros continentes adventum regis, jam ſibi magis quam Romanis odioſi, libenter

libenter decreto Senatus paruere, anathemate etiam proſcribentes, ſiqui inter Judæos iſtos aut haberent aut conſulerent libros; & hac ratione qui antea palam & religioſe ab illis legebantur libri, facti ſunt apocryphi, veluti interdicti, & à nemine legendi. Tum quoque factum ut arctiori quam antea ſepe libri ſacri conſtringerentur, omneſque qui Hebraice non exſtarent, à reliquis ſeparati & pro apocryphis fuerint habiti, detorta à vero ſignificatu vocis natura. Quippe cum antea libri ſacri, aut etiam quilibet ad quos non pateret omnibus aditus, apocryphi dicerentur, illi in ſequiorem ſenſum accepere hoc vocabulum, tanquam ſi ideo non eſſent adeundi, quod ſpurii & dubiæ eſſent fidei. Satis ex his patet quam alieno ſenſu & è veteribus Chriſtianis complures, & noſtræ ætatis fere plerique vocem apocryphorum accipiant, cum adulterinos & exigui momenti libros iſtoc ſignant titulo. Haud ſane parum utilitatis Chriſtianæ accederet religioni, ſi etiamnum ſupereſſent ſcripta illa apocrypha, quæ veteris Teſtamenti olim conjungebantur libris, cum & approbata fuerint à Judæis antequam eſſent Chriſtiani, & lecta in primitiva Eccleſia, & commendata à Paulo & Apoſtolis, qui & teſtimonia ex illis petita ſcriptis ſuis inſeruere. Apud Paulum quidem complura occurrunt loca ex illis deprompta, liber vero Enochi, citatur in Epiſtola Judæ. Scio quidem à multis rejici hoc nomine illam Judæ epiſtolam, ſed ſi hoc valeat argumentum, rejicienda quoque erit ſecunda S. Petri epiſtola, utpote in qua Cap. II. v. IV. legitur Deum in priſco qui ante diluvium fuit mundo non peperciſſe angelis peccantibus, ſed illos catenis tenebrarum coercitos in tartarum detruſiſſe, extremo reſervandos judicio, quod manifeſte ex eodem depromptum eſt Enochi libro. Integrum Enochi locum vide in Chronico Syncelli. Eadem hiſtoria, paribus fere ac Apoſtolus verbis, memoratur in Oraculis Sibyllinis Lib. I. ubi ſecundæ ante diluvium ætatis hominum lapſus deſcribitur.

Nec

Nec tamen propterea ſequitur librum hunc ipſo antiquiorem diluvio, ab Enocho fuiſſe conſcriptum. Abſit ut ſic ſentiamus; ſed vero ita omnino credimus, omnes iſtos quos diximus libros, vergentibus ad finem Danielis hebdomadis, à Judæis toto orbe diſperſis fuiſſe compoſitos, Deo impellente ipſorum mentes ad ſignificandum gentibus Chriſti adventum. Infinita itaque illi edidere volumina partim ſub Patriarcharum & Prophetarum ſuorum nominibus, quales fuere libri qui olim lecti fuere ſub nominibus Adami, Enochi, Abrahami, Moyſis, Eliæ, Eſaiæ & Jeremiæ; partim vero ſub nominibus illorum, quorum magna apud gentiles eſſet exiſtimatio, veluti Hyſtaſpis, Mercurii Triſmegiſti, Zoroaſtris, Sibyllarum, Orphei, Phocylidæ & complurium aliorum. Nec eſt quod quiſquam objiciat in iſtis libris multa quoque fuiſſe ſuperſtitioſa & magica, uti ex iſtis quæ paſſim ſuperſunt fragmentis facile poteſt colligi, ideoque minime eſſe veriſimilè iſtiuſmodi homines clarius de adventu Chriſti fuiſſe locutos, quam veteres locuti ſint Prophetæ; nam id argumentum non eſſe ſatis ſolidum ex eo conſtat, quod & Balaamus magus & incantator toto oriente fuerit celeberrimus, qui tamen futura Chriſti myſteria adeo manifeſte prædixit, ut nullus propemodum Prophetarum tam aperte de iis ſit vaticinatus, uti recte monet Hieronymus in epiſtola ad Oceanum, Sed & illi Magi, qui Chriſtum puerum adoratum venerunt, cum ut ejuſdem regionis, ita quoque ejuſdem artis & profeſſionis fuerint ac Balaamus, Chaldæi nempe harioli, & Balaami, ut veriſimiliter Origenes prodit, ſucceſſores, cum conſtet ſucceſſionem Magorum diligentiſſime obſervatam fuiſſe; ecquis inquam neget eos clarius & manifeſtius quam quiſquam Prophetarum à Deo inſpiratos prævidiſſe diem, horam & locum nativitatis Domini noſtri, & beneficio ſtellæ à Balaamo prædictæ deductos Betlehemum primos fuiſſe qui Chriſtum regem Judæorum ſalutarint? Verum eſt itaque, id quod

quod viri docti in ſacris obſervarunt literis, ut nempe quanto propiores Chriſti temporibus fuere prophetæ, tanto clarius de eo ſint locuti; id ipſum præcipue locum habere in illis, qui vel attigerunt, vel proxime præceſſere tempus nativitatis Chriſti.

CAP. VIII.

De Hodiernis quæ ſuperſunt Sibyllinis.

QUæ ſub nomine Erythrææ ſeu Babylonicæ Sibyllæ olim à patribus Chriſtianis lecta fuere, & etiamnum ſuperſunt & leguntur oracula, longe à me abeſt ut omnia ea ejuſdem generis & auctoritatis eſſe exiſtimem, ac fuere ea de quibus hactenus ſumus locuti. In his quippe quæ Chriſti nativitatem præceſſere Sibyllinis, ea ſolum continebantur, quæ ex Prophetarum ſcriptis deprompta eſſent vaticinia. At vero in illis, quæ vulgo leguntur, eo quoque occurrunt, quæ non ab aliis, quam ab iis potuerunt conſcribi, qui centum & viginti demum annis Chriſto fuere poſteriores. Satis hoc inde colligitur, quod in iis nominatim memorentur Cæſares ad Adrianum uſque. Attamen cum in iis, ea quoque compareant, quæ manifeſte conſtat ſcripta fuiſſe etiam ante adventum Chriſti, uti in antedictis oſtendimus, libenter aſſentior Celſo affirmanti, compluribus in locis interpolatos eſſe à Chriſtianis Sibyllinos libros, quantumvis contradicat Origenes. Ipſum quoque hoc, etiam antequam Chriſtiani eſſent, credidit Varro in libris rerum divinarum, cum teſte Dionyſio Halicarnaſſeo verſibus Sibyllæ Erythrææ aſſutos eſſe ſcripſit verſus nonnullos, qui tamen facile noſcantur ex acroſtichidibus. Hujus ſententiam probaſſe videtur Cicero, cum acroſtichidas ex humano potius ſtudio, quam inſpiratione divina provenire

venire contendit, ut ſupra monuimus. Verum cum non à Sibyllis, ſed à Judæis Sibylliſtis iſta prodierint oracula, ceſſat iſta difficultas. Interim hoc habemus, ut Cumææ, ita quoque Erythrææ Sibyllæ carmina diu ante natum Chriſtum lecta & uſurpata fuiſſe à Græcis & Romanis. Sed operæ pretium fuerit oſtendere, quo pacto combuſtis Sibyllinis veteribus, quibus priſci utebantur Romani, Erythrææ & aliarum Sibyllarum carmina ſucceſſerint.

Bello Marſico anno urbis DCLXXI, ſeu Olympiadis CLXXIV anno ſecundo, Capitolium Romæ conflagraſſe conſtat è multis. Iſtoc incendio pleraque Sibyllina ſcripta, quibus jam à Tarquinii regis temporibus uſi eſſent Romani, abſumpta fuiſſe, teſtis certiſſimus eſt Varro apud Dionyſium Lib. IV. Poſt ſeptennium deinceps reſtituto Capitolio, anno nempe urbis DCLXXVIII Cn. Octavio & Scribonio Curione Coſs. cum fama eſſet crebra de Sibyllinis qui apud Erythræos in Aſia exſtarent, ex decreto Senatus miſſi ſunt ad illos inquirendos legati P. Gabinius, M. Otacilius, & L. Valerius Flaccus. Illos autem ex Erythris & ex aliis Aſiæ urbibus verſus circa mille collectos Romam deportaſſe ex Feneſtella docet Lactantius, addens deſcriptos fuiſſe à privatis, ceu potius idiotis, ut habet ex Varrone Dionyſius, Judæis videlicet indoctis & parum Græce gnaris. Judæos autem magno iſtoc tempore numero habitaſſe in pleriſque fere Aſiæ urbibus, patet ex beneficiis in Judæos à Populo Romano collatis, quorum exempla ex Joſepho alias dabimus. Neſcio enim qua ratione factum ſit, ut pleraque illa decreta abſint ab editis Joſephi exemplaribus, cum & in ſcriptis libris & in verſione extent antiqua, licet admodum mutila.

Illa autem Sibyllina longe alia fuiſſe, ab iſtis quæ combuſta fuere, docet Varro ibidem. Et certe ſiquis conferat priſca Sibyllina, quæ prophanos tantum continebant ritus, cum iſtis quæ Erythris Romam fuere deportata, longe alius inveniet ea fuiſſe generis, utpote in quibus veri Dei cultus

cultus & nihil non ſanctum præcipiebatur. Quapropter plurimum errant qui Sibyllinos libros eoſdem ſemper fuiſſe putant, & permanſiſſe uſque ad tempora Theodoſii, & demum combuſtos à Stilicone.

Ex iis, quæ jam diximus, ſatis quoque fit clarum, carmina quæ ſub Erythrææ Sibyllæ nomine Romam allata fuere, aliquot annis eſſe vetuſtiora quam fuerint carmina Cumææ Sibyllæ, quorum auctor, ut ſerius ſcripſit, ita quoque clarius de Chriſto vaticinatus eſt. Sed & hoc quoque patet, quare cum Babyloniam ſeſe eſſe dixerit, fore nihilominus adfirmarit ut à gentibus Erythræa appelletur. Quia nempe Erythris reperta & Romam deportata ejus fuere oracula. Nec tamen opus eſt, ut propterea prophetidem vel prophetam fuiſſe exiſtimemus, quicunque iſtorum fuerit auctor carminum. Cum enim duas fuiſſe Erythræas Sibyllas ſcribat Strabo, alteram priſcam, alteram vero quæ Alexandri magni vixerit temporibus; facile Judæis fuit imponere legatis Romanorum, miſſis ad Erythrææ Sibyllæ colligenda carmina, obtrudendo mercem quæ ex ſua prodiiſſet officina pro antiquæ & priſcæ Sibyllæ carminibus, aſſuendo illos verſus, quibus hæc Sibylla declarat, ſe licet Babylonia ſit à gentibus tamen Erythræam vocatum iri. Cæterum poſt adventum Chriſti multa aſſuta eſſe iſtis Sibyllinis, partim ex Evangeliis, partim ex rebus quæ poſtea contigerunt, de eo ne dubitandum quidem videtur, omninoque hac in parte probo ſententiam Celſi. Sed & recte Lactantius, cum ſcribit non eſſe unius Erythrææ, ſed plurium Sibyllarum, ſeu potius Sibylliſtarum farraginem. Certe cum ex Feneſtella conſtet, circa mille tantum Erythrææ Sibyllæ verſus legatos Romam deportaſſe, ſatis apparet, quantæ factæ ſint additiones, cum ſupra ter mille verſus ſub hujus Sibyllæ nomine hoc legantur tempore.

Quæ porro à nonnullis viris doctis afferuntur argumenta ad infringendam horum oraculorum auctoritatem, nullius

ea mihi vel pretii vel momenti videntur. Quid enim ad rem facit si homo Judæus scribens Græcis luserit in vocabulo Adami, & in nomine ejus quatuor mundi invenere cardines? Nec tamen verum est quod dicunt, tribus tantum apud Hebræos hanc vocem constare literis, quia nempe compendii gratia unica vocalis in scribendo omittitur, secus enim id sese habet in pronuntiatione. Sed neque recte carpunt, quod nomen Dei in iis oraculis continere dicatur numerum MDCXCVII, cum non satis constet quodnam vocabulum debeat intelligi. Fingunt quidam vocem Hebraicam, quæ tamen putida est. Ego libenter eorum sequor sententiam, qui de voce ἀνέκφωνος, idem quod ἀνεκφώνητος, accipiunt; ut nempe septenarius fiat, more Pythagoricorum & Platonicorum additur unitas. Μόνας enim, ut illi loquuntur, est περιεκτικὸς, ἀποκαταστατικὸς καὶ προσλαμβανόμενος ἀριθμός. Vel potius unitas additur ad declarandam Dei unitatem, ita ut numero illo signetur ineffabilis unitas, ἀνέκφωνος μόνας. Sic Mercurius Trismegistus, & ipse Judæus, cujus verba apud Lactantium Lib. 1. sic concipiuntur; Ὁ δὲ Θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται, ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. Hoc posterius verissimum esse existimo.

Jam vero quod Chiliastarum seu millenariorum errores secutum esse scribunt hunc Sibyllistam, nec hoc quidquam ad rem facit; neque enim quæritur quid verum sit, sed quid veteres senserint Judæi. Quin ex loco Psalmi LXXXIX promanarit hæc opinio, non dubitandum. Falluntur qui Papiam primum sic sensisse existimant. Apostolicis temporibus ita multos credidisse colligas ex epistola Barnabæ. Judæis vero vetustioribus placuisse hanc opinionem, ex eo conficias quod in Sibyllinis extiterit, nec aliter sensere plerique antiquiores Patres, inter quos etiam Origenes. Sic nempe putabant, Deum sex annorum millibus mundum creasse, ita ut primo millenario creata luce visibilis factus sit mundus. Secundo millenario subsidentibus aquis purus

remanserit

remanſerit aër, firmamenti ſeu nubium beneficio ſeparatis ſuperioribus aquis ab inferioribus. Tertio millenario incubante & fovente calore partes telluris ad concipiendum tumorem magis idoneas ſupra aquam ſe extuliſſe, formatoſque montes, ſiccatamque hac ratione tellurem produxiſſe herbas, & ſic porro. Durationem mundi ſimiliter ſex annorum millibus definiverunt, demptis tamen iis annis, qui ab Adamo ad Noam effluxere, priori tempori & alteri mundo illos tribuentes. Horum ſententiam ſecutus eſt Petrus Apoſtolus, cum alium mundum appellat eum qui diluvium præceſſit. Sex itaque annorum millia diſtribuerant in tempus ante legem, tempus poſt legem, & tempus Meſſiæ. Quod autem Judæi id vaticinium è Schola Eliæ promanaſſe dicunt, id fortaſſe ex eo factum, quod deſumptum fuerit è libro prophetiarum Eliæ, quem olim veteris Teſtamenti ſcriptis annumeratum fuiſſe conſtat, licet poſtea apocryphis, ut appellantur, acceſſerit. Qui vero ex Judæis materiam ingenitam & alios ex aliis mundos generari credidere, illi quindecim annorum millia à creatione ad creationem computabant. Sex quippe annorum millia in producendo hoc mundo Deum ſeu Naturam laboraſſe ſtatuebant antequam primus naſceretur homo. A primo vero homine uſque ad Chriſtum alia ſex numerabant annorum millia. Regno autem Chriſti duo tribuebant millia. Ultima denique millenarium extremo judicio & conflagrationi adſignabant, ita ut intervallum, quod hujus & præcedentis mundi conflagrationem intercedat, quindecim annorum fiat millium. Alii quatuordecim numerabant millia. Origenes huic ſpatio tredecim adſcribebat annorum millia, ut videre eſt in excerptis Methodii apud Photium, quibus ſi addas tempus conflagrationis, fient quatuordecim millia, quo peracto ſpatio univerſalem ἀποκατάϛασιν futuram putabant. Tuſci veteres huic intervallo duodecim tantum adſignabant annorum millia, ſi credendum Suidæ in voce τυρρηνοί.

De Saturno & Titanibus quæ ſcribuntur in Sibyllinis, non eſt ut quemquam offendant. Cum per Saturnum Noe, & per Titanas intelligantur poſteri ejus, qui turrim ſunt moliti Babyloniam; clarum eſt eo hæc referri, ut oſtendatur Græcorum fabellas non ex nihilo eſſe fictas, ſed veritatem earum contineri ſacris literis, è quibus Saturnum, Janum, & alios, non deos, ſed homines fuiſſe, manifeſte ſatis poſſit colligi.

Sed neque hoc recte in Sibyllinis carpitur, quod diluvio quadraginta tantum aſſignentur dies. Complures quippe ex antiquis ſic ſunt locuti, reliquum tempus, quo pluviæ ceſſarunt, non attribuentes diluvio.

Quod mons Ararat, in quo arca Noæ quievit, Phrygiæ adſcribatur in Sibyllinis, & hoc quoque complures viri eruditi falſum eſſe contendunt. Sed quod pace ipſorum dixerim, non ſuccedunt eorum rationes. Non jam quæram rectene mons Ararat Phrygiæ fuerit attributus: ſufficiet oſtendiſſe, complures olim ſic credidiſſe. Luculentum hujus rei teſtimonium poſſit exhibere nummus Apamenus ante paucos annos Romæ vulgatus à Falconerio, in quo expimitur arca Noæ. Iſta autem Apamea præcipua poſt Epheſum majoris Phrygiæ fuit civitas. Sita erat ad fontes Marſyæ fluminis. Mons urbi huic vicinus, quod in eo arca ſeu Noæ, ſeu Deucalionis, quieviſſe crederetur ab Apamenis vel potius Judæis Apameæ habitantibus, dictus fuit κιβωτὸς, & inde ad ipſam quoque urbem tranſiit appellatio. Eadem ratione idem hic mons vocatus fuit Βάρις, quia nempe hæc vox magnam domum, vel magnum ſignificet navigium. Hæbræis eſt בירה. Conſtat autem hanc vocem non Perſis minus & Medis & Egyptiis uſitatam fuiſſe, quam Hebræis. Heſychius; Βάεις, πύργος, πορθμεῖον, περιάμφοδον. Sed & antiquum illud Noæ navigium Σωβῆειν dictum fuiſſe, veluti qua conſervatum ſit genus humanum, colligo ex eodem Heſychio; Σωβῆεις, ναῦς, πορθμὶς· ἔνιοι τὴν παλαίαν. Sed tamen objiciunt

Ararat

Ararat esse Armeniæ montem, non Phrygiæ. Audio quidem, sed sciendum eam Phrygiæ majoris partem in qua Apamea, olim Armeniæ attributum fuisse, & sic sensisse Nicolaum Damascenum: Docent ejus verba Lib. I. Cap IV. apud Josephum; Ἔστιν γὰρ τῷ Μιλυάδα μέγα ὄρος κατὰ τὴν Ἀρμενίαν Βάρις λεγόμενον, εἰς ὃ πολλοὺς συμφυγόντας ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ λόγος ἔσχει σωθῆναι, καί τινα ἐπὶ λάρνακος ὀχούμενον ἐπὶ τῶν ἀκρωρείαν ὀκεῖλαι, & τὰ λείψανα τῶν ξύλων ἐπὶ πολὺ σωθῆναι, γένοιτο δ' ἂν οὕτος ὅντινα & Μωυσῆς ἀνεγεαψεν ὁ τῶν Ἰουδαίων νομοθέτης. Vulgo legitur Μιρυάδα quod multum torsit virum doctum. Est autem Milyas Pamphyliæ Pisidiæque superior tractus Apameæ huic vicinus & pene contiguus. Baris oppidum memoratur à Ptolomæo in hoc ipso tractu. Vides autem quam hæc Damasceni verba confirment ea quæ diximus, quamque idem ne monte Ararat senserit quod Sibyllinorum scriptor. Porro Armenos olim Phrygibus fuisse permixtos, cognoscas quoque ex Stephano, qui plus etiam dicit, cum sic scribit; Ἀρμένιοι τὸ μὲν γένος ὀκ φρυγίας, & τῇ φωνῇ τὰ πολλὰ φρυγίζουσι.

Plurimum quoque errant, cum reprehendunt quod Eurotam prope Dodonam oriri & cum Peneo conjungi dixerit scriptor iste Sibyllinorum. Eurotas enim non tantum est apud Laconas, sed & apud Thessalos, quem Homerus Titaresον appellat, ut Strabo & alii testantur. Illum vero cum Peneo conjungi, notum ex omnibus. Dodonæ vero vicinum facit etiam Homerus. Ex Stygia palude profluere canit quoque Lucanus, Lib. VI. Orcum ea de causa vocari, testatur Vibius Sequester.

Quod attinet acrostichidem, quæ occurrit Libro VIII, si quis illam assutam esse existimet, non adversabor; neque enim de ea intelligenda sunt Varronis & Ciceronis verba.

Quod passim Deus appelletur Σαβαὼθ, ne hoc quidem recte reprehenditur, cum constet adjectiva & epitheta in omnibus

omnibus linguis ſæpiſſime tranſire in appellativa. Verum hoc eſſe adparet ex gemmis & amuletis Ægyptiorum & Judæorum antiquis, in quibus vox hæc eadem uſurpata ratione paſſim conſpicitur.

Illa quæ de Cæſaribus referuntur, cum manifeſte conſtet non eſſe ejuſdem auctoris, ſed ſero demum à Chriſtianis Gnoſticis addita eſſe videantur; opus non eſt ut ad examen revocentur. Sufficiat hæc de iis dixiſſe Sibyllinis, quæ non ab aliis quam à Judæis, & quidem ante adventum Servatoris noſtri, potuere conſcribi. Additamenta enim quæ majorem horum librorum partem conſtituunt, ea à Chriſtianis eſſe conficta, libenter cum Celſo agnoſcimus. Clarum eſt itaque quantum fallantur ii, qui omnes iſtos Sibyllinos libros Adriani Cæſaris ætate, aut etiam poſtea, conſcriptos fuiſſe, auſi ſunt adfirmare. Erroris eos convincere poſſint, non complura tantum quæ attulimus loca, ſed & Joſephus, qui ex Sibyllinis citat locum de ædificatione turris Babylonicæ, quem ſiquis cum Sibyllæ conferat verbis, quæ extant haud longe ab initio libri tertii, facile agnoſcet, non aliunde, quam ex his ipſis eſſe depromptum Sibyllinis,

---

CAP. IX.

De altera Sibylla Erythræa, cujus carmina non à Judæis, ſed ab Ethnicis fuere conficta.

CUM ſupra monuerimus, fuiſſe & alteram Erythræam Sibyllam, quam ſub Alexandro magno floruiſſe Strabo teſtatur; jure aliquis exiſtimet, hujus eſſe verſus qui apud Phlegontem extant Trallianum Scripto de longævis. Scribit is Sibyllam hanc vixiſſe annis pene mille: id ſi ſit, ſtultum fuerit uni ætati adſcribere eam quæ tam multis vixerit ætatibus. Ipſa de ſe ſic ſcribit; Ἐγὼ

Εννέα μὲν γενεαῖς χαλεπὸν κατὰ γῆρας ἔχουσα,
Μαινομένη μὲν ἐνὶ θνητοῖς, καὶ ἄπιστα λέγουσα.

Versus hos sic esse concipiendos patet ex eo, quod Phlegon subjiciat Sibyllam hanc unicuique γενεᾷ attribuisse annos centum & decem. Palam itaq; vixisse annos pene mille, cum novem γενεαὶ conficiant annos nongentos & nonaginta. Infeliciter admodum hæc accepit & corrigere conatur vir magnus in Solinianis. Subjungit postea hæc Sibylla sese σαρκοτυπῆ γεγαυῖαν, id est carnibus afflictis & senio pene defluentibus propter peritiam in arte vaticinandi incursuram Apollinis invidiam, & ab eodem sagittis confossum iri. Antiqua enim lectio fuit, σαρκοτυπῆ διοϊστεύσας γεγαυῖαν, non σαρκοτύπη, quod inepte de sagitta accipias. Pergit dein eadem Sibylla, & dicit, animam suam per aera dilapsam pervasuram alites, & sic futurum ut sint aptæ auguriis. Insepultum vero corpus permixtum terræ producturum herbas, quas cum depascantur pecora, fore ut extispiciis apta habeant viscera. Similia his de Delphica Sibylla ex Serapione vel Sarapione prodiderunt Plutarchus & Clemens Alexandrinus, Strom. lib. 1.

In sequentibus dein versibus eadem Sibylla monet Romanos ut ludi instituantur seculares, & ut Jovi, Junoni & aliis diis sacra fiant in Campo Martio, qua Tibris est angustissimus, sic enim fore ut totius potiantur Italiæ. Sed vero cum tempore Alexandri Magni, non tanta Romanorum apud Græcos fuerit fama, nec ipsi Romani scriptores hujus vaticinii faciant mentionem, satis verisimiliter conficitur, versus hos non posse istius esse Sibyllæ, quæ Alexandri floruerit tempore. Imo ne illo quidem extitisse tempore existimo, qno Erythras missi à Romanis fuere legati. Si enim extitissent, utique & illos Romam deportassent. Sed vero mille isti versus qui Romam

allati

allati fuerunt, illi ab idiotis erant conſcripti, à Judæis nempe ut jam ante diximus. Siquis autem Græcos qui ſuperſunt Judæorum conſulat verſus, prorſus illos ſimiles fuiſſe inveniet, ac fuere veterum Chriſtianorum carmina, quæ ſi unum & alterum excipias, iſtiuſmodi ſunt, ut Scaliger ſibi in ſterquilinio verſari videretur quotieſcunque ad ea legenda ſe conferret. At vero illi verſus qui apud Phlegontem ſub Erythrææ nomine reperiuntur Sibyllæ, nihil minus quam idiotas habuere auctores cum & puri & elegantes ſint ſatis, ita ut non potuerint ab aliis quam à linguæ Græcæ peritis & ab ipſis, quorum continent ritus, conſcribi gentilibus. Non puto me male divinare, ſi ipſum Phlegontem horum auctorem fuiſſe dixero. Complura carmina & oracula ſuis ille inſeruit ſcriptis: ea ſiquis legat & cum his conferat, adeo gemella inveniet, ut vel ex ipſa ſimilitudine unum eundemque omnium ſtatim agnoſcat parentem. Nec immerito quod de Diogene Laertio, idem quoque de Phlegonte dixeris, illum oſtentandorum carminum gratia ſuos edidiſſe libros. Attamen quo minus elegantes iſti Phlegontis videantur verſus, non debent offendere maculæ aliquot quæ in illis occurrunt, quas commode abſterges ex Zoſimi hiſtor. Lib. II. Nam quo loco legitur ταντογόνοις μοίραις, reducendum πεντογόνοις. Parcæ enim à nonnullis, ut à Lycophrone, maris dictæ ſunt filiæ. Qui paulo poſt ſequitur inquinatiſſimus verſus ſic reformandus; αὖθι δὲ γαίῃ Πλυθομένη χοῖρος τε καὶ ὗς ἱροῖτο μέλαινα. Ambarvale enim intelligit Sacrificium, quod porca fecunda & gravida fieri conſueverat. Pro αἴσια δέχθω, melius apud Zoſimum ἴσα δεδέχθω. Denique poſtea ſcribe;

Οὐρανίδαις τάδε πάντα τεθησαυρισμένα κείσθω
Ὄφρα τε θηλυτέρησι καὶ ἀνδράσι ἑδριόωσιν.

CAP. X.

CAP. X.

Judæorum Alexandrinorum de rege venturo ſententia.

QUamvis in nonnullis non ſatis conveniat inter auctorem Sibyllinorum, qui ſub Cumææ, & alterum qui ſub Erythrææ nomine Sibyllæ ſua edidere oracula; in pluribus tamen eos conſpiraſſe ſatis ex iis quæ hactenus diximus, clare poteſt intelligi. Cum in multis aliis, tum quoque in tempore adventus magni regis unum ſenſiſſe videntur, cum illum affuturum dixerunt, ſi quando Ægypto potirentur Romani. Verſus Erythrææ Sibyllæ, quibus hoc continetur, ſupra adduximus. Similiter ſenſiſſe Cumæam colligo ex Lucano lib. 8.

Haud equidem immerito Cumææ carmine vatis
Cautum, ne Nili Peluſia tangeret ora
Heſperius miles.

Idem quoque habet Cicero in epiſtola ad Lentulum, nec non Dio & alii, cum ſcribunt magno futurum malo Reip. ſi cum imperio Romani Ægyptum adirent. Magnum iſtud malum ex iiſdem Sibyllinis Cicero interpretatur magnum regem, cujus vel ipſum nomen quam formidabile viſum fuerit Reip. amantibus ſatis declarat, cum jubet ut ſacerdotes iſti, qui ex præſcripto Sibyllæ regem Romanis minantur, *quidvis potius ex illis libris, quam regem proferant*; *quem Romæ poſthæc nec dii, nec homines eſſe patientur.* Licet vero veritatem hujus vaticinii exitus docuerit, mirum tamen poterat videri Romanis, quod cum Alexandrini & Ægyptii, alios ſalvos eſſe poſſe negarent, niſi regem admitterent; ipſa tamen regium impe-

rium & faſces conſulares & omnem pompam nollent admittere, regem videlicet expectantes pacificum & ſine pompa; & ſane cauſa ſuberat politica. Non Ciceronis tantum ætate, ſed & ſub Cæſaribus, quam libertatis fuerint amantes Alexandrini, vel Gallieni docet factum, qui cum Theodoto vellet imperium proconſulare decernere, à ſacerdotibus eſt prohibitus, dicentibus, *faſces conſulares ingredi Alexandriam non licere*, ut teſtatur Trebellius Pollio in Æmiliano. Quin & ad minas uſque progreſſi vetus addebant oraculum, tum demum liberam fore Ægyptum, ſi quando in eam venirent faſces & prætexta Romanorum. Sane conſtat Ægyptios excuſſiſſe jugum Romanum poſtquam Chriſtianiſmus invaluit, & Ægyptus ceſſit in prædam monachis. Quod paſſim alibi fieri ſolet, ut ubicunque hoc hominum genus pedem figit, ibi protinus ceſſent principum & magiſtratuum jura, id ipſum in profunda, id eſt, ſuperiori præcipue contigit Ægypto. Tanta ibi fuit monachorum copia, ut præter eos qui in eremo habitarent, ipſæ quoque urbes adeo iis fuerint repletæ, ut plures in illis monachi quam laici numerarentur. In ſola Oxyrynchi civitate præter decem monachorum millia, viginti ſacratarum virginum memorantur habitaſſe millia. Ipſam vero quod attinet Alexandriam, quandocunque ea propriis uti legibus permittebatur, & linguæ conſtaret libertas, in immenſum ſemper creſcebat; & adeo quidem ut temporibus Auguſti ipſam quoque Romam incolarum numero ſuperare crederetur. Diſplicebat quidem principibus Romanis pati in ſuo regno Rempublicam, diſplicebat Alexandrina ne ipſis quidem parcens principibus dicacitas; ſed compenſabant emolumenta, cum ſola Alexandria in tributis & vectigalibus tantundem conferret quam tota Gallia, præter annonam quæ ſingulis annis ad quadrimeſtre urbi ſufficeret Romanæ. Quam ægre iſtam linguæ impunitatem tulerit Trajanus, princeps alias optimus, ſatis colligas ex Panegyrico Plinii; *Percrebuerat anti-*

antiquitus urbem niſi opibus Ægyptiali ſuſtentarique non poſſe. Superbiebat ventoſa & inſolens natio, quod victorem quidem populum, paſceret tamen: quodque in ſuo flumine, in ſuis navibus, vel abundantia noſtra, vel fames eſſet. Cum vero ſterilitas interceſſiſſet & Ægyptii penuria laborarent, remiſit Trajanus annonam ſuam Ægyptiis. Ideo mox ſubjungit; *Refudimus Nilo ſuas copias, recepit frumenta quæ miſerat, deportataſque meſſes revexit. Diſcat igitur Ægyptus, credatque experimento, non alimenta ſe nobis, ſed tributa præſtare: ſciat ſe non eſſe populo Romano neceſſariam, & tamen ſerviat.* Libenter itaque credo Trajanum irritatum evertiſſe Alexandrinorum Remp. eripiendo huic jura & immunitates quibus fruebatur, neque enim ſine cauſa eſt, quod in Hieronymi legitur Chronico, Adrianum Alexandriam à Romanis ſubverſam publicis inſtauraſſe impenſis. Hic tamen, non minus quam Trajanus, ingenioſam iſtam Alexandrinorum oderat dicacitatem, ut ipſe in epiſtola ad Servianum ſatis declarat. Sed intelligebat vir prudens, perire reſpublicas, ſi ſermonis auferatur licentia, & pro nihilo haberi quæcunque in populos ſuos conferunt beneficia principes, ſi ſimul quoque in linguas velint exercere tyrannidem. Quamvis itaque iniquo animo, patiebatur tamen, & utilitate ſuadente concoquebat quæcunque & in ipſum & in Antinoum ab Alexandrinis ſpargerentur dicteria. Quam diverſa fuerit Antonini Caracallæ ratio, & quam immani cæde bellua iſta Auſonia, ut vere de eo pronunciarat oraculum, multarit Alexandrinos, ex hiſtoriis notum.

CAP. XI.

Tertulliani & Joſephi de Chriſto teſtimonia vindicantur.

MUlta quidem de Sibyllis earumque ſcriptis dicenda ſupereſſent, ſi animus eſſet ea quoque excutere, quæ paſſim de his memorantur: ſed cum nobis propoſitum fuerit non de iis agere Sibyllis aut Sibyllinis, quibus ritus & ceremoniæ continebantur gentilium, ſed illa ſolum pertexere, quæ propagandæ fidei Chriſtianæ plurimum profuere: ſufficiat oſtendiſſe, longe alius generis illa fuiſſe oracula, quæ Chriſti præceſſere natales, quæque Erythris & Cumis Aſiaticis Romam fuere allata; ac fuerint priora illa quæ una cum Capitolio conflagrarunt, aut item iſta quæ poſtmodum à gnoſticis conficta, aliiſque fuere aſſuta. Deſinant itaque hodierni Chriſtiani veteribus illudere Chriſtianis, eorumque ſugillare credulitatem. Si illos rideamus, merito quoque ipſos rideamus prophetas, è quorum libris pleraque hæc deprompta fuere oracula. Sed profecto nullos religio Chriſtiana infenſiores habet hoſtes, quam ipſos Chriſtianos, cum vix ullum apud antiquos de Chriſto aut vaticinium, aut teſtimonium invenias, quod non complures etiam doctiſſimi viri labefactare aut etiam penitus evertere fuerint conati. Argumento ſint non ea tantum quæ de Sibyllis & Sibyllinis ex Cicerone, Virgilio, Suetonio aliiſque attulimus loca, ſed & quotquot alibi de Chriſto occurrunt loca, adeo illa eludere & falſis interpretamentis enervare conati ſunt, ac ſi illa ipſa, quam profitentur, odio iis fuiſſet religio. Exemplo ſit locus Tertulliani in Apologetico cap. 5. *Tiberius ergo, cujus tempore nomen Chriſtianum in ſeculum introivit, adnuntiata ſibi ex Syria Paleſtina quæ illic veritatem*

tatem ipſius divinitatis revelaverat, detulit ad Senatum cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatus, quia non ipſe probaverat, reſpuit. Cæſar in ſententia manſit, comminatus periculum accuſatoribus Chriſtianorum. Tertullianei hujus loci mentio fit apud Euſebium in hiſtoria Eccleſiaſtica, ubi tamen non ſatis bene Græce redditur. Sed neque Georgius Syncellus, aut alii è Græcis, recte hæc intellexere. Ut autem hæc verba abſurditatis convincent, quid non comminiſcuntur, quid non moliuntur viri docti? Senſus attamen eſt manifeſtiſſimus. Dicit enim Tertullianus, cum miracula, quæ in Syria Palæſtina edidiſſet Chriſtus, nuntiata eſſent Tiberio, eum perſuaſum de hujus divinitate, voluiſſe Chriſtum divorum adſcribere numero, hancque voluntatem ſuam ad ſenatum detuliſſe cum prærogativa ſuffragii ſui. Senatum vero ſervili adulatione, eo quod ipſe Tiberius recuſaſſet Divus appellari, noluiſſe Chriſtum, exoticum numen, inter divos admittere. Tiberium nihilominus in ſententia, ut Chriſtus diis accenſeretur, perſtitiſſe; & comminatum eſſe periculum accuſatoribus Chriſtianorum.

Ecquid vero illuſtrius Joſephi Hebræi de Chriſto teſtimonio? Vix tamen aliquem inter noſtri ſeculi invenias Chriſtianos, cui id non ſpurium & adulterinum videatur. Diximus de eo nonnulla alibi: ut vero omnis prorſus tollatur dubitatio, aliud quoque afferam firmiſſimum argumentum, unde liquido cognoſcatur, etiamſi verba illa de Chriſto apud Joſephum non exſtarent, illum tamen de ſervatore noſtro ita ſenſiſſe, ut eum verum Meſſiam eſſe crediderit. Hoc ſic conficio. Joſephus, ubi de Daniele agit Propheta, non ita de illo ſentit, quemadmodum vulgo Judæi, qui negant illum fuiſſe prophetam, adeoque vel nullo vel certe ultimo inter prophetas collocandum ſentiunt loco: ſed vero ille diſertis verbis affirmat, Danielem fuiſſe prophetam ſummum, & cæteris majorem, utpote qui non modo res futuras, ſed & tempus quando futuræ

futuræ eſſent, prædixerit. Ut autem cognoſcamus quam bene ſibi Joſephus conſtet, colligamus tempus ab anno Xerxis XXIV, quo Nehemiam Hieroſolyma veniſſe ſcribit, & à quo fluere incipiunt Danielis hebdomades, & porro ipſius Joſephi ſequamur calculum. Id ſi fiat, inveniemus hebdomadas illas, ſive annos CCCCXC. exacte terminari illo ipſo tempore & anno, quo ſecundum ſupputationem ejus natus fuit ſervator noſter. Eant nunc veritatis & Chriſtianæ religionis hoſtes, & ſi poſſint oſtendant, qua fieri ratione potuerit, ut ita de Daniele & hebdomadis ejus locutus fuerit Joſephus, ſi non ut ſcripſit, ita quoque de Servatore noſtro ſenſerit. Et profecto ſi aliter ſenſiſſet, an non omnium Judæorum fuiſſet imprudentiſſimus, ita de Daniele & ejus hebdomadis ſcribendo? Callidi itaque fuere qui poſt everſa Hieroſolyma floruere Judæi, qui cum viderent, fieri non poſſe ut Meſſiæ non tranſierit tempus, ſi vera ſint Danielis oracula, non dubitarunt ex albo illum expungere prophetarum. Hoc vero ut aliqua cum ratione facere viderentur, quid non in ſuum & S. literarum damnum commenti ſunt miſeri? Primo quidem diverſos Prophetiæ excogitarunt gradus, illos quidem omnes futiles, & inter ſe plurimum diſcrepantes, ut videre eſt in directore dubitantium Maimonidæ & in præfatione Davidis Kimchii ad Pſalmos; in hoc tamen convenientes, Danielem non ab ipſo Deo ſuas accepiſſe prophetias, ſed tantum per vocem traducem & echonem quandam, ſeu ut ipſi volunt, filiam vocis fuiſſe locutum. Alterum quo Danielem non fuiſſe prophetam obtineant, argumentum exinde petunt, quod cum fuerit è tribu Juda & ſtirpe regia Davidica, nec ſacerdos, nec propheta eſſe potuerit. Sed cum hac ratione viderent & ipſum quoque Davidem è prophetarum excludi numero, vide quanta ipſos inceſſerit cæcitas & amentia, ut odio hebdomadarum jam à temporibus Aquilæ, non Danielem modo, ſed & Davidem è prophetarum expunxerint choro, ſimulque & ſenſus & ordinem ſacrorum inverterint librorum. CAP.

CAP. XII.

De ordine & diviſione Sacrorum librorum quem Judæi perverterunt.

OMnes Veteris inſtrumenti libros, vel abſolute Legis, vel Legis & prophetarum, vel etiam latiori appellatione Legis, Prophetarum & Pſalmorum comprehenſos fuiſſe nominibus, Servatoris noſtri conſtat teſtimonio. Poſterior diviſio exſtat quoque apud Joſephum primo contra Appionem libro, cum certioris fidei, qui tempore Artaxerxis deſierunt ſcribi, enumerans libros, omnes eos partitur in Legem, Propheticos, & Hymnos vitæ continentes præcepta. Idem pleroſque in viginti duo volumina, pro literarum numero Hebraicarum, diviſos fuiſſe affirmat; quinque nempe Moyſis, tredecim propheticos, & quatuor hymnorum ſeu monitorum. Sed vero ſi ſigillatim omnes enumeremus, cum non viginti duo tantum, ſed triginta octo in codice Hebræo inveniantur libri, quærendum qua ratione à veteribus Hebræis in viginti duo illi diviſi fuerint volumina. Si librum Ruth, Canticum canticorum, & ſingulos minores examinemus prophetas, nunquam efficias ut illi juſtum conſtituant volumen. Contra vero ſi Pſalmi uno deſcribantur volumine, mole ſua laborabunt & difficulter evolventur. Conſtat autem vel ex ipſis ſacris literis, ut alias gentes, ita quoque veteres Hebræos, non in codicibus, quod ſero demum factum, ſed in voluminibus & continuatis pellibus libros ſuos deſcripſiſſe. Hanc itaque ſi teneas rationem, commode niſi fallor ſacræ ſcripturæ libri ſic dividentur. Libri Moyſis quinque conſtituunt volumina. Tredecim propheticos ſeu hiſtoricos libros, ſi quidem & hiſtorici propheticis accenſendi,

cenſendi, utpote à prophetis conſcripti, ſic habebis. Joſua, Judices & Ruth, unum conſtituunt volumen. Quatuor regum & duo Paralipomenon ſex conſtituunt volumina. Eſdras, Nehemias & Eſther, unum faciunt volumen. Eſaias, Jeremias, Ezechiel & Daniel ſinguli ſingula conficiunt volumina: quibus ſi addas duodecim prophetas minores, qui omnes unum conſtituunt volumen, habetis tredecim volumina propheticorum librorum, quibus omnia continentur quæ à populo Judaico geſta ſunt à morte Moyſis uſque ad tempora Artaxerxis, ut docet Joſephus. Superſunt hymni & libri qui vitæ continent præcepta, veluti Job, Pſalmi, Proverbia, Eccleſiaſtes & Canticum canticorum, qui ſic diſtinguendi ut Job unum, Pſalmi duo, reliqua vera Solomonis ſcripta quartum faciant volumen. Hac itaque ratione, ut maxime veriſimile, in viginti duo volumina diviſa fuere omnia receptioris ſcripturæ monumenta, quibus merito creditur. Nam quamvis & alii qui in ſacris literis ſequuntur libri, qui poſt tempore Artaxerxis ſcripti ſunt, quoſque inepte apocryphos vocant, magni faciendi ſint; illos tamen non paris cum prioribus eſſe autoritatis, propter minus certam & legitimam prophetarum ſucceſſionem, ſcribit Joſephus. Et hæc quidem partitio obtinuit uſque ad tempora Aquilæ futiliſſimi interpretis. Hujus demum ætate innotuit Chriſtianis nequiſſima & ineptiſſima ſacrorum librorum diviſio, quam odio ut diximus hebdomadarum Danielis commenti ſunt Judæi vel ipſe Aquila, pervertendo ſenſus & ordinem ſcripturæ, inducendo novam diſtributionem, Legis videlicet, prophetarum, & hagiographorum, & rejiciendo Danielem extremo pene inter hagiographos loco. Miror hanc fraudem non ſuboluiſſe Chriſtianis, ſed profecto à nullis illi libentius, quam à Judæis decipi ſe patiuntur. Si quæras quid ſint ἀγιόγραφα, nemo facile dixerit, cum ſit ineptum vocabulum, & contra naturam linguæ Græcæ formatum, æque ac ἱερόγραφα Plena futilibus iſtiuſmodi vocabulis

cabulis fuit Aquilæ verſio. Judæi chetubim ſeu libellos ſimpliciter vocant. Et tamen reperiuntur qui Judaicam hanc Sacrorum librorum partitionem ſequuntur & probant; dicentes etiam Rabbinos fateri ſpiritus ſancti afflatu hos eſſe conſcriptos. Sed ſi Rabbinos conſulas, ridebunt, utpote gnaros quid per ſpiritum ſanctum intelligant.

CAP. XIII.

Vindicantur nonnulla LXX *interpretum loca, malè à quibuſdam reprehenſa.*

SEd profecto noſtri ſeculi hominum in eludendis argumentis & teſtimoniis, quæ ad roborandam Chriſtianæ religionis veritatem præcipue faciunt, non hic ſubſiſtunt conatus: ſiquis ſacra evolvant volumina vix in toto veteri Teſtamento aliquod de Chriſto inveniet vaticinium, quod in hodiernis verſionibus, non ita perverſum & depravatum legatur, ut ſincera & manifeſta aliqua prophetia nuſquam adpareat, imo ſæpe ne ſenſus quidem ullus, aut certe tam multiplex, ut vel ipſa expoſitionum varietas, cuicunque bonæ menti non ſcrupulum tantum, ſed & indignationem incutere, meritoque vel ipſam quoque ſuſpectam poſſit reddere veritatem. Ne nobiliſſimum quidem Jacobi morientis oraculum intactum & immaculatum reliquerunt, nec illud Biliami prorſus huic geminum, quod extat Numer. Cap. XXIV, quodque tam putidis & ineptis inquinarunt interpretamentis, ut vel quantumvis moroſus lector vix riſum contineat. Et tamen hic ipſe eſt locus quem ſignat Evangeliſta, cum dicit; *Ex Ægypto vocavi filium meum*, ne quis ſomniet ex Oſeæ Cap. XI. V. I. verba ea eſſe depromta. Quod ſi ſublatis apicibus & incruſtatura Rabbinica, excutiamus vocabula Hebræa, apparebit ilico veritas, & inveniemus illum ipſum quem LXX interpretes expreſſere ſenſum.

Quin & eo nonnulli progreſſi ſunt audaciæ, ſeu impudentiæ potius, ut ipſum quoque Chriſtum & Apoſtolos accuſarint, quod verba ſacrorum librorum, non eo ſenſu quo accipiuntur in Hebræo fonte, ſed quemadmodum in corrupta, ut loquuntur, LXX interpretum legebantur verſione, in uſus ſuos converterint. Quis ferat theologos affirmantes Apoſtolum quod in depravato aliquo codice Pſalmo XXXIX reperiſſet σῶμα δὲ κατηρτίσω μοι, belliſſimam inde prophetiam concinnaſſe? Quid demum eſt impoſtura ſi hæc non ſit? Non deſunt qui iſtiuſmodi fraudes pias & officioſas vocent, ſimulque altum clament vocem Hebræam non corpus, ſed aures notare. Quis vero ipſis revelavit, idem vocabulum ſi aliis animetur vocalibus, plures non habuiſſe ſignificationes, & non etiam hoc notaſſe, quod LXX poſuere interpretes? Opus non eſt ut אזנים aures interpreteris, ſi ſtatuamus primam literam non eſſe radicalem, ſed ſervilem, ut vulgo loquuntur: id ſi feceris, jam commode ea vox derivari poſſit à radice זן. Aut ſi id non ſit, quis vadem ſe ſiſtat, non immutatum à Judæis fuiſſe hunc locum, vel ob hoc ipſum, quod nobiliſſimum de Chriſto contineat vaticinium? Iterum inſtant, fieri non poſſe, cum Judæi religioſiſſimi ſacrorum librorum ſemper fuerint cuſtodes, & mori malint, quam vel unam violare literam. Audio quidem Chriſtianos ſic affirmantes, ſed vero ſi quis ipſos conſulas Judæos, longe illi aliter loquuntur. Fatentur illi ſe multa ſacrarum literarum loca expunxiſſe, fatentur antiquos Rabbinos, utilitate ſuadente, & verba & ſenſus immutaſſe, dicentes, *Pereat litera, & ſanctificetur nomen Dei benedicti.* Nihil à me hic fingi cognoſcet ſi quis Thalmudicos adeat libros, in quibus pluribus locis hæc legas; *Bonum eſt ut evellatur litera de lege, & ut ſanctificetur nomen Domini.* Quamvis infinita propemodum ſint loca, quæ aut immutata, aut etiam omnino eraſa olim ab iſtis Judæorum fuere magiſtris, unum adduxiſſe ſufficiat, quem manife-

manifestum sit illos expunxisse, vel quod eum non intelligerent, vel quod verbis Christi lucem afferret, vel potius ne in persolvendo gentibus tributo legis suæ prævaricatores esse viderentur. Locus is occurrit Deut. Cap. XXIII, ubi postquam jussit legislator, ne qua inter filias Israelis meretrix, aut inter filios Israelis inveniatur exoletus, addit, οὐκ ἔστω πλεσφόρος ἀπὸ θυγατέρων Ἰσραὴλ. συδὲ πλισκόμενος ἀπὸ υἱῶν Ἰσραήλ. *Ne sit quæ vectigal solvat inter filias Israelis, aut exoletus qui tributum pendat inter filios Israelis.* Olim aliter sumus interpretati, nunc ampliato judicio veram damus expositionem. Non prohibet simpliciter scorta & meritorios pueros, sed ne quidem illos permittit, etiamsi publicum fornicationis solvant vectigal. Causam mox subjungit, quod merces meretricis & dominum catulastri, non debeat inferri in domum Domini, cum utrumque abominetur Deus. Οὐ προσοίσεις μίσθωμα πόρνης, οὐδὲ ἄλλαγμα κυνὸς εἰς τὸν οἶκον κυρίου τοῦ Θεοῦ σου πρὸς πᾶσαν εὐχήν, ὅτι βδέλυγμα κυρίῳ τῷ Θεῷ σου ἀμφότερα. Τελισκόμενον vero hic accipi pro puero qui pudorem suum prostituit, quamvis vel ipse doceat sensus, docent quoque Hesychius & alii grammatici, cum πεπλεσμένον & πλισκόμενον pro eodem accipiunt, & ἀνδρόγυνον vel μεμιασμένον interpretantur. Idem itaque jubet hic Moyses, quod jussisse Alexandrum Severum testis est Lampridius in ejus vita; *Lenonum vectigal & meretricum & exoletorum in sacrum ærarium inferri vetuit: sed sumtibus publicis ad instaurationem theatri, circi, amphitheatri, stadii deputavit.* Et hic quidem est verus sensus, & vera interpretatio loci, qui merito visus est difficilis, non antiquis tantum Patribus, sed & illis quoque, qui eos præcessere Judæis, utpote quorum complures ita eum acceperint, ut quod Moyses scripsit de utriusque sexus scortis vectigal templo è turpi corporis quæstu conferentibus, ipsi de omnibus Judæis intelligendum esse crediderint, ac si legislator voluisset, nullum omnino inter Judæos publicanum esse debere, nec ullum gentibus

persolvendum esse tributum. Avide hunc locum arripuere Theudas, Judas Gaulonites, Simon Galilæus & complures alii, qui non hellenistæ, sed γνήσιοι volebant videri Judæi in suscitanda contra Græcos & Romanos plebe, ac si Deus vetuisset gentem suam aliis esse vectigalem gentibus. Recte itaque in veteri versione Latina, æquali aut etiam antiquiore temporibus Apostolicis, locus hic ita redditus fuit; *Non erit vectigal pendens ex filiis Israel*, ut non dubitandum sit, quin locus hic jam olim è Deuteronomio sublatus fuerit à Judæis. Quod siquis dubitet, illum vel ipsius Christi possit convincere testimonium. Si enim id non sit, frustra quæsivissent Pharisæi præsentibus Herodianis, *an licitum sit Cæsari censum persolvere.* Ut nempe vel apud plebem, vel apud Romanos causam eum accusandi haberent, hanc ipsi quæstionem proposuere. Si negasset vectigal solvendum esse, veluti reum & morte multandum tradidissent Romanis. Si vero annuisset censui esse satisfaciendum, jam veluti contradicentem legi, ab ipsis Judæis lapidibus obruendum censuissent. Caute itaque & prudenter viso numismate respondet, *Da Cæsari quod est Cæsaris, & Deo quod est Dei.*

Verum non hic tantum, sed & quotquot fere alii in sacris literis à Christo citati occurrunt loci, vel absunt omnino, vel ita depravati & mutili leguntur, ut vel nullum omnino, vel certe admodum à veritate alienum ex iis elicias sensum. Matthæi XV, & Marci VII ut ostendat Christus Pharisæos pluris facere traditiones & mandata hominum, quam præcepta Dei, hæc adducit Esaiæ verba ex Cap. XXIX, Μάτην δὲ σέβονταί με διδάσκοντες διδασκαλίας ἐνταλματα ἀνθρώπων, Sic quoque habent LXX interpretes. Si Hæbræum consulas codicem, non invenias ibi frustra vocem, qui tamen sensum constituit, sed ותהו, cum vera lectio sit ותהו, quod pluribus in locis iidem interpretes reddidere μάτην vel εἰς κενόν. Quamvis non opus sit quidquam mutare, cum notum sit joth sæpe poni pro vau. Si hodiernas quotquot sunt consulas versiones

versiones, nihil quod ad rem faciat, nihil nisi scopas invenies dissolutas, meritoque Christus ludibrio fuisset Pharisæis si ex illis Esaiæ verbis, prout hodie leguntur, istum quem intendit, conatus fuisset exsculpere sensum.

Resipiscant igitur nostri seculi homines, & si LXX. interpretibus, si denique Apostolis & Christo non credunt, credant saltem illis quibus blandiuntur Judæis, cæcis quidem ductoribus, in hoc tamen recte sentientibus, quod unanimiter agnoscant periisse linguam Hebræam, nihilque præter mutas superesse literas, nescirique vim & potestatem vocabulorum. Si quid Hebraicæ linguæ superest, totum hoc LXX interpretibus acceptum feramus necesse est. Tollantnr illi, simul quoque tollitur qualiscunque linguæ Hebraicæ superest scientia. Absque illis ne unum quidem verbum recte interpretari possimus, & quod sacris veteris testamenti libris fruamur, totum hoc illorum est beneficium. Si quis dubitet, adeat ille quæcunque hodierna lexica & versiones ab ipsis Judæis, seu ad mentem Judæorum factas, nullas omnino bonas inveniet expositiones, quæ non sint à LXX desumtæ interpretibus. Ubicunque vero in his sensus aut vocabulum aliquod occurrat, quod non intelligant, hærent miseri, frustraque se torquent & mirifica ipsi sibi fingunt somnia, idque in minimis sæpe facillimisque. Proverbiorum Cap. XXV. V. 20. legitur in versione LXX interpretum, Ὥσπερ ὄξος ἕλκει ἀσύμφορον καὶ καπνὸς ὄμμασιν, οὕτως προσπεσὸν πάθος ἐν σώματι καρδίαν λυπεῖ. Quod locum hunc nullo sensu sic redditum legissent, *quemadmodum acetum trahit inutile* &c. Mirum in modum in LXX debacchantur interpretes, & נתר non id quod habent isti interpretes, sed quod iidem alio posuere loco, nitrum nempe, reducendum esse contendunt. Sed quid quæso sibi vult *quemadmodum acetum nitro inutile?* Quis ænigma hoc expediat? Quis puer non videat ἕλκει esse dativum ab ἕλκος ulcus? sic nempe vertendum fuerat; *Quemadmodum acetum*

tum ulceri inutile & fumus oculis, ſic incidens in corpus noxa, cor contriſtat. Ut enim Græcis φλύκταινα, ita quoque Hebræis & Chaldæis נחר à fluore & ebullitione nominatur. Ne hoc tantum loco, ſed & ubicunque non intellexere LXX interpretes, ibi videre eſt hodiernos interpretes meras promere ineptias, & quod mirere, quanto minus illos intelligunt, tanto magis illis iraſcuntur. Integra poſſim adducere capita, præſertim ex obſcurioribus ſacræ ſcripturæ libris, qualis eſt Eccleſiaſtes, Jobus, Oſeas, & alii, in quibus ne unicus quidem occurrat verſiculus, qui à noſtri ſeculi interpretibus recte acceptus & redditus fuerit. Ubicunque deſeruntur LXX interpretes, ipſa quoque ibi deſeritur veritas. Magni facio Bochartum, cum propter inſignem viri eruditionem, tum quoque eo præcipue nomine, quod multum his tribuat interpretibus, & ſicubi in ſcriptis ab iis diſſentiat, pudenter & modeſte id faciat. Attamen ſiquis omnia ejus evolvat opera, ne unum quidem inveniet locum ubi recte ab eo antiqui illi reprehenſi fuerint interpretes. Nuſquam eos acrius ſugillat, quam in iſtis locis ubi יענה בנות reddiderunt Sirenes, ac ſi hoc de fabuloſis iſtis, quas memorant poetæ, accipiendum ſit tribus ſororibus. Sed ſane, ut ſemper & ubique, ita quoque hoc loco optime verterunt interpretes. Σειρῆνες enim non ſunt id quod vulgo putant, ſed eſt genus veſparum ſeu crabronum vivens in eremo, cujus etiam meminit Ariſtoteles cum inter novem genera animalium mellificantium recenſet tria μοναδικὰ quæ non faciant examina; σειρῆνας nempe minores, qui ſunt fuſci coloris, alios σειρῆνας majores & nigri coloris, & tertios præterea κομβυλίους, qui ſunt omnium maximi. Si quis loca Sacræ conferat ſcripturæ, videbit omnia quam exactiſſime convenire cum hac expoſitione. Sævum enim & infeſtum eſſe hoc animal, utpote quod ipſas quoque animas in vulnere ponat, notum eſt omnibus. Cantum vero lugubrem, ſeu θρῆνον & κοπετὸν, ut loquitur

quitur propheta, & is quoque notus. Itaque Euſtathius ad Φ. Οδυσ, iſtos Sirenas Dicit ἀμυδρόν τι κλαυθμυρίζειν.

CAP. XIV.

Quomodo diſputandum cum Judæis, & qua præcipue ratione ſint convincendi.

INfinitum ſuſcipiamus laborem, nec brevi hoc ſcripto abſolvendum, ſi ſingula perſequi velimus: hoc ſolum dixiſſe ſufficiet, ſi in expoſitione ſacrarum literarum Judæis hoſtibus Chriſtianæ fidei adhærere velimus, perire & in nihilum recidere pleraque ea quæ adventum Servatoris noſtri præceſſere vaticinia, adeoque ipſum Chriſtianiſmum. Quamdiu una verſio & unus tantum ſacrorum librorum fuit ſenſus, non infinita tantum gentium multitudo, ſed & maxima Judæorum pars ad fidem compellebantur Chriſtianam: at vero noſtro hoc tempore, ubi Judæis permixti vivunt Chriſtiani, vel nullos vel pauciſſimos Judæos invenias, qui ad Chriſtianorum tranſeunt caſtra, cum plurimi paſſim Chriſtiani, vel clam, vel etiam palam Judæorum fiant Proſelyti. Commentitia Rabbinorum grammatica iſtud jamdudum effecit, ut cum tam multiplex factus ſit ſacrorum literarum ſenſus, ut alia expoſitio aliam deſtruat; ſoli tamen exulent ſenſus quos LXX poſuere interpretes, quoſque & Chriſti & Apoſtolorum confirmavit & ſanxit auctoritas. De Judæis minus mirandum, rem ſuam faciunt cum ſuis adhærent commentis & incautos circumveniunt Chriſtianos, eoſque ſub diſciplina habent ſibi vectigales. Sed vero quis non obſtupeſcat tam multos Chriſtianos, quorum erat officium Judaica iſta evertere commenta, obſtinatius tamen illa tueri, quam ipſi faciant Rabbini? Solo hoc Judæi telo imprudentes confi-

ciunt:

ciunt Chriſtianos, & ſola Rabbinorum ſufficit Grammatica ut de Evangelio & cruce Chriſti triumphare ſibi videantur. Haud ſemel interfui noſtrorum cum Judæis de religione conflictibus, qui tamen parum proſpere Chriſtianis ceſſere. In altercationibus nempe cum Chriſtianis eo ſemper utuntur artificio Judæi, ut unum tantum diſputationi poni poſtulent fundamentum, quod utrique admittant, vetus ſcilicet teſtamentum. Hoc ſi conceſſerit Chriſtianus, væ illi. Cum enim in tota vita unum hoc agant Judæorum magiſtri, ut ſeſe exerceant in præceptis & legibus Grammaticæ à Rabbinis ſtabilitæ, totamque Hebraicæ linguæ cognitionem in ea collocent, admittentibus id ipſum Chriſtianis; fieri aliter non poteſt, quin totus controverſiæ ſtatus ad Grammaticam devolvatur, quæſtioque fiat utri in lingua Hebraica ſint doctiores, Rabbini videlicet, an Chriſtiani eorum diſcipuli. At vero ſi quis cum Judæis congredi velit, longe aliam neceſſe eſt inſiſtat viam, nec permittendum ut vetus teſtamentum ſeparetur à Novo, utpote ſine quo ne vetus quidem poſſit ſubſiſtere. Oſtendendum iniquum & ſtultum eſſe aliquod adſtruere & ſtabilire fundamentum, cui ne ipſi quidem credant, utpote qui Chriſtum prædicto multis Prophetis tempore advenisſe negent. Chriſtianos vero recte vetus admittere teſtamentum, utpote credentes Novum teſtamentum eſſe demonſtrationem & complementum veteris. Hanc diſputandi rationem tenuere primi Chriſtiani, qui nunquam perpeſſi ſunt Novum à Vetere avelli Teſtamentum. Eccleſiaſtica regula & fundamentum fidei ſemper fuit veteris & novi Teſtamenti concentus, & utriuſque ſcriptorum conſonantia. Quicunque hac conditione cum Judæis ſe committit, certa illum manet victoria, efficietque ut aut diſcedant aut obmuteſcant Judæi, cum ſublato Novo tollatur quoq; Veteris teſtamenti auctoritas, & nulla ſit cauſa ut huic credamus, ſi nec dum advenerit Meſſias, & necdum impleta ſint Prophetarum Vaticinia.

Quod

Quod ſi negent Judæi illum veteris & novi Teſtamenti concentum & nihilominus fiat quæſtio de intellectu linguæ Hebrææ & expoſitione S. Scripturæ, imprimis cavendum à ſpuria iſta & commentitia quam diximus hodierna Grammatica, qua multos credulos circumveniunt Chriſtianos, cavendum quoque ab omnibus verſionibus & explicationibus factis ad placitum Rabbinorum, & firmiter adhærendum verſioni LXX. interpretum & iis expoſitionibus quæ receptæ fuerunt ab omnibus Judæis qui Chriſti & Apoſtolorum tempora præceſſere: hoc ſi fiat, & tum ſuccumbent Judæi.

Ut autem veritas LXX. interpretum, & Rabbinicarum intelligatur futilitas verſionum, commode ipſi ſubveniunt Rabbini. Cum enim quotquot ſunt inter eos prudentiores & majoris auctoritatis, fateantur periiſſe Hebraicam linguam, & laceras tantum ſupereſſe reliquias, neſciri ſignificationem vocabulorum, codicemque Hebræum factum eſſe mutum & nemini intelligendum, eo quod una cum lingua perierint quoque vocales, ideoque eo redacti ſint miſeri Judæi, ut ne legere quidem ſciant Hebraice: agnoſcentibus inquam hæc omnia omnibus fere antiquis & melioris notæ Rabbinis; quis non ipſis merito credat cum palam profitentur, vere in ſe completum eſſe, id quod fore prædixerat Eſaias, ut omnis ſcientia & intellectus Oraculorum Dei ab ipſis tollatur & tranſeat ad gentes, nec ceſſaturam hanc linguæ Hebrææ inſcitiam, ut ipſi addunt, donec veniat doctor Meſſias, qui obſignatum reſerat librum, & priſtinum linguæ reſtituat intellectum. An Meſſias inſtauraturus ſit uſum linguæ Hebrææ ad ſalutem non admodum neceſſariæ, per me licet ut credant Judæi; interim eatenus taceant & contineant ſe ab interpretandis ſacris libris, quod propria confeſſione non intelligunt, donec iſte adveniat Meſſias.

Sed Judæis hac in parte quidam obloquuntur Chriſtiani, dicentes nec periiſſe, nec perituram linguam Hebræam, ſed

vel invitis ipſis Judæis ſemper & fuiſſe & futuram ipſis vernaculam. Verum, nequid gravius dicam, ſic ſentientes ipſis Judæis & Rabbinis deridendos propino.

Iterum, inſtant, ſi non à Judæis, unde & à quibus Hebræi codicis petenda ſit interpretatio? Sæpius jam reſpondi: ſed cum eadem toties moveatur quæſtio, opportet quoque, ut ſæpius eadem repetam. Libens itaque concedo à Judæis petendam eſſe veram ſacrarum literarum interpretationem; ſed non ab iſtis Judæis qui Chriſtianæ fidei ſunt hoſtes, quique ſponte ſua fatentur ſe neſcire Hebraice; ſed ab illis, qui florente & ſuperſtite etiamnum Hebraica lingua ſacros verterunt libros, quique pro veris & ſinceris habiti fuere interpretibus ab omnibus qui Chriſti tempora præceſſere Judæis, ab ipſo denique Chriſto & Apoſtolis, & ab omnibus Chriſtianis Eccleſiis. Sed inquiunt non ſupereſſe LXX interpretum verſionem, & illam quæ vulgo exſtat, ineptam eſſe & futilem. Ita quidem Chriſtiani nonnulli, ipſi hac in parte futiles & inepti, ſed non ſic Chriſtus & Apoſtoli, non denique Judæi quantumvis huic verſioni & Chriſtianis inimici; quapropter ad illos me converto.

Omnes itaque Judæos, qui Chriſti præceſſere tempora, agnoviſſe hanc ſolam verſionem velut legitimam, & non tantum fideliter redditam, ſed & divinitus inſpiratam, teſtantur quotquot fuere vetuſtiores Judæi. Uſque ad tempora Aquilæ nulla alia lecta fuit Scriptura in omnibus Judæorum Synagogis, præter illam LXX. interpretum; perierat quippe intellectus linguæ Hebrææ, utpote quam ne ipſi quidem callerent Judæorum Rabbini. Diu demum, poſt everſa Hieroſolyma, cum viderent ſe hujus verſionis veritate premi à Chriſtianis, auſi ſunt dicere, interpretes illos aliqua non ſatis bene vertiſſe. Nullus tamen repertus fuit Judæus, qui negaret illam eſſe veram & genuinam LXX. interpretum verſionem. Non Origenis, non denique Heronymi ætate quiſquam fuit qui hos non agnoſceret interpretes;

interpretes; & ſane ridiculi fuiſſent, & mille teſtibus convincendi, ſi tam manifeſtæ veritati contradixiſſent. Sed & poſtquam Aquilæ prodiit verſio, remanſit nihilominus apud Judæos uſus antiquæ tranſlationis; cum enim obſcuriſſima & diſtortiſſima eſſet Aquilæ verſio, merito multis diſplicebat, utpote qui verborum quidem aliquam, nullam autem ſenſus habuiſſe rationem videretur. Magis itaque placuit quæ poſtmodum prodiit Theodotionis tranſlatio, quæ quod proxime ad LXX. interpretum accideret verſionem, ideo & clarior & commodior multis viſa fuit Judæis. Attamen & illum æque ac Aquilam peccaſſe ubicunque à vetere receſſit verſione, licet in promtu ſit oſtendere, conſulto præteribimus; nunc enim ut argumentum perſequamur, iſtud monuiſſe ſufficit, verſionem, quæ ab omnibus ſemper agnita fuit Chriſtianis pro vera & genuina LXX. interpretum verſione; illam ipſam quoque lectam in Synagogis & approbatam ab omnibus antiquis fuiſſe Judæis.

Supereſt itaque quæſtio, rectiuſne S. Scripturas interpretati ſint illi Judæi, qui florente & ſuperſtite etiamnum Hebræa vixerunt lingua, an vero iſti, qui vel olim, vel hoc noſtro ſeculo novas excuderunt verſiones, poſtquam nempe vel ipſis fatentibus Judæis periit lingua Hebræa. Veritatis inquiunt nonnulli habendam eſſe rationem. Sed vero ecqua certior Chriſtianis habenda ſit veritas, atque illa, quam & Chriſti & Apoſtolorum ſanxit auctoritas? Judæos vero quod attinet, an non etiam illi tutius credant veteribus Judæis linguæ Hebraicæ gnaris, quam Rabbinis recentioribus ſponte ſua agnoſcentibus ſe non intelligere linguam Hebræam? Inſtant tamen, non reperiri in Hebræis codicibus id quod LXX. poſſuere interpretes. Recte quidem, ſi apices & novitia Rabbinorum ſequamur puncta. Sed vero puncta iſta vocalia tollantur, tollantur quoque immutationes quæ Chriſtianæ religionis factæ ſunt odio, & illico veritas & convenientia verſionis LXX. interpretum

cum Hebræis apparebit codicibus. Quod ſi ne ſic quidem in quibuſdam locis illa compareat convenientia, non LXX. interpretum errori, ſed ſuæ tribuant imperitiæ, & alterutrum agnoſcant, vel Hebræos codices, vel Græcam à ſe non intelligi verſionem.

Denuo hic obſtrepunt Chriſtiani quidam, ſed revera ipſis Rabbiniores Rabbinis, & negant puncta vocalia tollenda, nec eſſe novitium Maſſoretharum commentum, ſed vel ab Eſdra vel à Moyſe tradita, vel etiam ipſi Deo coæterna eſſe contendunt. Eo nempe ſtuporis vel inſaniæ quidam progreſſi ſunt, ut Deum ritu humano Hebraice loqui exiſtiment. Cum vero lingua Hebræa abſque punctis vocalibus muta ipſis videatur, eſſe putant neceſſe, ut puncta iſta fuerint ab æterno, alias enim fore ut Deus aliquando fuerit mutus. Nec tamen de nihilo conficta eſt hæc inſania, habet enim & illa quo ſe tuatur. Iſti quippe punctorum patroni cum videant, ſi Eſdras aut Moyſes ſtatuantur punctorum auctores, fore nihilominus ut ante eos lingua Hebræa fuerit muta; ut hanc abſurditatem effugiant, aliam longe abſurdiorem ſunt commenti, linguam Hebræam æternam & Deo vernaculam ſtatuentes; quandoquidem vero, ut ipſi ſentiunt, lingua hæc ſine punctis ſubſiſtere nequeat, rem ſe confeciſſe exiſtimant, ſi & punctis quoque vocalibus æternitatem adſcribant.

Hæc eſt merces, hic denique fructus quem ex viridariis, & ut ipſi loquuntur, ex Judæorum paradiſis imprudentes referunt Chriſtiani. Miſeros eos merito dixeris, ipſi tamen ſe beatos prædicant, & infelices vocant, ſi qui non iiſdem paſcantur bellariis. Tum demum pingueſcere eos videas, cum veterum Chriſtianorum derident ſimplicitatem, utpote qui abſque ulla Hebræi ſermonis cognitione, auſi ſunt nihilominus ſacras interpretari Scripturas. Sciant nihilominus inter omnes antiquos Chriſtianos neminem fuiſſe, cui non majus Hebraicæ veritatis affulſerit lumen, quam omnibus ſimul noſtri ſeculi Rabbinis & ſemirabbinis Chriſtianis.

Christianis. Illi quippe si non verborum Hebraicorum, attamen sensuum, qui beneficio LXX. interpretum ex Hebræis abunde redundant verbis, fuere intelligentissimi. At vero Rabbinos, cum non admittant LXX. interpretes, illos ne verba nec sensus Scripturæ percipere, nec percepturos antequam veniat iste frustra expectandus Rabbinicus Messias, vel propria illorum constat confessione. Sed quid veteres commemoro Christianos, cur non & in Christum & Apostolos despuunt, velut linguæ Hebrææ & sensuum S. Scripturæ ignaros, utpote qui eadem verba & eosdem quos LXX. interpretes ubique expressere sensus? Si Christi & Apostolorum eos teneat reverentia, unde tanta intemperies in illos qui illorum insistunt vestigiis? Sed inquiunt Judæi secessere ab hac versione. Recte quidem sed ideo recessere quod viderent Christianos beneficio hujus versionis prævalere: antiquiores enim Judæi totis quadringentis & pluribus annis pertinacissime huic versioni adhæserunt, nec quisquam repertus est qui vel mutire contra LXX. ausus fuerit interpretationem. Quod si perstitissent in hac sententia, vel nulli, vel certe quam pauciſſimi in mundo supereſſent Judæi. Adeo enim Evangeliis & Apostolicis scriptis concinit hæc versio, ut quisquis hanc admittat, idem etiam necesse sit admittat Evangelia. Si qui itaque versionem hanc respuunt Christiani, superest ut ad Judæos transeant; aut si nolint, æquum est, ut quod Christus & Apostoli, idem quoque ipsi de hac sentiant versione.

Iterum tamen, qui Judæis favent, instant & dicunt; posteriores curas semper esse meliores prioribus, ideoque versiones hodiernas antiquæ versioni esse præferendas. Sic nempe & olim Judæi faventes versioni Aquilæ & traditionibus Rabbinorum, dicere solebant οἱ σοφοὶ δὶς τρῶσιν, ut habet Hieronymus quæstione decima ad. Algasiam, quamvis ille locus vulgo non recte concipiatur. Sed vero an secundæ expositiones & δὶς τρώσεις semper sint præferendæ.

ferendæ prioribus, opus non eſt noſtrum interponere judicium, cum ipſe Chriſtus ſatis ſentientibus reſponderit, cujus teſtimonio ſi non Judæi, qui Talmudicas & Rabbinicas expoſitiones & traditiones verbis & ſenſibus Scripturæ præferunt, at certe acquieſcere debent Chriſtiani. Aquilam vero non vertiſſe ſed pervertiſſe potius Scripturas, nec amore veritatis, ſed odio Chriſtianorum impiam iſtam condidiſſe verſionem, vel ipſa quæ etiamnum ſuperſunt ſatis teſtantur fragmenta. Recentiores vero Judæos, quibus ignota eſt, non Aquilæ tantum, & aliorum veterum, ſed & ipſa quoque LXX. interpretum verſio, cum nullas certas ſequantur expoſitiones, utpote qui ex iiſdem verbis ſeptuaginta & ſæpe plures diſcrepantes eliciunt ſenſus; quamvis vel ipſa expoſitionum diverſitas erroris poſſit convincere; attamen cum omnes iſtæ interpretationes uno Grammaticæ à Rabbinis ſtabilitæ fulciantur fundamento, ut & hujus quoque cognoſcatur futilitas, velim legantur ea, quæ cum alii viri docti, tum præcipue Morinus, de hoc ſcripſere argumento, quæ ſiquis non iniquo evolvat animo, facile reprehendet, ne ipſos quidem Judæos tam magnifice de ſua ſentire Grammatica, quam multi hoc tempore faciant Chriſtiani. Si quis vel ipſa excutiat principia, ſtatim intelliget, quam etiam in his turpiter ſe dederint. Cum enim poteſtas ſingularum literarum ex antiquo Græcorum ſatis adpareat alphabeto, quod ex Phœnicio deſumtum eſſe plerique ſatentur, & res ipſa clamat; quam ſtultum & ridiculum eſt credere, ſi auferantur puncta, jam quoque neceſſe eſſe, ut vocalibus veteres caruerint Hebræi? An ergo mentitus eſt Joſephus, cum nomen Dei tetragrammaton ex vocalibus conſtare ſcripſit? Sed & an Samaritæ, quod punctis careant, carent quoque vocalibus? Perſuadeant hoc ſi poſſint Samaritis.

Licet progreſſu temporum, ut apud alias gentes, ita quoque apud Hebræos immutata ſit literarum poteſtas, in

in principio tamen quinque vocalium loco fuiſſe apud eos literas יהוא clarius eſt quam ut quiſquam dubitare poſſit. Exceptis Vau & Joth, quæ aliquando vocales, alias vero ſunt conſonæ, reliquæ ſemper ſunt vocales. Quod autem יהוא quæ olim erant A, E, O, & ipſæ quoque in hodiernis Rabbinorum Grammaticis accenſeantur conſonantibus, id omnem ſuperat barbariem. Quomodocunq; enim literæ iſtæ pronuncientur, ecquis unquam efficere poſſit, ut non ſint vocales?

Quod vero poteſtatem ſingularum attinet literarum, minime dubitandum, quin ut forma & ordine, ita quoque poteſtate in prima ſui origine convenerint cum veteribus literis Atticis, ſeu Jonicis, ita ut ט cum Θ, ח cum Τ, ג cum K, ק cum Q Latino, ס cum Ξ exacte convenirent. Abſurdum enim maxime fuerit olim in Syriaco ſeu Hebræo Alphabeto, tres iſtas literas ס, ץ & ש unum eundemque expreſſiſſe ſibilum, ut jam olim quoque perſuaſus à Judæis magiſtris arbitrabatur Hieronymus. Sed neque de eo dubitandum, cum alphabetum Hebræum, æque ac Græcum vel Latinum, omnibus tam vocalibus quam conſonis fuerit inſtructiſſimum, quin non tantum à pueris recens diſcentibus, ſed & ab omnibus integræ voces cum omnibus ſuis primitus fuerint expreſſæ vocalibus, ac diu demum poſtea compendiariam iſtam placuiſſe & introductam fuiſſe ſcripturam, qualis nunc apud Hebræos, Samaritas, Syros, Arabes, & pleraſque orientis uſurpatur gentes.

Iſtum vero ſcribendi morem, quando nempe compendii gratia complures omittuntur vocales, non eſt ut quiſquam miretur, cum etiam inter Europæos, barbaris præſertim temporibus, fuerit uſitatiſſimus, & etiamnum, ut diximus, apud pleroſque fere Aſiaticos obtineat populos, qui hoc nomine rident Europæos, quod legere neſciant, niſi omnes exprimantur literæ. Utri rectius faciant, non jam quæritur: illud conſtat, ut hæc Orientalium ſcribendi ratio

ratio compendioſior eſt altera, ita ad conſervationem linguarum obeſſe quam plurimum. Clarum hujus rei exemplum in Græco & Romano habemus ſermone, qui per tot ſecula integri propemodum ſuperſunt, cum nullam in Oriente invenias gentem, quæ antiqui ſermonis conſervarit ſibi peritiam, ut vel hinc cognoſcas, quam damnoſum ſit rerum ſectari compendia, veluti quæ omnium artium & ſcientiarum oblivionem inducant. Nec linguæ Hebrææ, quantumvis ſancta habeatur, melior fuit conditio, utpote quam plerique doctiores Rabbini periiſſe unanimiter fateantur. Non autem recens eſt hæc jactura; diu etiam antequam Chriſtus naſceretur in deſuetudinem abierat. Joſephi vero ætate, quam rari eſſent qui eam linguam callerent, vel exinde cognoſcitur, quod ipſe adfirmet, vix duos aut tres inter omnes fuiſſe Judæos, qui Hebraicas Scripturas poſſent interpretari. Quod jam illo tempore plurimum receſſiſſet ea lingua à ſtatu ſuo priſtino, non in verborum tantum & phraſium intellectu difficultas occurrebat maxima, ſed & propter vocalium defectum, eo miſeri Judæi redacti erant inſcitiæ, ut ne legere quidem ſcirent, niſi Hebraica verba Græcis expreſſa literis adſcriberentur, quibus nempe vocalium reſarciretut defectus. Hunc ſcribendi morem à Judæis acceptum, in tetraplis & hexaplis ſecutus eſt Origenes. Hebraicis & Samaritici literis opponens eadem Hebraica & Samaritica, Græcis expreſſa literis, additis tantum vocalibus ut commode legi poſſent. Viguit autem hæc ratio per annos fere mille, nempe uſque ad tempus Maſoretharum, qui ante ſexcentos fere annos neglecta hac duplici ſcriptura, ſecuti Syros & Arabes, apices & puncta invexere, quibus vocalium loco uterentur. Adeo autem recentia eſſe puncta & apices iſtos, vel ex eo ſatis eſt manifeſtum, quod nullus liber, nullumve appareat monumentum, quod quidem quingentis annis ſit vetuſtius, in quo iſti compareant. Non Origenes, non Hieronymus, ſed neque antiquiores Thalmu-

Thalmudiſtæ, uſquam eorum faciunt mentionem. Et ſane quam ſtultus fuiſſet Origenis & Judæorum, quos ſecutus eſt labor, in deſcribendo codice Hebræo Græcis literis, ſi iſtis temporibus puncta exſtitiſſent vocalia.

Arabes autem primos fuiſſe qui commenti ſint apices & puncta vocalia, quæ imitati ſint poſtmodum Syri, à quibus demum accepere Judæi in Syria & Ægypto viventes, licet ſagaciores fateantur Judæi, clarius tamen id ipſum evincunt punctorum & accentuum nomina, quæ pura puta ſunt Arabica. Sed ut omnis tollatur dubitatio, & ut ſciamus, quiſnam punctorum vocalium primus fuerit inventor, adſcribam locum Leonis Africani ex libro de doctis Arabibus, quem ex Bibliotheca Florentina deſcriptum penes me habeo. Sic itaque ille in vita Elchalil, proſodiæ & Grammaticæ apud Arabes inventoris; *Similiter etiam Elchalil fuit, qui vocales & literarum puncta invenit. Nam antiquitus Arabes non utebantur tam punctis quam vocalibus. At quia tempore hujus Elchalil Arabes Coranum corrumpere & depravare cœperunt, ideo vocales & puncta maximæ quidem utilitatis & commodi invenit & appoſuit.*

CAP. XV.

De Literis Samariticis.

JAM vero quod vetuſtos Hebraicos attinet characteres, quibus ante tempora Eſdræ & captivitatem Babylonicam ſacri fuere deſcripti libri, qui illos ſimiles Samariticis fuiſſe negant, illis præter bonam mentem aliud quod precer non habeo. Præter teſtimonia & à nobis & crebro ab aliis allata, addantur quoque teſtes omni exceptione majores Joſephus & Ariſtæus. Ubi enim de interpretandis

dis ſacris in Græcum ſermonem agunt libris, ſcribunt, difficultatem non levem in hoc occurrere negotio; quamvis enim Judæi vulgo credantur iiſdem literis & eadem qua alii Syri uti dialecto, iſtud tamen aliter ſe habere, cum & literas & dialectum habeant peculiarem: utpote cum literis utantur Chaldaicis, & dialectus propter vetuſtatem ſcriptorum, plurimum à Syriaca illius temporis diſcreparet. Verba Ariſtæi & Joſephi ſi quis perpendat, idem etiam agnoſcet, ut puto aliter illa exponi & accipi non poſſe. Quod autem exiſtimant Judæi Eſdram poſt captivitatem odio Samaritarum Syriacas Aſſyriis permutaſſe literas, non eſt admodum veriſimile; nimium enim multis rebus bonis & ipſa quoque luce carendum fuiſſet miſeris Hebræis, ſi nihil cum Samaritis commune habere voluiſſent. Quin potius ſuadente utilitate & communi omnium Judæorum conſenſu facta fuit hæc literarum immutatio, non tantum facilioris gratia commercii cum Aſſyriis, ſub quorum vivebant imperio, ſed & quod Abrahamum antequam in Syriam migraret, iiſdem uſum fuiſſe literis, haberent ſibi perſuaſiſſimum. Quis non miretur hoc demum ſeculo, contra tot teſtes, contra tam manifeſtam veritatem, miſeros quoſdam inſurgere homines, & duplex comminiſci alphabetum, alterum ſacris, alterum profanis tantum deſtinatum uſibus. Hoc tamen ut efficiant, producunt neſcio quos nummos Rabbinicis inſcriptos literis, ſed quos adulterinos eſſe quivis vel paulo peritior facile deprehendat. Præcipue oſtentantur ab illis Sicli quidam, quorum unus Moyſis, alter Salomonis continent effigiem. Sed an non vident miſeri ſe ineptire, cum iſtiuſmodi nummos genuinos eſſe pertendunt? Adeone præcepti divini obliti fuere veteres Judæi, ut humana facie nummos ſuos inſcripſerint? Quod ſi quis quærat quales fuerint ſicli vel nummi, qui poſt captivitatem Babylonicam in uſu fuere, habeat is hoc ſibi reſponſum; vel nullos omnino novos fuiſſe ſignatos, quod

quod Chaldaicam primo, deinceps vero Græcam & Romanam coacti fuerint admittere monetam, ſiquidem jus monetæ cudendæ tranſit ſemper ad gentes victrices; vel ſi etiam poſt captivitatem Babylonicam ſignandæ pecuniæ Judæis remanſerit poteſtas, libens quoque & ſiclos Chaldaicis inſcriptos admittam literis. Nullos tamen hactenus vidi quos genuinos eſſe audeant ſpondere antiquarii. Ponamus tamen reperiri, quomodo quæſo conficient, illos ante captivitatem Babylonicam eſſe conflatos, quemadmodum iſti alii Samaritici ſeu potius Syriacis inſcripti literis, qui paſſim occurrunt, quique ſoli certiſſimam oſtendunt antiquitatem? Hoc tamen illis erat oſtendendum, ſi inficetum iſtud ſuum de ſacro & profano alphabeto commentum aliqua veline ratione ſtabilire. Sed & quomodo evincent iſtos ſolos ſacris eſſe ſignatos literis, alios autem profanis? Cum in Chaldea viventes Chaldaicis, inter Syros vero Syriacis ſeu Cananæis uſi ſint literis veteres Hebræi: dicant cauſam ſi poſſint, quare alter character ſanctior ſit altero? Sed video quid ſibi velint miſeri, libenter nempe obtineant ut libri ſacri, nec Chaldaicis, nec Syriacis ſint deſcripti literis, neque enim deum uti characteribus gentium, ſed peculiares & ſolis uſitatas cœlitibus Moyſi tradidiſſe literas. Verum à talibus libens memet ipſe abſtineo. Reſtat ut & Evangelia Græcis eſſe negent conſcripta literis.

CAP. XVI.

De Judæorum Grammatica, & de Judæis Helleniſtis.

HÆC de literis, punctis & apicibus dicta ſufficiant. Supereſt ut de tota Grammatica nonnihil dicamus. Quamvis in ea excolenda jam per tot ſecula Rabbinorum præcipui omnem ſuam poſuerint & pene exhauſerint diligentiam: ut tamen cognoſcamus, quam futilis & nullius pene pretii totus iſte ſit labor, ſufficit mutas & laceras linguæ Hebraicæ expendiſſe reliquias. Si Græcæ & Latinæ linguæ eadem quæ Hebraicæ eſſet conditio, nec quidquam præter Homeri & Virgilii ſcripta vocalibus deſtituta ad manus noſtras perveniſſent, cogitemus quæſo quam bella ſit futura, ea, quæ ex illorum operibus conſtrui poſſit Grammatica. Aliquanto melius ſucceſſiſſet iſte labor, ſi quo tempore ſuam iſti magiſtri condidere Grammaticam, conſulere potuiſſent tetrapla & hexapla Origenis; unde, ſi non veram, at ſaltem meliorem & genuinam magis haurire potuiſſent Hebraicæ linguæ pronunciationem: nunc vero quam pravas & perverſas pleriſque vocabulis aptarint vocales, vel è propriis ſatis colligitur nominibus, quæ in Evangeliis, & in veterum Judæorum paſſim occurrunt monumentis, ut neceſſe ſit, aut ineptiſſime & nullo judicio hodierna eſſe appoſita puncta, aut Chriſtum & Apoſtolos, omneſque adeo veteres Judæos prophetarum & proavorum ignoraſſe nomina. Nec in propriis tantum nominibus, ſed & in cæteris vocibus, quantum à veteri ſcribendi ratione recentiores receſſerint Judæi, manifeſtum ſatis fiet, ſi quis in patrum ſcriptis reliquias conſulat Hebraiſmi. Minime itaque probo factum Eraſmi & aliorum qui opera Hieronymi ediderunt, quod invitis antiquis libris veterem

veterem expunxerint lectionem, depromtam ex tetraplis & hexaplis Origenis, Hebraicasque reposuerint voces, animatas vocalibus Masorethicis, plurimumque ab antiquis discrepantes.

Hæc cum ita sese habeant, quis non libenter vel ipsis credat Judæis, agnoscentibus aut nullam, aut certe minimam Hebraicæ linguæ sese habere cognitionem, cum perierint vocales, & temere susceptus sit totus ille qui circa commentitia puncta versatur labor. Et sane qui fieri aliter possit cum vetustiores Judæi nullas sibi construxerint Grammaticas, aut ullam instaurandæ vel conservandæ linguæ curam habuerint, ac ne Hieronymi quidem ætate ullus, præter sacros, liber Hebraicus exstiterit? Græce omnes scripsere, adeoque ipsæ quoque δευτερώσεις seu traditiones, Græco ab illis concinnatæ fuere sermone. Primus liber Hebraice conscriptus fuit Misna, idque tempore Justiniani, aut non multum postea, cujus rei causam fuisse existimo, quod cum hujus Imperatoris edicto cautum esset ne Judæi in synagogis legerent δευτερώσεις, seu librum traditionum, illi ut edictum eluderent, scriptum hoc in Hebræum converterint sermonem. Misnam subsecutum est Thalmud Babylonicum, quod incœptum anno Christi DCLV, absolutum vero anno DCCXXVI. Sed & Hierosolymitanum Thalmud eodem tempore scriptum fuisse videtur, secutaque est mox ingens Rabbinorum turba, qui non cessavere exinde usque ad hoc nostrum seculum, Rabbinico, id est spurio Hebræo sermone infinita condere volumina. Cum itaque ab eo tempore, ex quo Judæi Græcorum & Romanorum subiere jugum, usque ad tempora Justiniani nullus liber Hebraice fuerit scriptus, aut siqui scripti fuerint, illi omnino perierint, quod tantundem est ac si non scripti fuissent, clarum satis fit, quid de hodiernis sentiendum sit Grammaticis, utpote quæ nullo alio, nisi oralium, ut loquuntur, traditionum, nitantur fundamento. Nam certe puncta seu vocales non fuisse adscriptas, sed per oralem tantum

tum traditionem propagatas, fatentur antiquiores Rabbini, & ipſe quoque maximæ inter Judæos auctoritatis liber, qui dicitur Cozri. At vero iidem Rabbini fatentur quoque omnes fere orales periiſſe traditiones, periiſſe vocales, & codicem Hebræum factum eſſe mutum. Iſtæc vero quis componat? Sed vero ſic ſentientes Judæos increpant Chriſtiani nonnulli, & vel ipſis invitis, veram linguæ Hebraicæ pronuntiationem Rabbinorum linguis & faucibus deum alligaſſe contendunt. Verum ſic ſentientes ipſorum Rabbinorum curæ & cuſtodiæ libens committo.

Quod autem putant demum poſt inventionem punctorum primas prodiiſſe Grammaticas, id omnino aliter ſe habere exiſtimo. Eſt enim veriſimile Grammaticæ conſtructionem præceſſiſſe tempus quo Judæi Hebraice ſcribere cœperunt. Quamvis autem ante Miſna nullus liber alicujus autoritatis in lucem prodierit, apud Alexandrinos tamen & Tiberienſes erant ſcholæ linguæ Hebraicæ, & multi Judæi Hebraice loquebantur. Quod utique illo tempore, poſtquam nempe perierat lingua Hebræa, ſine aliqua Grammaticæ ſcientia fieri vix potuit. Nulla quidem tum erant puncta, non tamen deerant vocales, illæ quippe ſeorſim notabantur, in iis paginis, ubi Hebræa Græcis exprimebantur literis. Vetuſtioribus vero Judæis nullas fuiſſe Grammaticas, omnino probabile eſt. Si quæ enim exſtitiſſent, felicius proculdubio verſati fuiſſent in explicandis & eruendis etymis nominum propriorum, nec conati fuiſſent exponere ipſas quoque vocabulorum terminationes, quod factum fuiſſe paſſim videre eſt in libellis Hieronymi de explicatione nominum Hebraicorum. A Judæis concinnatos fuiſſe iſtos libellos extra dubium eſt. In multis etiamnum Bibliothecis Græce ſuperſunt, & conſtat Origenem eos ſuis inſeruiſſe operibus. In Lexico necdum edito, quod Cyrillo tribuitur, ad calcem ſubjunguntur iſtæ Hebraicæ expoſitiones. Attamen Lexicon iſtud non eſt Cyrilli, ſed Origenis, ſeu potius Judæorum, à quibus Origenes

genes accepit. In veteri meo libro, eraſo Origenis nomine, Cyrillo adſcribitur, quod ipſum quoque in aliis factum fuiſſe obſervavimus exemplaribus. Et ſane neſcio quo fato contigerit ut tam multa Origenis opera, præpoſtero tanti viri odio, attributa ſint Cyrillo, homini neque doctrina, neque probitate, alteri comparando. Porro Hieronymus ſcriptum hoc de nominibus Hebraicis Philoni adſignat. Id ſi verum ſit, non tamen exinde ſequitur, illum Hebraice neſciviſſe, niſi exiſtimemus Varronem & Platonem, quod & ipſi non feliciter etyma explicuerint, ideo etiam Latine & Græce ignoraſſe. Quamdiu linguæ florent, non ſolent Grammaticæ fieri. Licet vero Philonis ſeculo ceſſaret linguæ Hebrææ uſus, major tamen illius, quam noſtra ætate linguæ hujus ſupererat cognitio. Sed neſcio, qua ratione fiat, ut complures viri docti Philonem & Joſephum & pleroſque Judæos, qui Græce loquerentur aut ſcriberent, Helleniſtas vocent; vocem eam accipientes de iis qui Græce quidem, minus autem Hebraice ſcirent. Plurimum certe falluntur qui ſic exiſtimant. Ελληνίζειν non tantum eſt Græcorum linguam imitari, ſed & partes Græcorum ſequi, ut Ρωμαΐζειν, Περσίζειν, Μηδίζειν, Αντιγονίζειν imitari mores & ritus, aut ſtare à partibus Romanorum, Perſarum, Medorum, & Antigoni, & illis quomodocunque favere. Conſtat enim Judæos bifariam fuiſſe diviſos. Qui inſtitutis & ritibus favebant patriis, illi inique ferebant jugum Græcorum & Romanorum, & inviti vectigal pendebant, parati etiam arma pro publica ſumere libertate, neminemque alienigenam dominum agnoſcere. Tales fuere Judas Gaulonita, Theudas, & illi qui zelotæ dicebantur, compluresque alii, qui veri & γνήσιοι volebant videri Judæi, nec volebant Cæſarem vocare dominum, ſoli deo hanc appellationem reſervantes. At vero illi qui pacatiore eſſent animo, & ſine cunctatione vectigal pendebant, monerentque jugum à deo impoſitum æquo eſſe ferendum animo, iſti dicebantur Græcorum partes ſequi, ac propterea Helleniſtæ

ac

ac φιλέλληνες vocabantur. Tales quoque erant præcipue publicani & quicunque alii Græcis aut Romanis quocunque loco aut officio inſervirent magiſtratibus. Peccant itaque Hieronymus & qui illum ſequuntur viri docti, cum reprehendunt Tertullianum, quod in libro de Pudicitia ſcripſerit, nullos inter Judæos fuiſſe publicanos, perſuaſus loco Deuteronomii de quo ante egimus; *Non erit vectigal pendens in filiis Iſrael.* quamvis enim & Matthæus Apoſtolus, & Zacchæus, & alii publicani fuerint, id tamen nihil ad rem facit: cum enim Judæi Romanis eſſent obnoxii, utique à Romanis conſtituebantur publicani; & pro illis non autem pro Judæis colligebant vectigal, ut mirum non ſit exoſos aliis Judæis fuiſſe publicanos, ac gentilibus & peccatoribus annumeratos. Licet autem magna illorum pars Græci aut Romani eſſe potuerint, verum tamen eſt id quod Tertullianus ſubjungit, aliquos quoque è Judæis potuiſſe eſſe publicanos, uti nempe illi quos diximus. Ut Alexandriæ, ita quoque Hieroſolymis poteſtas exigendi tributa & vectigalia, redimebatur à plus offerentibus: nec ſemper erant Græci aut Romani qui colligebant vectigal, ſed ut nunc quoque fieri ſolet, ex illis ipſis quæ vectigal pendebant, eligebantur gentibus. Plurimum itaque peccant, qui putant Helleniſtas dictos, qui Græce loquerentur, & Hebraice neſcirent. Nam certe hac ratione ſequeretur Chriſtum Hebraicæ linguæ fuiſſe imperitum, utpote qui fuerit Helleniſta cum jubet, ut Cæſari detur id quod eſt Cæſaris. In Actibus Apoſtolorum ubi fit mentio de viduis Helleniſtarum, id intelligendum de illis, quarum mariti in officio ſeu ſtipendio fuiſſent Romanorum. Ut vero non eadem erat ratio eorum qui ſinceri volebant videri Hebræi, ita quoque diverſi erant gradus Helleniſmi & Helleniſtarum. Qui pro veris habebantur Hebræis, illi abſtinebant ab omni gentilium ſodalitio, & militiam detrectabant, quod ſibi licitum non eſſe crederent Sabbato iter facere, arma geſtare, & iiſdem quibus gentiles cibis uti.

Horum

Horum aliquot exempla habemus in decretis apud Joſephum, Lib. XIV. in quibus immunitas à militia Judæis conceditur. Alii militabant quidem cum Græcis & Romanis, ſed tamen quoad fieri poterat, mores & ritus patrios obſervabant, quorum aliquot exempla habemus apud eundem Joſephum & alios. Supremus vero & præcipuus gradus Helleniſmi erat, quando neglectis patriis ritibus, toti in mores & religionem gentilium concederent. Tales erant illi, qui apud Joſephum, lib. II. cap. VI. Antiochum accedunt, paratos ſe eſſe dicentes relictis patriis inſtitutis & legibus, religionem regis & Græcanicos ſequi mores, adducentes ſibi præputia, ut Græcis viderentur ſimiles. Iſtiuſmodi in lib. XII. Machab. cap. IV. dicuntur ſub petaſum cogi, ὑπὸ πέταυον ἄγεσθαι, quia petaſus Macedonicus imponebatur iis qui militiæ nomen darent. Talis vero habitus ſummus erat gradus Helleniſmi, unde ibidem dicitur ἀκμὴ Ἑλληνισμοῦ. Fuſius aliquando hæc ſumus proſecuti, nequis impoſterum Helleniſtis Judæis peculiarem linguam aut dialectum affingat. Recte itaque vir magnus in duobus quos de lingua Helleniſtica conſcripſit libris, linguam eam explodit, peccat tamen in eo, quod Helleniſmum ad ſolum referat ſermonem.

Licet infinita ſint ea quæ de futilitate hodiernæ Grammaticæ Hebraeæ & commentitiis Judæorum punctis dici poſſint, hæc ipſa tamen, quantumvis pauca, ſufficere poſſint, ut tandem aliquando reſipiſcant Chriſtiani, & ſuam agnoſcant imprudentiam, cum acrius & animoſius in adſtruenda utriuſque commenti veritate, quam ipſimet depugnent Judæi. Ad probandam punctorum antiquitatem, ne ipſo quidem dubitant abuti Chriſti teſtimonio, cum dicit unum jota aut unum apicem non perituſum. Oſtendant viri boni κεραίαν notare punctum. Credant Galeno, credant omnibus Græcis Grammaticis, cum affirmant vocem hanc ſignificare virgulam rectam aut partem literæ, ut cum dicunt A duas habere κεραίας, N tres, M vero

quatuor, & ſic in cæteris. Itaque cum Servator noſter unum jota vel unum nominat apicem, id non de Jod Hebræo, quod minimum duas, aut Samaritico, quod complures continet apices, ſed de Græcorum intelligendum eſt jotâ. Verum neſcio qua ratione factum ſit, ut hoc noſtro ſeculo plerique fere docti Chriſtum & Apoſtolos Hebraice ſemper locutos fuiſſe exiſtiment, non autem Græce, quia nempe ſanctior Hebræa ipſis videatur lingua, ac ſi in ſono & criſpatione linguæ ſita ſit ſermonis ſanctimonia, ſanctiuſque locuti ſint olim Cananæi, quorum linguam amplexi ſunt veteres Hebræi, quam vel Paulus vel Evangeliſtæ. Nullis profecto vel argumentis vel teſtimoniis nititur hæc opinio. Ubicunque jam ab Alexandri Magni temporibus Græci fuere domini, ibi etiam Græca prævaluit lingua, & abſurdum eſt unam excipere Judæam, cum & Joſephus & Machabæorum libri ſatis teſtentur, quam prompti ſub Græcis regibus fuerint Judæi, in aſſciſcendis Græcorum moribus, adeo ut major pars Græci quam Judæi videri maluerint. Linguam Græcam, id eſt, linguam dominantium, etiam illi qui Græcos oderant, ſi intelligi & rebus ſuis vellent conſulere, addiſcere cogebantur. Ut in Ægypto, Aſia, & reliqua Syria; ita quoque in Judæa, nulla præter Græcam audiebatur lingua, in urbibus præſertim oppidiſque. Soli illi qui rure & in pagis verſabantur, aut denique vilis populus dialecto utebantur vernacula, id eſt, Syriaca, & illa quoque ſeculorum lapſu plurimum immutata & facta ſemigræca. Ne in Hieroſolymitanis quidem Synagogis alia præter Græcam perſonabat lingua. Quod ſi Hebræa prælegeretur Scriptura, accedebat interpretatio Græca, à ſolis quippe doctis intelligebatur vetus Hebraica lingua. Quamobrem ſi tuto cum Judæis congredi velimus, abroganda ſunt puncta, quæ & Elias Levita & ſagaciores Judæi novitia eſſe fatentur, & explodenda ſpuria iſta & ab antiqua plurimum diſcrepans Grammatica, quod eo facilius licebit, quod & ipſi,

quoque

quòque Judæorum magistri admittant, nullam aut admodum exiguam ante Rabbi Jehudam habuisse se Grammaticæ scientiam. Relinquendæ denique omnes novæ versiones, & firmiter adhærendum versioni LXX. virorum, quam & Christus & Apostoli & omnes antiqui agnovere Judæi, illi nobis exemplo sint, ut & nos quoque illam amplectamur. Quod si versionem hanc non admittant Judæi, ostendendum eos nullum habere fidei & religionis suæ fundamentum, si necdum advenerit Messias: & si quis sub hoc nomine comparuerit, illum non posse esse verum Messiam, utpote cujus tempus jam præterierit: at vero Christianos, qui huic versioni acquieverunt, & non hodiernis, sed antiquis credunt Judæis, & Christum prædicto à Daniele & omnibus Prophetis tempore advenisse statuunt, illos optimum & firmissimum religionis suæ habere argumentum. Auferantur modo Judæis novitia puncta & novitia Grammatica, inermes erunt, & nulli homines ad veritatem facilius poterunt compelli. Solis his futilibus armis confisi, incautos eludunt Christianos, quorum est culpa ut hoc tempore aliqui in mundo reperiantur Judæi. Qua enim ratione Jacobi morientis vaticinium & Danielis hebdomades constare possint, si necdum advenerit Christus? Quid demum de tota fiet sacra Scriptura, si permittamus, ut hoc demum tempore, ex novitiis punctis, & spuria Rabbinorum Grammatica, novæ interpretationes, & novi & inauditi producantur sensus ad placitum Judæorum, religionis nostræ hostium, & vel propria confessione ignarorum linguæ Hebrææ? Esto ut in his expositionibus aliqua occurrant, quæ, permittentibus & simul ridentibus Judæis, Christiani sibi favere existiment; sed quis gentilis aut denique Christianus acquiescat interpretationibus factis postquam impletæ sunt prophetiæ, & quando verba aptantur eventibus? Si rectam insistere viam & adversarios obruere velimus, relinquendæ sunt prophetiæ eo sensu, quo acceptæ fuerunt antequam res implerentur.

plerentur. Hoc ſi fiat, ne quidem quod hiſcant ſupererit Judæis. Deſinant itaque tandem aliquando incauti & imprudentes Chriſtiani futilibus iſtis Rabbinorum commentis majorem quam ipſi Judæi fidem tribuere, & ſciant totum iſtum laborem, qui punctis & accentibus Hebraicis impenditur, æque vanum eſſe, ac ſit ſtudium eorum, qui circa hodiernos Græcæ linguæ verſantur accentus, imo etiam vanius; licet enim utrique hac ratione corrumpunt & pervertant veterem pronuntiationem, minor tamen eſt culpa eorum, qui in lingua Græca id ſibi licitum eſſe exiſtimant. Cum enim omnes in hac ſuperſint vocales, error tantum fit in ſyllabarum quantitate. At vero cum in lingua Hebræa perierint etam vocales, non tantum in Proſodia, ſed & in literis, & in ſenſibus peccatur.

A D

AD
JUDÆOS.

AD vos nunc me converto, O Judæi, gens olim Deo dilecta ſupra omnes gentes; nunc non Deo tantum, ſed & omnibus pene inviſa hominibus. Iniquas veſtras fortunas & calamitates, non vos tantum, ſed & illi ipſi qui vos oderunt, deplorant. Sexdecim jam effluxere ſecula, ex quo in perpetuo exilio & captivitate diſperſi vivitis, nec finis aut requies veſtræ erit futura miſeriæ, antequam veniat ille, quem fruſtra hactenus expectatis, Meſſias. Obſtare veſtra dicitis peccata, quo minus ille palam ſe vobis videndum exhibeat; & natum quidem prædicto à Prophetis tempore ante complura ſecula, ſed clam ſe tenere, & inter leproſos ad portas urbis Romæ, aut etiam alibi, ignotum deliteſcere: verum tantane oculos veſtros inceſſit cæcitas, ut quem omnes gentes & totus pene agnovit mundus, vos ſoli non videatis? Reducite velum quo veſtri obnubilantur oculi, & nolite Meſſiam alibi quam in Evangeliis quærere. Iis ſi credideritis, jam ſtatim rex & dux veſter aderit, jam reædificabitur Urbs Sancta, & totus mundus fiet Hieroſolyma; jam quoque omnia quæ prædixere Prophetæ contingent: denique qui nunc eſtis hominum contemtiſſimi, iidem forſan primi & præcipui eritis mortalium. Sed expectatis adventum Meſſiæ glorioſum; atqui regnum ejus glorioſum non videbitis, niſi prius credideritis in iſtud quod præceſſit regnum, quando nempe in ſtatu humilitatis mortalibus adparuit. Nolite ergo veſtram & ſimul noſtram morari felicitatem, & efficere ut veſtra diutius culpa differatur regnum Dei & Chriſti, idemque

pacis

pacis & juſtitiæ regnum, quod ut adveniat precibus noſtris utrique quotidie flagitamus. Quapropter incubantem jamdudum pectoribus veſtris excutite veternum, & ſi velitis tam glorioſi regni eſſe participes, neglectis aliis à quibus jam toties fruſtrati & decepti eſtis, verum agnoſcite Meſſiam, regem pacificum, regem ſervatorem gentium, utinam & veſtrum. Si Prophetis creditis veſtris, æquum eſt ut huic quoque credatis. Quod ſi eum nolit is admittere, neceſſum eſt ut falſa eſſe ſtatuatis pleraque Prophetarum de Meſſia vaticinia & teſtimonia, utpote qui prædicto & definito non advenerit tempore. Vos itaque rogo & obteſtor, ut veſtras conſulatis Scripturas, ſed ea lege & conditione, ut neglectis verſionibus & expoſitionibus, quas magiſtri veſtri ſero induxerunt, eos tantum admittatis ſenſus, quos ſuperſtite etiamnum lingua Hebræa LXX. tradiderunt interpretes, quoſque ſolos omnes approbarunt veſtri majores, quique ſoli in omnibus admiſſi fuerunt ſynagogis, non tantum quamdiu fuere Hieroſolyma, ſed & toto quoque ſeculo poſtea. Hæc ſi conceſſeritis, quæ ſane æqua ſunt ut concedatis, jam libens veſtro permittam judicio, ut judicetis num fieri poſſit, ut ſacrorum librorum conſtet veritas, ſi nec dum advenerit Meſſias. Nolite itaque iſtis quæ exiſtimatis imputare peccatis, quod rex veſter necdum vobis adſit; illis enim quibus omnes obnoxii ſumus peccatis, abunde veſtris videri poſſitis ſatisfeciſſe calamitatibus: uno hoc non ſatisfacitis, quod regem, quem univerſus pene agnoſcit orbis, necdum adveniſſe credatis; & ſecundum expectetis adventum, antequam agnoſcatis priorem. Recognoſcite ergo regem veſtrum, & putate illum amore & caritate gentis veſtræ, alterum ſuum differre adventum, ut longius reſipiſcendi vobis indulgeat ſpatium; cum ſit neceſſe ut glorioſum ejus adventum veſtra pœnitentia & veſtra præcedat converſio. Faxit Deus ut quæ vos excæcat, tandem aliquando recedat, vel auferatur nebula: & ut eodem Sacrarum Scripturarum imbuti intellectu, eademque fide conjuncti, eadem quoque Evangelia & eundem recognoſcamus Meſſiam.

FINIS.

ISAACI VOSSII

AD

OBJECTIONES

Nuperæ Criticæ Sacræ

RESPONSIO.

ISAACI VOSSII

RESPONSIO

AD

OBJECTA

Nuperæ Criticæ Sacræ.

PRodiit non ita pridem liber P. Simonii ordinis congregationis Oratorii, continens criticas in vetus Teſtamentum diſceptationes. Avide totum hoc percurri ſcriptum, placuitque mihi inprimis, quod cum non multum hodiernis, plurimum tamen primis tribuat interpretibus. Sed & quod Capelli laudet obſervationes, & Hieronymum ſæpe adfirmet non recte à priſcis Latinis receſſiſſe verſionibus, & hoc quoque placet: plus etiamnum placiturus, ſi nuſquam eum recte ab antiquis dixiſſet receſſiſſe interpretibus. Diligentiam quoque ejus, ſeu patientiam potius, in evolvendis Rabbinorum ſcriptis laudo & admiror. Verum quod recentium Rabbinorum expoſitionibus, & eorundem traditionibus ſolo auditu propagatis, aliquid ſolidi ſubeſſe exiſtimat, & quidem tantum, ut eorum commenta ſæpe non dubitet LXX. interpretum præponere verſioni; in eo nec me, nec quemquam, ut opinor, cordatum conſentientem habebit. Quæ ſolo auditu propagantur traditiones, raro ſolent ad duo vel tria perſtare ſecula. Si quis omnium gentium percurrat annales, ne unum quidem

inveniet exemplum quo probari possit, rei alicujus memoriam inter mortales per plura secula integram fuisse conservatam absque Ittigarum beneficio. Sine illis nec Alexandri nec Cæsaris supereſſet nomen, & ne quidem quod mentiantur habituri sint homines. Quapropter omnes istæ orales, ut vocantur, traditiones merito à prudentioribus explodantur. Ex tamen, si quis tacitus scopum spectet operis, facile deprehendet, solis istis Judaicis P. Simonium permotum fuisse traditionibus, ut novam instituendam existimet esse versionem, quæ sensus Scripturæ Hebraicæ ad unguem referat; ac si illa quam plerique antiquiores Hebræi, quamque & Christus & Apostoli & omnes antiquæ Christianæ approbarunt Ecclesiæ, erronea & spuria sit versio: & nunc demum post elapsos pene bis mille annos, sensus Scripturæ sit eruendus ex codice muto, quem nec legere, nedum intelligere quisquam sciat; utpote trunco media sui parte, nec aliis quam quas Christianæ fidei inimici apposuere, instructo vocalibus. Sed vero in me sic sentientem, acriter in præfatione operis, & alibi, insurgit vir doctus; & cum mediam dicat viam veritatis, me ad extrema discedere pertendit, utpote nimis addictum LXX. interpretibus, & in Hebræos injuriosum codices. Ego vero sic hoc telum retorqueo, neminem hoc tempore de codicibus Hebræis recte sentire, nisi qui de versione LXX. interpretum recte sentiat, cum ex utriusque scripti consonantia emergat veritas. Tollantur vocales & traditiones Rabbinicæ, & admittantur LXX. interpretes, sine mora manifesta fiet hæc convenientia. Quod si tamen illa in quibusdam locis ne sic quidem appareat, vel vitio exemplarium, vel nostræ id ipsum tribuamus inscitiæ. Necesse est vero ut hæc admittat vir doctus, utpote qui plurimos agnoscat errores tam in Hebræis, quam Græcis exemplaribus commissos & propagatos culpa fuisse librariorum. Idem præterea non diffitetur incertam vocum Hebraicarum expositionem propter defectum vocalium indeque

indeque factum ut Rabbini codices Hebræos LXXII. facies habere affirment. Viderit itaque & ipſe, & quicunque ſic ſentiunt, quibus potius ſit fidendum interpretibus; an LXXII. qui unum & ſimplicem reddidere ſenſum; an vero Rabbinis qui verbis Scripturæ LXXII. tribuunt ſenſus, ac ſi conſtare poſſit veritas, ubi adeo eſt multiplex ſenſus.

Sed vero quandoquidem totus controverſiæ ſtatus verſatur circa LXX. interpretes, & planum ſit, ſi illi admittantur, ceſſare omnem diſputationem, non erit ab inſtituto alienum, ſi argumenta, quibus ad elevandam horum interpretum verſionem utitur vir doctus, breviter perpendamus.

Cum itaque Hieronymum adducit, ut interpretes hos, non Prophetas, ſed tantum interpretes fuiſſe oſtendat, fruſtra eſt omnino. Si enim Scripturas recte ſunt interpretati, utique fuere Prophetæ, teſte non Apoſtolo tantum, 1 Cor. XIV. ubi omnem S. literarum interpretationem vocat prophetiam, ſed & ipſo Chriſto poſtremo Lucæ, ubi diſcipulis donum confert intelligendi Scripturas. Sic Philo, ſic omnes antiquiores ſenſerunt Judæi, cum Propheta idem illis ſit, quod interpres; & προφητεύειν, interpretari. Nec aliter locuti ſunt Græci & Latini, cum μάντιν, quodque exinde factum eſt *vatem*, ſimiliter accipiunt. Nugantur enim grammatici quando à furore id vocabulum arceſſunt, cum manifeſte factum ſit à μαίνειν id eſt μαίνειν. Recte itaque Feſtus Prophetas dicit vocatos fuiſſe ab antiquis interpretes Oraculorum; ut non audiendus ſit Hieronymus, cum ſcribit aliud eſſe Prophetam, aliud interpretem, in quo manifeſte contradicit Apoſtolo, qui pluribus in locis προφητεύειν ſumſit pro interpretari. Sed & Plato in Timæo, & alibi, Prophetas dici quoſcunque Oraculorum judices, & cujuſcunque veritatis teſtes, manifeſte declarat. Nec apud Græcos tantum, ſed & Ægyptios, ſomniorum, furtorum & ſimilium, vel interpretes, vel indices, appellatos fuiſſe Prophetas, infinitis conſtat teſtimoniis. Quod ſi quis Ethnicorum non admit-

tat ſuffragia, ſaltem is veterum Judæorum, Evangeliſtarum, & Apoſtolorum acquieſcat auctoritate, cum paſſim in S. literis vocabulum hoc ſacerdotibus & ſacrorum tribuatur antiſtitibus. Non illi tantum qui futura prædicerent, ſed & qui præterita & præſentia explicarent aut docerent, Prophetæ dicebantur. Itaque & Adamus, quod conjugem ſuam ex ſuis formatam eſſe divinaret oſſibus, accenſetur Prophetis, & Chriſtus in Evengeliis jubetur προφητεύειν à quo vapularit. Quin & Epimenidem Cretenſium Prophetam vocat Apoſtolus, & Caiaphas quod illius anni, quo paſſus eſt Chriſtus, pontificatum geſſerit, Propheta fuiſſe dicitur. Cum itaque tam late Prophetarum & Prophetiæ etiam apud Hebræos patuerit appellatio, non admittendi ſunt illi, qui LXX. interpretes Prophetas fuiſſe negant, utpote præcipuos populi Judaici ſacerdotes, & non præteritarum tantum, ſed & futurarum rerum interpretes. Fruſtra eſt Hieronymus, cum Epimenidem ironice ab Apoſtolo Prophetam vocari ſcribit. Sed & nugivendi & figmentorum prodigi Rabbini, & qui illos ſequuntur Chriſtiani, ridiculi ſunt, cum Prophetarum & prophetiarum neſcio quos comminiſcuntur gradus, ac ſi illis conceſſum & revelatum eſſet S. ſpiritus collatam unicuique Prophetæ gratiam funiculo metiri, & tanquam ad ſtateram expendere. Etiam impiis idolorum cultoribus donum prophetiæ ſæpe contulit Deus, & ſi Rabbinorum & Rabbiniſtarum velimus ſequi ineptias, major erit cenſenda Balaami, & Magorum qui primi Chriſtum natum agnoverunt & adorarunt, quam vel Moyſis, vel cujuſcunque alterius Prophetarum ſanctimonia.

Jam vero cum ſcribit Chriſtum non ideo eſſe ſecutum verſionem Græcam quod ea veritati eſſet conſentanea, ſed quod vulgo eſſet recepta, de eo cum ſæpius dixerimus, opus non eſt ut plura addamus. Mirum quoque ſi cuiquam Chriſtiano perſuaſerit id quod mox ſubjungit, Stephanum protomartyrem non Græco aut plebeo Syriaco, ſed Hebraico ſermo-

ſermone ultimam ſuam abſolviſſe concionem, alioſque quam quos Evangeliſta poſuerit, expreſſiſſe ſenſus. An ergo plebs tempore Apoſtolorum gnara veteris linguæ Hebrææ? An mentitus Evangeliſta? Quid demum integrum in Evangeliis ſupererit, ſi iſtiuſmodi admittamus commenta?

Cum vero Ariſtæi de LXX. interpretibus hiſtoriam fabellam vocat Judaicam, per me licet ut ſuo fruatur judicio, aliiſque errantibus comitem ſe aggreget. Si quæ adducit argumenta, ad evertendam Philonis, Joſephi, omniumque veterum Judæorum autoritatem ſufficere exiſtimet; nihil eſt quod ipſi non feliciter ſuccedat, nunquam gravem habituro adverſarium, ſi ſecum tantum litiget, & fabuloſum dixerit, quidquid ſuis non convenit rationibus. Quis non miretur argumentum quo adſtruere conatur Ariſtæi ſcriptum ideo eſſe commentitium, quod Judæis ſemper ſolemne fuerit fingere & ſcribere incredibilia, ac ſi non longe magis ſint incredibilia, quæ Moyſis & Prophetarum continentur ſcriptis? Sed & quis concoquere poſſit, id quod confidenter non uno affirmat loco, Ariſtobulum laudatum Origeni, & cujus tam præclara & prolixa apud Euſebium ſuperſunt fragmenta, ideo inter ſpurios & ſuppoſititios eſſe referendum ſcriptores, quod idem quod Ariſtæus prodiderit, libros nempe Moyſis Græce fuiſſe converſos, antequam à LXX. verterentur interpretibus? Argumentum hoc ſi valeat, jam quoque & Philo & Joſephus ſpurii erunt ſcriptores, utpote qui & ipſi Ariſtæum ſequuntur. Dicit Ariſtæum hac in parte ſibi contradicere. Hoc vero ut quis intelligat, pulchram addit rationem, nempe quod verſio iſta quæ fuerit antiquior LXX. virali, ſibi ſit incognita, ideoque fabuloſa. Sed hac ratione pro fabuloſis etiam habendi ſunt plerique illi libri quorum in S. Scripturis fit mentio, ſiquidem nec iſtos vidit P. Simonius. Verum ut aliquanto fortius premamus P. Simonium, velim ſignificet unde ſuam de regibus Judæorum hauſerit hiſtoriam Demetrius Phalereus, ſi hujus ætate neutra S. literarum extiterit verſio, neque illa LXX. interpre-

terpretum, nec altera ista antiquior? Cum scriptum hoc Demetrii viderint non tantum Clemens & Eusebius, sed & ipse quoque Josephus, qui id laudat, proximeque eum veritatem attigisse testatur; alterutrum admittamus necesse est, aut plerosque S. Scripturæ libros versos à LXX fuisse interpretibus, aut aliam antiquiorem extitisse versionem, quam Phalereus iste secutus sit Demetrius. Cum neutrum admittat Simonius, necesse est, ut & hoc quoque Demetrii scriptum pro spurio habeatur, aut ut mentitus sit Josephus. Cum utrumque perquam sit absurdum, superest ut vera esse credamus, quæ & Aristæas & Aristobulus & Josephus de antiquiori istac S. librorum scripserunt interpretatione, quæ tamen minus exacte fuit expressa, ac fuerit ea quæ jussu & impensis facta sit Ptolemæi, Ἀμελέστερον δὲ, καὶ οὐχ ὡς ὑπάρχει, σεσήμανται, καθὼς ὑπὸ τῶν εἰδότων προσημαφέρεται, προνοίας γὰρ βασιλικῆς οὐ τέτυχε· sic Aristæas, sic quoque Josephus, nisi quod pro ὑπάρχει habeat ἔχει, quod idem notat. Quis non miretur hoc demum seculo reperiri homines, qui falsa esse pertendant, quæ tot & tantis fulciantur testibus, quique vel interfuere, vel saltem proximi iis, quibus hæc facta sunt, vixere temporibus? Siquis quærat utram versionem Demetrius iste expresserit Phalereus, sine hæsitatione respondeo, proculdubio illum secutum fuisse LXX. interpretum versionem, utpote magis accuratam. Nam & historicos & propheticos libros à LXX interpretibus Græce fuisse redditos, nunc non dubitamus, licet olim dubitaverimus. Ecquid enim clarius testimonio Aristobuli, cum dicit τὰ διὰ τοῦ νόμου πάντα accurante Phalereo Græce fuisse reddita? Ipsum hoc patet ex præfatione Syracidæ. Quod autem attinet locum Josephi in præfatione Antiquitatum, qui & olim Hieronymum, & nunc quamplurimos fefellit, longe is aliter, ac vulgo fiat, est accipiendus. Ut enim Aristobulus & cæteri cum Josepho conveniant, & ut Josephus ipse sibi constet, omnino necesse est, Josephum, cum dicit LXX interpretes non universam Judaicæ gentis historiam

historiam Græce reddidisse, sed solum τὰ τοῦ νόμου, ita accipi debere, ut τὸ τοῦ νόμου, vel, ut habet Aristobulus, τὰ διὰ τοῦ νόμου πάντα, de omnibus propheticis intelligatur scriptis, cum & in Evangeliis νόμου vocabulo omnes veteris testamenti comprehendantur libri. Hanc expositionem si sequamur, jam omnia erunt plana, & facile intelligemus Josephum ὑ πάσῃ πίῳ ἀναγραφῷ, ut ipse loquitur, ex iis sacris libris quos LXX. verterunt interpretes, haurire potuisse; sed solum ea, quæ undecim prioribus tradidit libris; reliqua vero quæ posterioribus novem antiquitatum memorat libris, partim hausisse ex scriptoribus exoticis, partim vero ex iis libris, qui in templo adservarentur, & ipsis quoque sacris, sed tamen minoris, ut ipse in scripto contra Appionem loquitur, auctoritatis, ac sint illi, qui ante Artaxerxem fuere conscripti, propter incertam prophetarum successionem. Hunc vero legitimum esse verborum Josephi sensum, non tantum ex eo quod dixi potest confici, sed ex ipsius Demetrii Phalerei verbis quæ refert Josephus lib. XII. cap. II. ubi affirmat multos apud Judæos extare libros dignos qui Græce reddantur, & bibliothecæ addantur Regiæ, πολλαὶ δὲ καὶ παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις ἄλλαι παρ' αὐτοῖς νομίμων συγγράμματα σπουδῆς ἄξια ἐκ τῆς βασιλέως βιβλιοθήκης, neque enim solum Moysis πενταέβιβλον, multos quisquam dixerit libros. Si quis nihilominus adeo sit refractarius ut verba Josephi de solo Moysis Pentateucho intelligenda esse pertendat, unum tantum huic relinquetur subterfugium, illud nempe si dicamus, LXX. interpretes non vertisse reliquos veteris Testamenti libros, quod acquieverint vetustiori, de qua diximus, versioni. Verum istud ut scriptorum concordiæ, ita quoque rationi non convenit. Neque enim verisimile LXX. interpretes vitiosam approbasse versionem, aut totidem consumsisse dies in solis quinque Mosis vertendis libris: id enim si verum fuerit, jam quoque & hoc sequetur, illos singulis diebus ne quidem singulos absolvisse versiculos. Hæc absurditas cum suboluerit

Rabbinis,

Rabbinis, ut ſunt ſecundi in procudendis fabellis, iſtud commenti ſunt, non LXXII. ſed quinque tantum fuiſſe interpretes, qui quinq; tantum Moyſis verterint aut deſcripſerint libros. Quapropter ſi miſſis nugis & Joſepho & cæterorum ſcriptorum teſtimoniis ſatisfacere velimus, omnino ſtatuendum eſt LXX. interpretes omnes veteris Teſtamenti vertiſſe libros, aut ſaltem emendaſſe antiquiorem verſionem, quod perinde eſt ac ſi ipſi vertiſſent.

De Sibyllinis ſatis jam diximus, ut & de loco Ariſtæi, cujus mentem me aſſecutum eſſe negat. Verum uter noſtrum melius verba ejus ſit interpretatus, judicent illi qui Græce ſciunt. Nec minus eſt mirificum quod deinceps ſequitur, ubi cauſam reddere conatur, quare Græca verſio LXX. fuerit attributa interpretibus. Ideo nimirum hoc factum putat, quod approbata fuerit à LXX. judicibus, qui Synedrium conſtituerent Hieroſolymitanum, non autem quod à totidem ſit conſcripta interpretibus. Atqui ſi ab univerſo approbata fuerit Synedrio, qui fieri poteſt ut mendoſa minimeque fuerit exacta? Quid obſtat, ut qui fuere approbatores, iidem quoque fuerint interpretes? Profecto dum impugnat vir doctiſſimus verſionis hujus veritatem, argumento eam adſtruit quam ſolidiſſimo. Sequenti deinceps capite, & paſſim alibi, dicit Origenem plurima loca immutaſſe & corrupiſſe in verſione LXX. interpretum, quam Hexaplis & Tetraplis ſuis inſeruerit. Atqui negat hoc ipſe Origenes, qui pluribus in locis integram & fideliter deſcriptam hanc verſionem ſe exhibuiſſe adfirmat, & verum hoc eſſe teſtantur complura quæ ſuperſunt vetuſta exemplaria aſteriſcis & obeliſcis Origenis notata, in quibus integra ſemper LXX. interpretum exhibetur verſio, addito obelo, ſi quid in hac verſione occurrat, quod non ſit in Hebræo codice; aut aſteriſco, ſiquæ verba ex aliis interpretibus, & præcipuæ ex Theodotione ſint appoſita, quæ in Hebræis inveniantur codicibus, & abſint à Græcis. Ne una quidem poſſit oſtendi litera, quam vel omiſerit aut immutarit Origenes.

Errat

Errat dein & in nomine & in dispositione Tetraplorum & Hexaplorum Origenis, neque enim illa dicta sunt à quatuor aut sex columellis, sed Tetrapla dicta sunt quod quadruplicem versionem, Hexapla vero quod sex continerent versiones. Errat quoque de Octaplis, dum errantem & sibi ipsi contradicentem sequitur Epiphanium. Nulla enim Octapla unquam scripsit Origenes. Hebræus siquidem codex, sive Judaicis, sive Samariticis, sive etiam Græcis expressus literis, in sensum non venit versionum. Itaque priores columnas Origenis vocat τὸ Ἑβραϊκὸν ἴδιωμα, velut fundamentum omnium versionum. In Tetraplis itaque sex erant columellæ, in Pentateucho etiam septem, utpote cui Samariticus adderetur codex, prototypis Hebræorum expressus literis, ut ab Eusebio & Africano appellantur. Quia tamen in solo id factum Pentateucho, ideo Tetrapla sex tantum columellas vulgo continere dicebantur; pari ratione atque in Hexaplis, quamvis in Psalmis septima quoque accederet versio, Hexaplorum tamen remansit appellatio, quia septima illa versio in aliis deficeret libris. Interim si quis malit credere Origenem non integrum codicem Samariticum Hexaplis & Tetraplis suis inseruisse, sed tantum variantes annotasse lectiones, non multum adversabor. Cum enim nulla supersint, aut saltem nulla Hexaplorum aut Tetraplorum hactenus reperta sint exemplaria, velle de his nimium copiose contendere, id demum fuerit hominis nimium intemperanter otio suo abutentis. Priorem tamen sententiam libentius sequor. Nam certe Origenem habuisse codicem Samariticum, non tantum ex Eusebio, sed & ex ipso Origene, & præsertim à Græcis constat catenis, in quibus sæpe variantes Pentateuchi Samaritici notantur lectiones, quæ utique non aliunde quam ex Tetraplis & Hexaplis fuere depromptæ. Prototypas vero Hebræorum literas apud Eusebium de aliis quam de Samaraticis interpretari, ab omni prorsus ratione alienum, cum & Afri-

canus & ex illo Syncellus Samariticum codicem vocent τὸ Ἑβραϊκὸν πρῶτον καὶ παλαιότατον καὶ ἀληθὲς, alterum vero quo Judæi utantur τὸ Ἑβραϊκὸν κατ' Ἰουδαίους. Quod autem variantes istas Pentateuchi Samaritici lectiones, non ex Origenis Tetraplis aut Hexaplis excerptas fuisse arbitratur P. Simonius, sed ex peculiari aliqua Græca versione qua usi fuerint Samaritæ, quamque non viderit Origenes, id nulla vel ratione vel auctoritate fulcitur: & etiamsi talem videre codicem contingat, ne tum quidem credam Samaritas, ut nunc, ita quoque olim æque ac alios Judæos certum est habuisse non versiones tantum, sed & libellos seu tabulas continentes Hebræas dictiones cum suis vocalibus; absque his enim nec legere, nec intelligere suos potuissent codices; sed vero si quisquam Christianorum, certe Origenes omnia ista & vidit & habuit, impensas liberaliter faciente Ambrosio. Absurdum omnino est credere Africanum habuisse exemplar Samariticum, non autem amicum ejus Origenem. Frustra itaque dicitur variantes Samaritici codicis lectiones aliunde fuisse desumtas quam ex Tetraplis aut Hexaplis Origenis. Sed & tum quoque frustra est vir doctus, cum scribit me non percepisse sensum verborum Eusebii & Syncelli, nunquam enim efficiet, ut apud Eusebium prototypi characteres non sint Samaritici, & manifeste ipse sibi adversaretur Eusebius, si de vulgaribus Judæorum intellexisset elementis, cum contrarium in suo scripserit Chronico. Quid multis opus? ecquid clarius verbis Eusebii, cum dicit Origenem comparasse sibi etiam illas Scripturas, quæ ipsis prototypis Hebræorum literis essent exaratæ? τάς τε ἀφ' ἁπάντων τῶν Ἰουδαίων ἐμφερομένας πρωτοτύποις αὐτοῖς Ἑβραίων στοιχείοις γεγραφὰς, κτῆμα ἴδιον ποιήσασθαι. Sic enim rectius legi, quam quod vulgo obtinet πρωτοτύπως, quilibet facile viderit. Qui putant φερομένας pro ἐμφερομένας dicendum fuisse, fallantur; est enim idem. Si quis mihi non credat, credat is saltem Grammaticis Græcis Hesychio & aliis, unde constabit

ſtabit ἐμφερομένας idem eſſe, quod φερομένας ſeu ᾠδιφερομένας. Errat quoque vir doctus cum ubique affirmat verſionem LXX. interpretum à ſolis fuiſſe receptum Helleniſtis, cum ab omnibus & Hieroſolymitanis, & aliis toto orbe diſperſis lecta & approbata fuerit Judæis. Ne unum quidem poſſit producere teſtem, uſque ad tempora Aquilæ, qui contra hanc verſionem vel hiſcere fuerit auſus. Neſcit præterea quinam fuerint Helleniſtæ. Verum cum de his ſuperiori egerimus ſcripto, opus minime fuerit ea hic repetere. Unum tantum hoc addo, non recte ab eo reduci à viris doctis exploſam merito Helleniſticam linguam, recoctam ſub nomine linguæ quæ in ſynagogis obtinuerit, ac ſi in illis peculiaris aliqua exſtiterit lingua, quæ nec Græca fuerit, nec Hebraica. Ideo nimirum hoc illi placuit commentum, ut hac ratione efficiat LXX. interpretes & Græce & Hebraice neſciviſſe, quod non uno aſtruere conatur loco. Atqui ſupereſt iſte LXX. interpretum labor, & qui Græce norunt, etiam hoc potuerant teſtari, verſionem iſtam non ſpuria aliqua eſſe conſcriptam lingua, ſed prorſus eſſe Græcam, ita ut melior eſſe non poſſit. Dicunt nonnulli interpretes hos Alexandrina potius quam Græca ſcripſiſſe lingua. Sed qui ſic loquuntur neſciunt quænam fuerit Alexandrinorum lingua. Illos Atticæ linguæ fuiſſe ſtudioſiſſimos, vel ex eo conſtat, quod Irenæus, ſive Pacatus Grammaticus ſcripſerit olim librum quo Alexandrinum ſermonem eundem cum Attico eſſe oſtenderit; ὅτι ἡ τῶν Ἀλεξανδρέων διάλεκτός ἐστιν ἐκ τῆς Ἀττικῆς, ut habet Suidas in Εἰρωναῖος. Eſto ut phraſes & figuræ aliquot loquendi æque in hac atque in Evangeliis minus aliis uſitatæ occurrant ſcriptoribus, nihil exinde confici poteſt, niſi id tantum, interpretes hos non ſua edidiſſe, ſed fideliter Hebræa reddidiſſe, utpote qui ipſas quoque Hebræas expreſſerint phraſes. Aliter ſi quis ſentiat, idem etiam exiſtimet licet, verſiones quaſcunque Latinas aut Gallicas, eſſe nec Latinas, nec Gallicas, ſed

peculiari & ut ipſe loquitur, lingua Synagogæ conſcriptas. Sed neque iſtud probo quod cum Hebræum codicem & Græcam tralationem in multis deficere affirmet, majori tamen Græcam verſionem laborare ſcribat defectu. Hoc autem qui fieri poteſt, cum demtis librariorum peccatis, integra ſuperſit verſio Græca, omnibus ſuis inſtructa literis; ab Hebræo autem codice longe maxima vocalium abſit pars, ita ut liber dimidiatus & media ſui parte truncus poſſit videri? Verum illud quod ſequitur recte ſe habet, cum dicit non ſeparanda Hebræa exemplaria à verſione Græca. Ex collatione enim & conſonantia Græcæ verſionis cum codice Hebræo certior emergit veritas. Ut enim mutus & pæne mortuus & nemini intelligendus codex Hebræus, & vitam & vocem & intellectum accipit à verſione Græca; ita viciſſim codex Hebræus licet elinguis & exanimis, à verſione tamen Græca animatus, certiſſimum quoque de hujus veritate exhibet teſtimonium. Nulla unquam filia tam fideliter matrem ſuam expreſſit, nec ullo unquam in fœdere tanta fuit concordia, quanta ſit inter Hebræa exemplaria & verſionem quam LXX. nobis reliquerunt interpretes, ſi Rabbinos & qui illos ſequuntur excluſeris. Sed valeant qui diſſidium quærunt.

Tranſit dein ad examen Chronologiæ noſtræ vir doctus: ſed quod pace ipſius dixerim, nihilo felicior hac in parte ejus eſt Critica, quam in cæteris. Negat Judæos ſtudio ſuos corrupiſſe codices. Atqui cum manifeſta ſit depravatio in annis Patriarcharum, qui & ante, & poſt diluvium vixere, nec mutatio illa facta ſit caſu aut incuria librariorum, ſed conſulto & data opera, alterutrum neceſſe eſt, aut LXX. interpretes, aut alios Judæos crimen hoc commiſiſſe. Ipſe mavult fraudem hanc LXX. imputare interpretibus, & cauſam addit, ideo hoc ab illis factum, quod cum crederent mundi natales antiquiores eſſe quam Moyſes tradiderit, corruperint codices ſacros, & addiderint ea ſpacia quibus illorum verſio numeros excedit Hebraicos.

braicos. Scio & nonnullos alios fuiſſe qui ſimilia fere ſcripſerunt, & quidem clarius, affirmantes ideo pluribus ſeculis ſuam hos interpretes amplificaſſe verſionem, ut ad Chaldæorum & Ægyptiorum antiquitates propius accederent. Verum ſi hæc valeat ratio, non quatuordecim ſeculis, ſed pluribus quam triginta annorum myriadibus locupletanda fuiſſet Chronologia Moſaica. Juſtam & legitimam hujus depravationis cauſam reddere debuerant, ſed putant ſufficere, ſi pro cauſa, ſcelus LXX. imputetur interpretibus. Quod ſi cum P. Simonio ſtatuamus verſionem LXX. attributam interpretibus, non ſic dictam, quod totidem habuerit interpretes, ſed quod ab Hieroſolymitano Synedrio fuerit approbata; non diluitur, ſed in Synedrium transfertur crimen, qui tam perfidæ conſentientes fuere verſioni. Rurſus, cum negat Judæos ſacras corrupiſſe literas, quomodo jam dicit vel LXX. interpretes, vel Synedrium, illos depravaſſe, aut ſaltem huic conſenſiſſe depravationi? Cum utrique populi Judaici fuerint ſacerdotes, an non & illi fuere Judæi? Forſan exiſtimat minus ſcelus eſſe Græcas quam Hebræas Scripturas contaminare. Atqui apud Deum non eſt linguarum major quam perſonarum reſpectus.

Jam vero cum multis & certiſſimis conſtet teſtibus illam ipſam, quam LXX. peſuere, productiorem Chronologiam admiſſam & approbatam fuiſſe ab omnibus tam Hieroſolymitanis, quam aliis Judæis qui Apoſtolica præceſſere tempora, nullumque adeo fuiſſe, qui ante ætatem Aquilæ contractioris hujus ſupputationis ullam fecerit mentionem: quis non ſtatim ſentiat & agnoſcat, non potuiſſe ab aliis, quam ab illis, qui poſt Apoſtolica tempora vixere Judæis, flagitium hoc committi? Quippe cum à Chriſtianis de tempore adventus Chriſti premerentur, nec ullum pateret effugium, ſi temporum ſacris voluminibus ſubductorum ſibi conſtaret ratio; non dubitarunt odio veritatis codices Hebræos depravare, tali nempe fraude obtenturos

ſe

ſe ſperantes, ut cum Chriſtianis tuto congredi poſſent, ſi necdum ſextum deſinere millenarium, & necdum advenisſe tempus Meſſiæ ex ſuis evincerent exemplaribus.

Et ſane nullum æque atque iſtud Judæis profuiſſe commentum cum alibi, tum præcipue in Hiſpania, memorabili poteſt oſtendi exemplo. Triumphavere iſtic de Chriſtianis per complura ſecula ſolo hoc argumento, quod cum ex Sibyllinis aliiſque antiquis Oraculis ſexto demum vel currente vel peracto millenario adventurum eſſe conſtaret Meſſiam, è ſuis vero ſcripturis uſque ad Servatoris noſtri ætatem quatuor tantum depromerent annorum millia, ſupereſſe etiamnum annos biſmille priuſquam verus adventurus eſſet Meſſias conſtanter adſeverarent. Nec defuit huic commento ſucceſſus & quidem tantus, ut annis plus minus mille Judæi in Hiſpania prævaluerint Chriſtianis, iiſque imprudentibus pro anno Chriſti natali eram obtruſerint Judaicam, incipientem ab Herode; vel quod illum Meſſiam fuiſſe crederent, vel quod annos exilii ſui ab illo tempore, quo ablatum eſſet à Juda ſceptrum, incipiendos eſſe exiſtimarent. Ut vero communi omnium Judæorum magiſtratum in Hiſpania gerentium ſuffragio, introductam fuiſſe eram ſeu heiram hanc anno Chriſti CCCCIX. alibi diximus, ita quoque communibus omnium Hiſpaniæ regnorum decretis abolitam & antiquatam fuiſſe conſtat, primum quidem Valentiæ, deinde ubique anno Chriſti MCCCLXXXIII. Puduit rerum Hiſpanicarum ſcriptoribus cauſam memorare, unum hoc annotaſſe contentis, communi omnium Chriſtianorum conſenſu eram iſtam fuiſſe ſublatam, & tum demum numerari cœptum per annos Chriſti. Nec tamen defuere etiam antea quibus iſte Judaicus diſplicuerit calculus. Eorum qui ad noſtras pervenere manus primus fuit Julianus Pomerius, ſeu alter potius Julianus præſul Toletanus, in iis quos anno Chriſti DCLXXXVI. contra Judæos ſcripſit libris, in quibus Chronologiam LXX interpretum præferendam eſſe Chronolo-

nologiæ Rabbinicæ pluribus contendit. Nec dubium quin felicius huic iſte ſucceſſiſſet labor, ſi cauſam & tempus fraudis iſtius Judaicæ penitius aliquanto vel perſpexiſſet, vel explicaſſet. Nam ſane cum illa quæ Chriſtianos inter & Judæos eſt quæſtio de ſolo ſit tempore, ut recte monuit Hieronymus, illud omnino urgendum, tempore Aquilæ vel paulo antea, Judæos depravaſſe Hebræa exemplaria & bis mille annorum expunxiſſe tempus, ut tempus Meſſiæ necdum adveniſſe obtinerent.

Quod ſiquis exactius etiamnum ſcire deſideret tempus quo Judæi depravarint, aut ſaltem depravare Hebræa cœperint exemplaria, puto id ſpatium ut plurimum viginti duobus poſſe determinari annis. Nam cum Egnatius in ea quam ad Philadelphenſes ſcripſit epiſtola, affirmet, ſeſe audiſſe nonnullos dicentes, ſi ea quæ in Evangeliis continentur, non etiam in antiquis inveniantur monumentis aut archivis, nolle ſeſe iis credere, ipſeque reſponderit inveniri, illi vero negarint, manifeſtum Judæos jam tum aut depravaſſe ſua exemplaria, aut receſſiſſe à ſenſu, quem LXX tradidere interpretes. Cum vero Joſephus, qui ex Hebræis exemplaribus eundem Chronologicum calculum & eoſdem quos LXX interpretes ſemper expreſſit ſenſus, antiquitatum libros abſolverit anno Chriſti nonageſimonono; Egnatius vero martyrium paſſus ſit anno CXXI. ſatis convenienter efficitur intermedio hoc tempore & verba & ſenſus S. literarum depravaſſe Judæos. Recte vero Egnatius reſpondet, ſibi pro ſinceris, incorruptis & illibatis archivis eſſe Jeſum Chriſtum, illique velut ſummo ſacerdoti credendum potius, quam aliis ſacerdotibus. Atque hæc eo libentius monemus, quod ſolus hic perverſus effecerit calculum, ut jam per tot ſecula Judæorum in mundo ſubſiſtat religio. Ille ſi deſtruatur, quod ſane facillimum, non Joſepho tantum, ſed & omnibus qui illum præceſſere Judæis conſentientibus cum illo quem LXX interpretes exhibuere calculo, jam nulli amplius in orbe ſuperunt Judæi.

Hæc

Hæc licet certissima sint, excipit tamen vir doctus, si Judæi corruperunt libros Moysis, multo magis ab iis corrumpi debuisse prophetias Danielis. Ecquis dubitat? Quis nescit illos totum Danielem ex Prophetarum numero expunxisse? Ipsum tamen hoc negat vir doctus, & pluribus in locis contendit Judæos de Daniele idem sentire quod Christianos, & de nomine tantum litem intendi. Sed profecto si de nomine tantum sit quæstio, quando quæritur utrum Daniel fuerit Propheta, necne; jam & illa controversia, utrum Servator noster fuerit verus Messias, erit de nomine, nec ulla in rebus humanis aut divinis supererit quæstio, quam non jure meritoque de solo fieri contendas nomine. Cæterum cum quo loco apud Judæos Danielis habeantur vaticinia alibi satis ostenderimus, opus non est ut ea hic retexamus. Interim quantum illorum erga hunc Prophetam sit odium, satis ex eo constat, quod cum olim medium inter Prophetas locum tenuerit Daniel, odio tamen veritatis ad calcem codicis Hebræi inter semisacros rejectus sit libros, undique etiam & in perpetuum illum extirpaturi si per ipsos stetisset. Denique quod in hoc Propheta, non, ut in cæteris sacræ Scripturæ libris, integra LXX virali fruamur tralatione, sed eadem interpolata versione Theodotionis, & hoc quoque illorum factum est scelere.

Provocat dein P. Simonius ad Samariticum exemplar, & ut eludat ea quæ scripsimus, dicit codicem Hebræum in annis Patriarcharum computandis confirmari à codice Samaritico. Cum tanta sit utriusque codicis discrepantia, ut major esse vix possit, miror sane hæc ab eo scribi. Si argumentum ex eo petat, quod contractiorem calculum uterque contineat codex, quam exhibeat versio LXX interpretum; jam nostras confirmat rationes, planumque fiet utramque gentem, Judæos videlicet & Samaritas, quod Christum admittere noluerint, adbreviasse tempora: sed tamen cum non Christianos tantum, sed se mutuo quoque

oderint,

oderint, diversam in depravandis codicibus suis institisse rationem: & quamvis quam longissime à seinvicem recesserint, illam ipsam nihilominus Hebræorum codicum varietatem plurimum conferre ad confirmandam quam LXX. interpretes exhibuere veritatem. Dicit dein Africanum, Eusebium & Syncellum, annotasse quidem istam lectionum varietatem, sed illos longissime à mea remotos fuisse sententia, utpote qui nullum propterea Judæis aut Samaritis impegerint crimen. At quid verbis opus, cum ipsa varietas flagitium ostendat, & non fortuitam, sed manifestam contineat depravationem? Quomodocunque calculus ponatur, semper aut in LXX. interpretes, aut in Judæos crimen id redundabit.

Sed vero cum quod LXX. posuere interpretes, id ipsum quoque multis & certis testibus, & insuper antiquioris Synagogæ nitatur consensu; contractior vero computus ne unum quidem habeat testem, qui sit Aquila vetustior, infelicis fuerit judicii, tam manifestis non credere argumentis. Errat tamen cum ad memoratos provocat scriptores ac si illi Judaicam istam non agnovissent depravationem. Africanus & ex eo Syncellus manifeste adfirmat codices Hebræos non convenire, & multa continere absurda, quæ postquam enumeravit, addit, merito omnes Chronologos sequi LXX. interpretum versionem, utpote quæ facta sit antequam perverterentur & depravarentur Hebræa exemplaria; πανταχόθεν τοιγαροῦν τῆς τῶν ἑρμηνείας ἐκ παλαιᾶς ὡς ἔοικεν καὶ ἀδιαστρόφου Ἑβραίων γραφῆς μεταβεβλῆσθαι συνισταμένης, εἰκότως ταύτῃ ἡμεῖς κεχρήμεθα κατὰ τὴν παροῦσαν χρονογραφίαν· ὅτε μάλιστα καὶ ἡ καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης ἡπλωμένη Χριστοῦ ἐκκλησία ταύτῃ μόνῃ προσέχει, τῶν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν ἀποστόλων τε καὶ μαθητῶν ἀρχῆθεν αὐτῇ χρῆσθαι παραδεδοκότων. Nec hoc tantum loco, sed & alibi corruptos esse dicit in Hebræis codicibus annorum numeros. Sic quoque sensit Origenes, qui pluribus in locis S. Scripturas à Judæis depravatas esse affirmat.

De vaticinio ſex mille annorum, deque Thalmudica quam ſubjungit expoſitione, ſatis cum alibi, tum quoque præcedenti diximus ſcripto. Perpendant ea quibus otium eſt, & judicent an verum ſit, id quod P. Simonius adſtruit, me cauſam hujus vaticinii ignoraſſe. Cum celeberrima fuerit hæc prophetia etiam antequam Chriſtus naſceretur, opus non eſt ad Thalmudiſtas recentiores divertere, cum ex iis quæ ſcripſimus opinionis hujus antiquitas ſatis ſit manifeſta, & ipſe quoque Hieronymus millenariorum ſententiam ex Judæorum traditionibus Papiam hauſiſſe affirmet.

Sequentibus capitibus P. Simonius examen inſtituit in LXX. interpretum verſionem. Quamvis autem pluribus in locis eam laudet, quia tamen aliquando eos impegiſſe aut ſaltem minus commode quædam reddidiſſe exiſtimat, operæ pretium fuerit ea excutere, & cognoſcere ipſene, an vero LXX. errarint interpretes. Miſſis itaque iis, in quibus horum non adverſatur verſioni, ea ſolum perſequemur, quæ ab illo reprehenduntur.

Primum quod carpit occurrit Geneſ. cap. 1. v. 17. εἰς ἀρχὰς τῆς ἡμέρας. Dicit dubiam eſſe expoſitionem, quia vox ἀρχῆς & principatum & principium ſignificet. Miror non reprehendiſſe vocem Hebræam quæ & ipſa duplicem habet poteſtatem. Pari jure & primam Geneſios reprehendat vocem *breſith*, quæ & caput & initium notat, unde Aquila verterat ἐν κεφαλίδι. Cum in his & ſimilibus locis ſatis pateat, qua ratione dictiones iſtæ ſint accipiendæ, fruſtra male intelligentium culpa in ipſos transfertur ſcriptores. Quibuſcunque demum verbis interpretes hæc reddidiſſent, nunquam cavillandi defuiſſet materia, præſertim cum omnibus fere linguis prædictæ voces duplicem habeant ſignificatum, ipſa quodammodo ſic jubente natura. Fruſtra itaque ſunt illi qui Græcæ tralationis carpunt ambiguitatem, cum Hebræi codicis interpretatio hoc noſtro ſeculo longe magis ſit ambigua, utpote quæ

quæ quoſvis etiam admittat ſenſus, ſi Rabbinos & Rabbiniſtas ſequamur.

Cap. III. v. 9. Geneſ. ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν. *Maledictus tu ex omnibus animalibus.* Dicit præpoſitionem ἀπὸ non convenire huic loco, & nullum conſtituere ſenſum. Certe non potuiſſet locus hic melius & exactius reddi. Qui aliquid Græce ſciunt, hoc quoque ſciunt, nullum eſſe Græcum ſcriptorem qui non ſic loquatur, omninoque fruſtra ſimus ſi exempla congeramus.

Eodem capite verſu ſequenti occurrit αὐτὸ σε τηρήσει κεφαλήν. Putat legendum eſſe τειρήσει, & mox τειρήσεις. Atqui hoc non eſt Græcum, neque enim τειρέω dicitur, ſed τείρω, unde futurum περῶ, non πιρήσω. Rectior itaque noſtra lectio τρήσει & τρήσεις, quam & rei & ſenſui convenire olim oſtendimus.

Gen. cap. IV. v. 16. *Et habitavit in terra Naid è regione Edem.* Qui cum Hieronymo negant terram Naid, & malunt fluctuantem aut inſtabilem interpretari, illi malunt cum Hieronymo errare, quam cum LXX. veritatem agnoſcere. Cur non & Joſephum reprehendunt, qui horum interpretum ſententiam confirmat? Quis præterea ferat iſtam balbutiem, *& habitavit in terra inſtabilis & vagus.* Nuſquam profecto habitat, qui ubique vagatur.

Gen. IV. v. 26. ἔτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα κυρίου τοῦ θεοῦ. Hoc in loco ἐπικαλεῖσθαι ponitur more Græcis tralativo pro ἐπικαλῶν vel τῷ ἐπικαλέσασθαι. *Hic ſperavit invocans* (vel *invocando*) *nomen Dei.* Eundem hunc ſenſum expreſſit quoque Philo in Scripto de Abrahamo. Quod vero dicunt in Hebræis exemplaribus legi ר non ד id aliter olim fuiſſe patet non tantum è LXX. interpretibus, ſed & ex Euſebio Emeſeno, cujus verba in catenis, Ἐν τῷ Ἑβραικῷ οὐχ οὕτως ἔχει, ἀλλ' οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι ἐν τῷ ὀνόματι κυρίου τοῦ θεοῦ. Plura de hoc loco diximus in Appendice ſcripti de LXX. interpreti-

bus. Si quis Rabbinorum conſulat commentarios, meras inveniet contradictiones. At vero in Græca verſione omnia ſunt clara. Quis enim neſcit in ſacris literis paſſim ſpem poni pro fide, & ſperare pro confidere? Sed & Græci ſæpe ſic loquuntur, & hinc eſt quod χρηστὰς & πονηρὰς ἐλπίδες pro bona & mala uſurpantur conſcientia.

Geneſ. cap. VI. v. 14. ποίησον σεαυτῷ κιβωτὸν ἐκ ξύλων τετραγώνων. *Fac tibi arcam ex arboribus quadratis*, ita vertendum eſſe olim monuimus. In Hebraico eſt; *Fac tibi arcam ex arboribus reſinæ*, quod omnino idem eſt; omnes enim quadratæ arbores ſunt reſiniferæ. Satis mihi videor clare locum hunc expoſuiſſe in iis quæ olim ſcripſi: tamen quia P. Simonius nimis longe ea petita eſſe exiſtimat, & aliter hæc reddenda cenſet, ſic nempe ut ξύλα τετράγωνα accipiantur de aſſeribus ſeu plancis quadratis; non erit ab inſtituto alienum, ſi pauca etiamnum ad clariorem loci hujus intellectum addamus. Primo itaque obſervandum vocem Hebræam *gopher*, ſi ſeorſim ſpectetur, non poſſe accipi de quadrato. Deinde quis naupegus non rideat, ſi quis huic jubeat, ex aſſeribus aut tabulis quadratis conſtruere qualecunque navigium? At vero ſiquis juſſerit navem ædificare ex arboribus quadratis, ſtatim recte loquentem agnoſcet, & intelliget arbores reſiniferas, quales ſunt cedrus, abies, picea, pinus, pinaſter & ſapinus, omnes quadratæ, omnes aptiſſimæ fabricæ navali, utpote quæ materiem & ſimul reſinam ſeu picem ad unguendas exhibeant naves. Cum in frigidis præcipue proveniant tractibus velut in ſummo ſeptentrione, & alibi fere in montibus; ſemper virentem tamen alunt comam, locoque ſanguinis copioſa iis data eſt reſina. Siquis boreales peragret regiones, vix alias quam quadratas inveniet arbores, omnes paribus intervallis & angulis in quaternos ſimul ſe explicantes ramos, ita ut vel ipſo aſpectu figuram exhibeant pyramidis. Æqualis iſte ramorum ordo cedit Lapponicis gentibus in beneficium, utpote

pote ſuper quaternos iſtos in crucis formam ſimul exeuntes ramos, velut ſuper planum fundamentum, domos ſuas ligneas exſtruere ſolitis, ut teſtantur, cum alii, tum quoque Olaus magnus lib. IV. cap. 11. Patet itaque, ut ſemper, ita quoque hoc loco LXX. illo ſenes optimos fuiſſe interpretes. Scio quidem doctiſſimum Bochartum vocem *gopher* de cypreſſis accepiſſe, verum cum ea non quadrata ſit arbor, ſed rotunda, utpote quæ metas imitetur, ideo in cenſum venire non poteſt. Nec tamen negaverim vocem cupreſſi, à *gopher* ſeu *copher* commode derivari, verum non ἀμέσως, ut puto. Cum enim ab hac Hebræa voce inſulæ quoque Cypro nomen obtigerit, propter copiam reſiniferarum arborum, non incommode exinde petas originem vocis cupreſſi. Quod ſi id minus placet, non male derives κυπαρίσσος à κύπαρος, quod & ipſum ab eadem Hebræa voce formatum videtur. Græci antiquiores κυπάρους vocarunt conos ſeu nucamenta in quibus primo exſtillantem arbores reſiniferæ ferunt reſinam. Itaque Heſychius Theophraſtum κυπάρους vocaſſe ſcribit τὰ τῆ πεύκης & πίτυος περιανθήματα. Si hoc etymon admittas, jam κυπάρισσος idem notabit, quod conifera ſeu reſinifera arbor, propter geminum vocis κυπάρου ſeu *copher* ſignificatum. Porro κύπαροι dicuntur quoque κύτταροι. Sæpe enim in Dialectis π tranſit in τ. Hoc poſtremum quod uſitatius eſſet, ideo factum ut lectio Theophraſti jam olim fuerit immutata.

Geneſ. XLIX. v. 24. Ubi violenter dicuntur confracti fuiſſe arcus, quos fratres in Joſephum intenderant, rectiſſima eſt verſio & σωετρίβη χεὶρ κράτους τὰ τόξα αὐτῶν, cum aliæ interpretationes vix ullum exhibeant ſenſum. Vocem Hebræam שב & alibi eodem ſenſu accepere iidem interpretes, convenitque cum radice שבב.

Ibid. v. 26. Nihil minus quam confuſa eſt LXX. viralis interpretatio, ubi multiplicantur benedictiones Joſephi ἐπ' εὐλογίαις ὀρέων μονίμων & ἐπ' εὐλογίαις βίνων αἰωνίων, αἳ ἔσονται

ἔσονται ἐπὶ κεφαλὴν Ἰωσὴφ, καὶ ἐπὶ κορυφῆς ὧν ἡγήσατο ἀδελφῶν. Optime hæc reddidere interpretes, licet non nunc tantum, sed & olim aliter quibusdam visum sit, ac prætulerint versionem Aquilæ, qui pro θινῶν reposuit βουνῶν, ut ex Theodoreto & Græcis constat catenis, ac si LXX interpretes, qui passim גבעה βουῶν reddiderunt, non etiam hoc loco id ipsum posuissent, si convenientius censuissent. Sed sane Aquila, qui nihil in Hebraicis sciebat, quod non à LXX hauserit interpretibus, unum id semper egit, ut easdem quidem quas illi expresserit significationes, verum illas ipsas in diversis dissiparit locis. Si LXX βουνῶν hoc loco scripsissent, ille θινῶν posuisset, uti alibi ab eo factum. Quod vero sensum horum attinet verborum, clarus est ille & manifestus. Montibus stabilibus & à rerum initio permansuris in ævum, qui in Psalmis dicuntur montes Dei, opponuntur hoc loco θῖνες, cumuli seu acervi instabiles, quales vel casu, vel humana congeruntur diligentia. Falluntur, qui vocem hanc de solis intelligendam esse existimant arenarum cumulis, in præcipuo enim significatu ponitur pro acervo seu cumulo frugum & fructuum. Itaque θὶς, θίνη & θῖν, à Grammaticis exponitur καρπῶν συγκομιδὴ, σωρὸς πυρῶν ἢ κριθῶν. Hinc ἀκροθίνια vel absolute θίνια, fructuum dicuntur primitiæ. Hinc quoque θὶς ἀγαθῶν, idem quod σωρὸς ἀγαθῶν. Ab agricolis vocis hujus origo est petenda, qui frumenti struices sic apellarunt à θεῖναι. Promiscue enim, ut Grammatici docent, appellantur θῖνες, θῆνες & θεῖνες, idemque esse notant, quod θεμῶνες & θημωνίαι, quæ omnia ejusdem prorsus sunt originis. Postea vocabuli hujus acceptio transiit ad loca in quibus copiosus frumenti esset proventus, cujusmodi sunt colles modici, agri editiores, & ripæ fluminum. Translata dein significatio ad quarumvis rerum cumulos, veluti fructuum, arenarum, salis, pecuniæ & similium. Tandem demum ad ista loca, in quibus hæc omnia reperiantur, qualia sunt littora, syrtes, mare denique, & quælibet arenosa, squallida & sollitaria tesqua. Cum

vox

vox hæc tam multiplici ſenſu apud Græcos occurrat ſcriptores, nullum tamen invenias locum, quin ſtatim agnoſcas quomodo accipienda ſit: quod ipſum quoque hic obſervare licet, cum θῖνες opponuntur montibus perennibus. Senſus vero loci & ipſe eſt manifeſtus. Quamvis enim θῖνες ſint inſtabiles & natura ſua incerti, eorum tamen ſtabiles & perennes proventus poſteritati Joſephi optat Patriarcha moriens. Quod ſi quis quærat quare Deut. XXXIII. 15. ubi ſimilis de hoc ipſo Joſepho Moyſis occurrit prophetia βουνὸς non θῖνας iidem poſuere interpretes, is mihi cauſam expediat, quare Moyſes non iiſdem iſtic uſus ſit verbis, atque hoc loco Jacobus. Siquis cauſam dixerit, idem quoque cauſam habebit, quamobrem & LXX. non iiſdem utrobique utantur verbis. Quod autem doctiſſimus Simonius malit immutare ſequentia verba Græca, & ſic vertere, *& ſuper caput ejus qui fratrum dux fuit*, id minime probo. Quænam enim hæc balbuties, *& ſuper caput Joſephi, & ſuper caput Joſephi, qui fratrum dux fuit?* At vero quid planius eo quod antiqui poſuere interpretes, ubi Joſepho promittit pater felicitatem in ſtabili & inſtabili tellure, cupitque ſimul ut benedictiones iſtæ non in ipſum modo, ſed & in fratres, quorum princeps fuerit, redundent? Porro ſiquis in verſionibus hodiernis totam hanc de Joſepho prophetiam excutiat, mera inveniet ænigmata nihil omnino ſignificantia, & ne ab ipſis quidem intelligenda interpretibus. Minus tamen mirum id videri debet, ideo, quod Judaici codices inſigniter hoc in loco ſint depravati. At vero ut ſæpe alibi, ita quoque in hac de Joſepho prophetia, integra & ſincera ſunt illa Hebræa exemplaria quibus Samaritæ utuntur. Illa ſi quis adeat, inveniet exactiſſime & ad unguem cum LXX. convenire interpretibus.

Pſal. XXII. v. 2. Cum alloquitur Propheta Deum & dicit, *vocabo te interdiu & non exaudies: vocabo te nocte, & non cedet in amentiam?* Non video qua ratione aliquis poſſit pertendere hanc expoſitionem non eſſe clariorem omnibus,

omnibus aliis. Vetus interpres ἄγοιαν vertit *vanitatem*, quod eundem efficit ſenſum.

Poſt multa deinceps vbi vulgatam examinat verſionem, neſcio quare ſequatur verſionem Hieronymi in cap. Gen. XIV. 5. cum nec ipſe nec Hieronymus probare potuerint Ham eſſe loci nomen. Quod vero ſequenti dein Gen. cap. V. 11. occurrit & ſedit cum eis Abraham, de eo diximus in appendice ſcripti de LXX interpretibus.

Cap. XIX. V. 14. Male Hieronymus reprehendit LXX interpretes, quod generos pro ſponſis reddiderint. Non hoc illi excidiſſet ſi Græcæ fuiſſet peritior linguæ. Quis enim neſcit paſſim à Græcæ ſponſos appellari γαμβρούς. Quod vero cap. XXIII. v. 6. Hieronymus reprehendat LXX. quod regem pro principe ſubſtituerint, nimis id leve, ne dicam futile, cum nemo neſciat regis & principis in omnibus linguis promiſcuas eſſe appellationes.

Cap. xxiv. v. 63. Iterum hos interpretes male carpit Hieronymus, cum vertendum cenſet; *ut loqueretur in agro declinante jam veſpera.* Quis ita improprie loquentem aut ferat aut intelligat? Cum declinat veſpera. nonne nox eſt? Quid denique ſibi vult iſtud *loqueretur*? At vero quis neget perſpicue & fideliter reddidiſſe LXX. interpretes, cum dicunt Iſaacum inclinante jam die rus conceſſiſſe, ut cum famulis, villicis & amicis confabularetur, quemadmodum ſolent facere homines labore feſſi, horis præſertim & locis calidis? Vocem Hebræam pluribus in locis δείλω expoſuere iidem interpretes. Eſt vero δείλη tempus pomeridianum. Quamvis vero totum tempus pomeridianum hoc nomine contineatur, qui tamen Græce norunt, hoc quoque ſciunt, tempus à meridie ad veſperam trifaria diviſum fuiſſe, ita ut medius dies, id eſt, hora ſexta ſeu tempus prandii, diceretur δείλη πρωΐα; quod prandium ſequeretur, δείλη vel δλιὸν ſimpliciter; quod vero occaſum ſolis præcederet tempus, δείλη ὀψία. Unde calidiſſima pars diei quæ prandio peracto ſequebatur, à Xenophonte & paſſim ab aliis

δείλη

δείλη dicitur. Sed & Gen. cap. III. v. 8. cum Deus dicitur obambulaſſe in Paradiſo ad ſpiritum diei, quando intenſiſſimus eſt calor, recte iidem interpretes reddidere τὸ δηλινόν. Vim vocabuli ipſa ſatis declarat origo, cum δείλη, δηλινὸς & δηελινὸς factum ſit à δῆ & ἴλη ſeu εἴλη, unde δηελιῆσαι meridiari. Quod vero alteram ſpectat vocem, nempe ἀδολεσχῆσαι, & tum quoque fruſtra ſunt, cum ἀδολεσχίᾳ moribus viri ſancti non convenire exiſtimant. Vel ipſo atteſtante vocabulo, ἀδολεσχία idem eſt quod φιλομυθία. Nec putandum eam eſſe ſemper vitioſam & intempeſtivam, præſertim cum ſervis, pueris & mulieribus, quæ verboſa gaudent loquela. Cicero ad Atticum XII, *Garrimus quidquid in buccam. Eſt profecto quiddam λέσχη quæ habet, etiamſi nihil ſubeſt, collocutione ipſa ſuavitatem*, Origenes tamen in ſuo lexico ἀδολεσχῆσαι hoc loco interpretatus eſt παίζειν, Judæos nempe ſecutus, qui nec Græce, nec Hebraice ſatis docti, ſignificationes verborum divinabant potius, quam fideliter reddebant. Cum pluribus in locis vocem שחק ita reddiderint LXX, nuſquam tamen hoc ſenſu ab iis accepta fuit.

Gen. Cap. XXVI. v. 32. Iterum male & ab Hieronymo & à P. Simonio reprehenduntur LXX interpretes, quod verterint, *non invenimus aquam*. Siquis Rabbinorum legat ſcripta nihil niſi meras inveniet cavillationes. Cum verba Hæbræa eam quam LXX poſuere contineant expoſitionem, quæſtioque ſolum circa id verſetur, quomodo Iſaacus nomen dicatur dediſſe puteo, cum jam antea nomen inditum fuerit ab Abrahamo; non operoſum eſt ſatisfacere. Si quis enim locum examinet, facile quoque deprehendet, ab Abrahamo quidem prius dictum fuiſſe puteum jurisjurandi; ſed idem poſtea nomen confirmatum fuiſſe ab Iſaaco, addito quoque eo, ut adſitum oppidum eodem appellaretur cognomine. Calumniandi cauſa ex eo tantum petitur, quod idem quoque vocabulum ſaturitatem notet, unde volunt conficere, puteum ſeu fontem iſtum non fuiſſe ſiccum.

Sed hoc eſt vitiligari. Abrahami quidem tempore non fuerat ſiccus, ſed cum fames & ſiccitas, quam Iſaaci tempore in illo tractu ſuperveniſſe ſacræ tradunt literæ, major fuerit illa, quæ Abrahami contigit tempore; non mirum, ſi & iſte quoque tunc exaruerit puteus.

Eccl. cap. 1. v. 6. Recte præfert P. Simonius verſionem antiquam Latinam verſioni Hieronymi. Sed quod ſenſum putet difficilem, id aliter ſe habet. Καὶ ἀνατέλλει ὁ ἥλιος, καὶ δύει ὁ ἥλιος, καὶ εἰς τὸν τόπον αὐτοῦ ἕλκει. Ἀνατέλλων αὐτὸς ἐκεῖ, πορεύεται πρὸς νότον, καὶ κυκλοῖ πρὸς βορρᾶν. Κύκλῳ κυκλῶν πορεύεται τὸ πνεῦμα. Ut paſſim, ita quoque hic, ἕλκει pontiur pro ἀνάγῃ, id eſt, reducitur, retrahitur, ſeu revertitur. Oritur ſol, & occidit ſol, & ad locum ſuum priorem revertitur: ubi iterum oriens ad auſtrum deflectit, donec meridianum contingat; unde denuo ad boream in eodem declinat circulo, ut obliquæ exigit ratio ſphæræ. Ventum quoque circulatim circumire, & præterea amnes ſeu torrentes omnes in mare devolvi; nec tamen mare redundare, quod ex mari oriantur amnes & ad mare revertantur, ita ut in circulum moveantur omnia, ſitque perpetua rerum viciſſitudo. Quibus addit Eccleſiaſtes, πάντες οἱ λόγοι ἔγκοποι, id eſt, omnes rationes & diſceptationes de talibus eſſe perdifficiles, nec cuiquam explicabiles. Ut enim Hebræum דברים, ita quoque Græcum λόγοι & verba & res, ſeu diſputationes quæ ex verbis conſtant, notat. Paſſim in S. literis λόγοι, ῥήματα & πράγματα promiſcue accipiuntur. Sed neque quod ſequitur, rectius ab Hieronymo redditum, *nihil ſub ſoli novum*, quam id quod habent LXX. interpretes, *non eſt omne recens ſub ſole*, quod & Hæbræis convenenit verbis, & quomodo prudentiores loquuntur. Juvenes & indocti, qui iis quibus vivunt ſolent favere ſeculis, omnia nova & meliora eſſe ſuis jactant temporibus. Sed veroqui etiam præteritorum ſcientiam habent ſeculorum, negant id ipſum, dicentes: non omnia eſſe nova & meliora. Cum vero Hieronymus vertit, *non ſaturatur oculus viſu, nec*

nec auris auditu impletur, ne hoc quidem tam bene, quam quod LXXII. *non ſaturabitur oculus viſu, nec auris auditu implebitur.* Quis enim non videat *non* hic poni, pro *nunquam*, ut paſſim, & propterea verſionem hanc ampliorem continere ſignificationem. Sed & illud, quod mox poſtea occurrit, recte ſe habet. Quis enim, qui aliquem Græcæ linguæ habet uſum, neſciat idem eſſe οὐκ ἔστι μνήμη τοῖς πρώτοις, & οὐκ ἔστι μνήμη τῶν πρώτων. Dicit Eccleſiaſtes, eſſe qui negent ſupereſſe memoriam præteritorum: ipſe vero, licet merito id negare potuiſſet, ſapienter reſpondet, poſito eo ut hoc verum ſit, jam quoque neceſſe conſequi, ut neque præſentium, neque futurorum ſuperſit memoria apud illos, qui noviſſimis ſint futuri temporibus.

Hæc ſunt pleraque, niſi fallor, loca, quæ vel male, vel ſaltem non ſatis commode à LXX. verſa fuiſſe interpretibus doctiſſimus exiſtimat Simonius. Feliciuſne ipſi quam aliis iſte ſucceſſerit conatus, eruditorum libenter permittam judicio. Laudo tamen moderationem, quod verſionem hanc magni faciat, nec cum iis ſentiat, qui illam ex officina Sathanæ prodiiſſe affirmant, ac ſi eam quam & Chriſtus & Apoſtoli nobis reliquerunt & commendarunt Scripturam, auctorem poſſit habere diabolum. Pia nempe συγκαταβάσει factum fuiſſe contendunt, ut Chriſtus tam pravæ & erroneæ conſenſerit interpretationi. Sed apage iſtam pietatem, & iſtud cum cacodæmone fœdus. Ingentem facilius petram calcibus evertas, quam ut in ſacra hac verſione aliquid non recte ſcriptum aut interpretatum invenias, ſi librariorum culpam omnibus etiam ſacris fatalem exceperis libris. Non Hieronymo, non cuiquam hactenus bene ſucceſſit, ut aliquid in ea non recte poſitum deprehenderit. Satis id ipſum oſtendimus, & ſi opus fuerit, pluribus alibi perſequemur. Quapropter ne inique ferat P. Simonius, ſi nec illius in LXX. interpretes acquieſcam cenſuræ, nec à me exigat ut relicta veritate totum me ad illius componam arbitrium. Fruſtra eſt cum me in

extremis versari contendit, & mediam mihi præscribit viam, ea nempe ratione, ut non plus LXX. quam aliis sacrarum literarum tribuam interpretibus, quod scilicet illi æque ac alii errare potuerint. Verum cessare ea debet questio eatenus, donec liquido eos errasse constiterit. Id autem tum demum fiet, cum Christi & Apostolorum ex hac versione depromta eluserit testimonia, & omnes veteres Judæos, superstite etiamnum lingua, Hebraice nescisse ostenderit. Si veritatis habenda sit ratio, non media quam dubitantes insistunt, sed recta carpenda est via: illam vero tenebimus, si Christi & Apostolorum insistamus vestigiis, & eam quam ipsi velut solam & legitimam secuti sunt, nos quoque sequamur versionem. Aliter qui faciunt, illi secundum communem parœmiam, ὁδὺ παρούσης τὴν ἄτραπον ζητοῦσι. Inter ea, quæ sunt ejusdem generis, datur medium. Sed inter bonos & malos interpretes, inter Christum & Rabbinorum Messiam, velle quærere medium, id demum ridiculum est. Cum tam multæ & hoc nostro, & superiori seculo prodierint versiones, quas tamen omnes merito damnat doctissimus Simonius, quid attinet errores multiplicare, & novos hariolari sensus, & novam condere versionem, cum veram teneamus vel ipso indice Christo? Et tamen atjamsi tantus deesset testis, vel ipsa versionis hujus veritas, claris adeo se prodit argumentis, ut siquis cordatus non præoccupato à recentioribus Judæis hanc accesserit animo, idem etiam volens nolens agnoscere habeat necesse, nec verba verbis, nec sensus sensibus reddi potuisse melius & fidelius, quam ab istis factum sit interpretibus. Sicubi lectionum occurrat varietas, totum hoc librariis, non interpretibus, imputandum, Nec est ut offendat quemquam, vel ut cuiquam videatur mirum tot labentibus seculis ortam fuisse aliquam lectionum discrepantiam, quin potius illud pro miraculo habendum, quod cum lubricæ, & fallaces sint adeo librariorum manus, post bis, trium millium, & plurium etiam annorum decursum, conservatam

ſervatam fuiſſe nihilominus tantam inter verſionem Græcam & Hebræos codices concordiam, quantam vix invenias inter ea exemplaria, quæ paucis abhinc ſeculis ſuere propagata. Denique ſi quæ in Hebræis codicibus ſuperſit veritatis teſtimonium requiras, præſto ſunt LXX. ſacerdotes, totidem teſtes, quot interpretes. Quapropter ſi novas ſacrarum literarum inſtituere velimus verſiones, iſtos ſequamur duces, ſoli illi rectam demonſtrant viam, & divortium facimus à veritate, quotieſcunque ab iis recedimus. Mutus eſt Hebræus codex, & vel ipſis agnoſcentibus Rabbinis truncus media ſui parte, utpote veris deſtitutus vocalibus. Et tamen etiamſi illi ſupereſſent, ne ſic quidem aliqua conſtrui poſſit verſio, cum verborum poteſtas, & ſenſuum qui exinde conficiantur, penitus obliterata ſit ſcientia. Vel ipſi Judæi hanc interpretandi difficultatem non diffitentur, ideoque Meſſiam ſuum expectant & invocant, qui clauſum aperiat librum, & codicem mutum faciat loquentem, ita ut ſuos legere & intelligere poſſint prophetas. Nos vero qui verum agnoſcimus Meſſiam, & veram tenemus Oraculorum Dei expoſitionem, quis veternus, aut quæ invaſit dementia, ut relicto duce certo, cæcis credamus ductoribus, & ab iſtis, quibus Deus omnem eripuit intellectum, ſacrarum literarum interpretationem emendicemus? Prophetis & antiquis Judæorum ſacerdotibus ſua olim credidit Deus oracula; poſtquam vero per LXX. interpretes & Apoſtolos ad gentes tranſiit verborum Dei hæreditas, ablata eſt omnis ſcientia & intellectus à Judæis, traditusque eſt gentibus, ut prædixerant Prophetæ. Si itaque ſacros ſuos codices intelligere velint Judæi, neceſſe eſt ut à gentibus quod olim dedere repetant beneficium. Libenter illæ vicem reddent, & participes facient tam ſalutaris utriſque depoſiti. Nam ſane ut gentium ſalus olim à Judæis, ita nunc per gentes ſervandi ſunt Judæi, utpote quibus nulla ſalus, nullumque ſupereſt aſylum aut refugium, niſi ad Chriſti ſe recipiant

Eccle-

Eccleſiam, & in illa diſcant ea, quæ ipſorum majores gentibus quondam tradidere Dei myſteria.

Rationes porro quæ videntur moviſſe P. Simonium, ut novam inſtituendam eſſe exiſtimet verſionem, quæ exacte cum Hebræo conveniat codice; eædem ſunt prorſus, ac ſint illæ, quæ & olim Hieronymum, & nunc plurimos ad idem faciendum moverunt Chriſtianos. Nempe cum unicuique in ea quam exerceat arte, cenſeant eſſe credendum: utique etiam Rabbinis, qui omne ſuæ vitæ tempus linguæ addicunt Hebrææ, non derogandum eſſe contendunt fidem. Eſto, inquiunt, ut illi plurima fingant, non tamen ſemper mentiuntur. Sed quis adeo unquam mendax fuit, qui non etiam caſu aliquando vera ſit locutus? Attamen in Rabbinorum ſcriptis adeo peregrina res eſt veritas, ut neminem hactenus invenerim, qui eam eruere potuerit. Quantumvis longæva vita deficiat, priuſquam aliquid lectu dignum in eorum deprehendas libris. Etiamſi quam diligentiſſime eos excuſſeris, nihil prorſus invenies, aut quod etiam deterius eſt nihilo, temporis ſcilicet jacturam. Tanta inſcitia & barbaries, tanta figmentorum copia, tantus denique nugarum in iis occurrit apparatus, ut nihil verius ſit illo Satyrici dicto.

——*Ære minuto*
Qualiacunque voles Judæi ſomnia vendunt.

Si qua tamen in re credendum ſit Judæis, cur iis non credimus, cum periiſſe linguam Hebræam, & ſe poſtquam toto terrarum orbe facti ſunt exules, neſcire Hebraice affirmant? Fruſtra itaque dicitur unicuique in arte ſua credendum: ſi enim ad illos divertimus, qui id ipſum, quod docent, ubique & palam ſe neſcire profitentur, unum tantum hoc adſequemur, ut iiſdem imbuamur erroribus, & ejuſdem quibus ipſi participes fiamus inſcitiæ.

Non

Non deſunt tamen, etiam doctiſſimi viri, qui Rabbinorum ſcripta ad intellectum S. Scripturæ plurimum conferre, ideoque & illos audiendos eſſe acerrime contendant: Quodque magis mirere, & unde cognoſcas, quam alte Rabbiniſmus quorundam Chriſtianorum inſederit animum, vel exinde colligas, quod non defuerint hoc noſtro ſeculo, qui in ipſa quoque Evangelia commentarios ſcripſerint Rabbinicos, ſingula propemodum verba, non ad Græcas, ſed Rabbinicas detorquentes phraſes, rituſque inſuper è Thalmudicis proferentes magiſtris, ad quos Chriſtum & Apoſtolos alluſiſſe affirmant. Sed profecto iſtiuſmodi interpretibus & fidei aſſertoribus tuto Chriſtiana poſſit carere reſpublica. Cum in illorum myrotheciis & commentariis Evangelicis utranque faciant paginam, *Non eſt Græcum, ſed Hebræum*, ecquid aliud inde colligas, quam illos nec Græce, nec Hebraice ſciviſſe? Quod vero ritus attinet, ſcimus & nos Rabbinos non minus forſan diligenter legere Evangelia, quam Chriſtianos; & quamvis Chriſtum non admittant, ritus tamen veterum Hebræorum ex Evangeliis & Actibus Apoſtolicis colligere, & in ſuos transferre commentarios. Iſtos vero ritus cum legunt Chriſtiani, velut gemmulas colligunt, exiſtimantes ex perenni traditione conſervatam à Rabbinis eorum fuiſſe memoriam; cum tamen certiſſimum ſit, nullum ſcriptum Hebræum aut Rabbinicum ſupereſſe, quod Miſna & Thalmude ſit vetuſtius, adeo ut de toto iſtoc intervallo, quod Artaxerxis & Juſtiniani imperatoris ætatem interceſſit, interceſſere autem anni plus minus mille, ne quidem quod mentiantur habeant Judæi, ut recte obſervatum Morino. Si itaque exceperis ea, que ex Evangeliis, Ariſtæo, Philone, Joſepho, & gentium hauſere annalibus; nihil omnino de toto hoc tempore in illorum ſupererit ſcriptis, quod non ſit commentitium. Siquid veri de Rabbi Akiba, Hillele, & aliis in illorum occurrat libris, omne id habent ab Origene & præcipue Hieronymo, cujus ſæpe in Thalmude

ſit

fit mentio. Abſque illis iſtorum ne quidem noſſent nomina. Et undenam habeant miſeri, cum nullum iſtorum temporum habeant ſcriptorem, vaſtoque adeo hiatu intercepta ſit illorum hiſtoria, ut nullis machinis, nullis inſtrumentis, nulla denique ratione majorum ſuorum facta & geſta contingere & reparare poſſint? Niſi gentium & illorum qui è gentibus Chriſto crediderunt conſervatæ fuiſſent memoriæ, ne vel Moyſis quidem vel Abrahami ſupereſſet nomen: æque illud ignotum Judæis, Samaritis & Saracenis eſſet, quam illis qui in media vivunt Braſilia. Ad orales, ut vocantur, traditiones confugere, id demum eſt palam ineptire. Ab ipſis etiam prudentioribus illæ exploduntur Rabbinis. Nec tamen eo hæc à me dicuntur, quod Rabbinos omnino negligendos eſſe exiſtimem, quin potius laudo, qui & illorum quoque conſulunt ſcripta. Non quod aliquid ſolidi iis ſubeſſe exiſtimem, ſed quod falſæ hypotheſes ad cognitionem veritatis, non utiles tantum, ſed & quandoque ſint neceſſariæ, uti norunt qui aliquid in geometricis & numerorum profecere ſcientia. Eſt quidem magna veritatis virtus, illa ipſa tamen humani ingenii pravitate ſæpe aut dubia fit, aut penitus obruitur. Hoc autem ne fiat, eadem obſervanda ratio eademque tenenda eſt via, quam prudentes ſequuntur judices, ut nempe utriuſque partis committantur & examinentur teſtes. Cum enim ſimplex & ſibi conſtans ſemper ſit veritas, eorum vero qui eam oppugnant, vix alio certiori remedio deprehendatur malignitas, quam ſi diverſa, ſæpeque ſibi invicem contraria edant teſtimonia: fiet ut ſic quoque triumphet veritas, quantoque plures quantumvis iniqui audiantur teſtes, tanto major oriatur lux, tantoque magis pateſcat calumnia. Producantur itaque partis utriuſque teſtes. Qui pro veritate verſionis antiquæ teſtimonium edidere, primo ſunt LXX interpretes, plerique inter ſe convenientes, & linguæ Hebrææ peritiſſimi, utpote etiamnum ſuperſtitis: omnes antiqui Judæi,

tam

tam in Syria, quam in aliis viventes terris; Dein Chriſtus & Apoſtoli, & ſubſequentes quoque Judæorum ſynagogæ uſque ad tempora Aquilæ: totus denique mundus in hac verſione conſenſit, nec quiſquam repertus eſt, qui contra eam vel mutire fuerit auſus. Committamus jam hos teſtes, cum illis, qui contra eos militant. Iſtos ſi audiamus, & ſolos, qui diu poſt prædictos vixere teſtes excipiamus Rabbinos, eorumque diſcipulos Aquilam, Symmachum & Theodotionem, omnes Chriſtianorum hoſtes, & linguæ Hebrææ, æque ac eorum magiſtri, ignaros; unus in tota veteri Eccleſia ſupererit Hieronymus, qui à Judæis deceptus à LXX. recedere interpretibus & novam auſus eſt inſtituere verſionem. Qui Origenem etiam his accenſent, plurimum falluntur; utpote qui non uno in loco palam teſtetur, ſe firmiter LXX. virorum adhærere verſioni, & eo tantum concilio interpretationes Judaicas Tetraplis & Hexaplis ſuis inſeruiſſe, ut viderent Chriſtiani, quo pacto Judæi Chriſto poſteriores ſacras interpretentur ſcripturas. Recentiores Chriſtiani, qui & ipſi audent contra LXX viralem verſionem os aperire, quique & ipſi periti linguæ volunt videri Hebraicæ, quam tamen eorum magiſtri Rabbini ſe ignorare fatentur, quo loco habendi ſint, judicent rerum gnari. Quæro jam ſi iſti teſtes & iſti interpretes ad examen revocentur, & comparentur cum prioribus; ecquid certius ad eruendam veritatem & convincendam calumniam dari poſſit argumentum, quam horum conſenſus, iſtorum vero inter ſeſe interpretum diſcrepantia? Profecto ubi veritas, ibi quoque concordia; mendacii vero ſignum eſt certiſſimum diſcordia. Ut Hieronymum omittam, qui primus Chriſtianorum Rabbinicam condidit verſionem, & alios ad idem audendum ſigniſer præceſſit; mille forſan à Judæis & Chriſtianis conſtructæ deinceps fuere verſiones: in tanto tamen numero nullam invenias quæ cum aliqua alia, ſeu in verbis, ſeu in ſenſibus conveniat, vixque eſt quiſquam qui vel

aliquid in Hebraicis ſibi profeciſſe videatur, qui non in mille modos fingat & refingat ſacras literas, & cum quoſlibet admittere parati ſint ſenſus, ſolus tamen veritatis ſenſus, quem nos Chriſtus docuit, unanimiter exploditur. Audent nonnulli cum Rabbinis ſtatuere multiplicem eſſe ſacrarum literarum ſenſum, eaſque LXXII aut etiam plures, ut igſi loquuntur, habere facies. Hoc ſi verum ſit, jam quoque dicendum libros ſacros non unum efficere codicem ſeu corpus, ſed totidem nos habere ſacras ſcripturas, quot ſunt verſiones, nec Septuaginta duas tantum, ſed infinitas. Atqui ſi in rebus ſeriis apud omnes gentes quæcunque amphibolia ſeu ſermonis ambiguitas vitio vertatur, quid demum de illis ſtatuendum, quorum adeo anceps & ambiguus eſt ſermo, ut non duplicem tantum, ſed innumeros contineat ſenſus? Annon merito pro imperito & inſano habeatur, qui Græcum aut Latinum ſcriptorem interpretaturus, totidem locis ſingulis affingat ſenſus, in quot ab hodiernis interpretibus ſacra diffunditur Scriptura? Inſtant nihilominus & affirmant talem eſſe conditionem & genium linguæ Hebrææ. Id ſi ſit, velim ſcire qua ratione colloqui & ſe mutuo intelligere veteres olim potuerint Hebræi. Sit modus ineptiendi, & ceſſent tandem aliquando miſeri Chriſtiani Judaicis iſtiuſmodi fidere fabellis: credant potius Chriſto & Evangeliis, quam inimicis veritatis, qui è Thalmude & ſcriptis Rabbinorum Chriſtianiſmum adſtruere conantur. Ceſſet quoque P. Simonius novam ſacrarum literarum moliri verſionem, ac ſi altera non ſufficiat, & neceſſe ſit ut purior & genuina magis introducatur Scriptura, ac ſit iſta quam Chriſtus & Apoſtoli nobis tradidere. Quod ſi me non ſatis gnarum linguæ putet Hebraicæ quam ut hoc meum admittat conſilium, ego quidem inſcitiam meam hac in parte cum doctioribus Rabbinis libenter profitebor. Interim quantumcunque profecerim, illud ipſum nihilominus ſufficit, ut non facile me lecipi patiar, ab illis qui mortuæ & jamdudum deperditæ

linguæ

linguæ peritos ſe exiſtimant, ſpuriumque & commentitium Rabbinorum ſermonem pro vera, legitima, & antiqua Hebræorum conantur obtrudere lingua. Quod autem doctiſſimus Simonius moderationem in me non uno requirat loco, & me nimio verſionis Græcæ affectu tranſverſum rapi exiſtimet, iſtud ego crimen non diffitebor, ſi ſit crimen valde amare quæ valde ſunt bona, & nimius veritatis amor vertendus ſit vitio. Utinam non ipſe præoccupato magis à Rabbinis animo ad ſcribendum ſe accinxiſſet, & abſtinuiſſet ab iis quæ habet de incertitudine ſcriptorum veteris teſtamenti, in quibus paria omnino facit cum Spinoſa Judæo, quem tamen merito damnat, velut indoctum, & futilibus nimium argumentis quoſcunque fere S. Scripturæ libros abjudicantem ab illis quibus ſemper attributi fuere auctoribus. Cæterum licet in excolendis amicitiis, aliiſque humanæ vitæ obeundis muniis pulcra res ſit moderatio; ubi tamen iniquitas prævalet, & veritas obruitur & conculcatur; ibi iſta animi æqualitas & ſemper-lenitas merito exploditur. Non amat bonos, quiſquis non ſatis oderit malos. Zelum & fervorem poſcit Deus, nihil amat quod medium ſit, & in Apocalypſi Chriſtus dicitur evomere tepidos. Quod ſi D. Simonius iſtum meum fervorem exiſtimet non eſſe ſecundum ſcientiam, ut Apoſtolus loquitur & per iſtam ſcientiam intelligat Rabbinicam hodiernam, recte ſentit: ſed vero ego non Rabbinos, ſed Chriſtum ſequor magiſtrum, & in ea quam ipſe approbavit acquieſco verſione. Quod ſi quierraſſe hac in parte Meſſiam noſtrum exiſtiment, illi per me licet ut cum Rabbinis Meſſiam quoque expectent Rabbinicum.

Licet hactenus dicta ad vindicandos LXX interpretes & retundendam quorundam adverſariorum iniquitatem & pertinaciam putem ſufficere; quia tamen hoc ipſo pene quo hæc ſcribo momento, in manus meas ſcriptum cujuſdam inciderit viri docti, & inter Anglos ſatis noti, continens Rabbinicam & Thalmudicam expoſitionem in prio-

rem Apoſtoli ad Corinthios epiſtolam, ſimulque mirificam & Chriſtiano indignam de LXX interpretibus digreſſionem; non erit ab inſtituto alienum, ſi de ea quoque nonnihil dicamus, ut videant lectores, quem fructum & quæ ſpolia ex nimia Thalmudis lectione referant Chriſtiani homines; & in quos labyrinthos & inexplicabiles ſe conjiciant errores, qui Rabbinos hoſtes Evangelii, Evangeliorum faciunt interpretes. Quamvis vel ipſe titulus ſtuporem incuſſerit, minuſque mihi peccaturus videatur, qui ex Alcorano, quam qui è Thalmude exponat Evangelia; longe tamen major ſubiit me admiratio, ubi cognovi non tantum Philoni, Joſepho, & omnibus qui illos præceſſere Judæis, ſed & ipſis quoque Evangeliis præferri auctoritatem Thalmudis, non modo in explicatione S. Scripturæ, ſed & in iis quoque rebus iiſque hiſtoriis quarum certa, continua & indubitata ſupereſt memoria in ſcriptoribus, qui vel interfuere, vel proximi illis, quibus res geſtæ fuere, vixerunt temporibus, cum contra plerique Thalmudis compilatores mille minimum annis fuerint poſteriores, nec in alienis tantum, ſed & in ſuis quoque adeo imperiti ſint rebus, ut nuſquam tanta inſcitia & barbaries, quanta in iſtorum paſſim occurrat libris. Ex iſta tamen barbarie & cæca caligine ſuppetias novi Teſtamenti ſcriptoribus afferre Thalmudicus iſte conatur commentator, acſi lux Evangelica fiat illuſtrior ſi nebulis inficiatur Rabbinicis. Omittam jam ea quæ habet de decem Iſraelis tribubus, quas à bis mille annis fruſtra quæſitas, & ſemper fruſtra quærendas, è Thalmude producit, deſcribens urbes, loca & ſtationes, in quibus purior, ut loquitur, Hebræorum ſanguis & ſpes Iſraelis etiamnum regnent, regnaturi donec veniat Meſſias, quem Judæi ex hoc regno proditurum credunt, non autem ex viliſſima iſta populi Judaici parte quæ Eſdram ſecuta ſit, in qua natus ſit Chriſtianorum Meſſias. Prætereo quoque expoſitionem de dodecaphylo apud Apoſtolum, ac ſi Chriſtiani fuiſſent ante Chriſtum,

&

& ante adventum ejus aliqua facta fuiſſet gentium converſio. Nec iſtud excutiam quod dicit Petrum Evangelium prædicaſſe decem tribubus Iſraelis, idque merito & convenienter, ſiquidem dicit iſtos Hebræos fuiſſe puriſſimi ſanguinis, nam Eſdram fæcem tantum populi Hieroſolyma ſecum tranſtuliſſe adfirmat. Longum nimis fuerit ſingulas perſequi ineptias; nam quale illud eſt quod invitis omnibus antiquis, verſionem LXX interpretum in Judæorum olim lectam fuiſſe neget Synagogis, contra vero paraphraſin quæ Jonathæ & Onkeloſo inepte tribuitur, à veteribus lectam fuiſſe contendat Hebræis, cum certiſſimis argumentis confici poſſit, neutram peraphraſin ſeptem vel octo antiquiorem eſſe ſeculis. Videamus quæ de LXX ſcribit interpretibus. Negat ille totidem fuiſſe, ſed teſte Thalmude quinque tantum presbyteros fuiſſe affirmat, qui regi Ptolemæo legem deſcripſerint, & mentitos eſſe Ariſtæam, Ariſtobulum, Philonem, & Joſephum, qui contrarium ſcribunt. Cauſam reddit pulcherrimam, ſi enim CCCCLX talenta in redimendis expenſa captivis, cum iis componas ſummis, quas idem erogavit rex in ornando templo, & demum addas munera collata in Eleazarum & LXX. interpretes, conficies ſummum minimum mille talentorum ſecundum Joſephum & Ariſteam. Atqui, inquit ille, *totam Bibliothecam Alexandrinam tanti non conſtitiſſe, imo totum annuum vectigal Ægypti vix valuiſſe tanti.* Profecto qui ſic ſentiunt, illi omnino neſciunt quid rei ſit Ægyptus, & quantæ fuerint opes Ptolemæi. Opus non eſt earum inire rationem, id enim ſi facere velimus, inveniemus forſan annuum reditum quinquaginta millium talentorum, idque juſto & ſolido computo. Unum hoc monuiſſe ſufficiat, reges Ægypti ex ſolis Judææ, Cœleſyriæ, Phœnices & Samariæ vectigalibus collegiſſe quotannis octo talentorum millia, tempore vero Joſephi, Tobiæ filii etiam duplo plus, uti docet Joſephus. Non ergo magna nimis debet videri iſta Ptolemæi erga Judæos liberalitas,

majus

majus utique collaturi beneficium, si bimestre unius anni remisisset vectigal. Norunt præterea reges prudentes, fœnori exponi pecuniam, quæ in subjectos sibi confertur populos. Sed tamen istam regis hujus erga Judæos qualemcunque liberalitatem non admittit doctus Rabbinista, quia nulla in Thalmude fiat mentio. Sed quid mirum, cum neque hujus rei fabellæ meminerint Æsopicæ, Pergit deinde Oracula fundere Thalmudica, & rem memorat dignam prorsus Rabbinico acumine, nempe istos seu quinque, seu septuaginta, sive interpretes, sive presbyteros, non in Græcum sermonem vertisse libros sacros, sed descripsisse regi Ptolemæo legem per se, hoc est, ut ipse interpretatur, Hebraicos libros Hebraice descripsisse. Verum cum aliquis merito hic quærat, unde ergo & è quanam officina Græca prodierit versio, promte admodum respondet: versionem istam compilatam esse à Synedrio sacerdotum Hierosolymitanorum, & addit licet ipse solus sic sentiat, habere se nihilominus rationes gravissimas. Nam si quis quærat, cum à tot & tantis, an non ergo versio ea sit fidelis & sincera, sine mora respondet, minime sinceram & fidelem esse, omnes enim istos sacerdotes Synedrii Hierosolymitani in eo convenisse, ut gentibus & simul aliis Judæis inter gentes viventibus spuriam obtruderent versionem, existimantes videlicet mysteria Dei non esse revelanda gentibus. Postulasse eas interpretationem Græcam. Istos itaque sacerdotes ut fidem suam liberarent, perfidam hanc adornasse versionem, quæ apud gentes & alios Judæos velut pignus & tessera integritatis & fidei esset Judaicæ. Nam versionem hanc non ad normam veritatis, sed cum summa compilatam esse astutia & ad decipiendas tantum fabricatam gentes, quibusvis etiam lippis dicit esse perspicuum. Philonem & Josephum, quod & ipsi perfidæ & astutæ huic consenserint versioni, dicit non debere cuiquam mirum videri, cum nullam ii veritatis habuerint curam, utpote qui gentibus, non Hebræis scripserint, itaque & illos quo-

que

que libenter in hac fraude cum aliis convenisse sacerdotibus. Firmiter itaque adhærendum esse Thalmudi & Thalmudistis, causam addens potentissimam, quod illi pro suis scripserint, Philo autem & Josephus pro ethnicis. Sed cum non prædicti tantum scriptores versionem LXX sequantur interpretum, verum etiam in novo Testamento ubique & sine exceptione Christus & Apostoli semper per os LXX loquantur interpretum, operæ pretium est audire quo pacto etiam hic sese expediat. Dissimulatis nempe Christi & Apostolorum testimoniis & nominibus, dicit pro LXX interpretibus facere quoque amanuenses novi Testamenti, ac si illi alia verba & alios substituissent sensus, quam vel scripserint vel locuti sint Christus & Apostoli, totumque hac ratione contaminarint & perverterint Evangelium. Hoc autem posito, non difficile fuisse dicit Christianis cum ethnicis & Judæis congredi. Cum ethnicis quippe imperitis linguæ Hebrææ, & solam consulentibus Græcam interpretationem, nullam omnino intercessisse difficultatem. Judæis vero cavillantibus aliter in suis legi codicibus verba & sensus Scripturæ, quam contipiantur in Evangeliis, prompte admodum potuisse occurrere Christianos, dicendo hanc esse ipsissimam versionem, quam ipsorum exarassent majores & tanquam veram & sinceram universo legendam exhibuissent mundo. Porro, mi lector, ecquis est qui tam lepidas quemquam audiat narrantem fabellas, qui non merito inter scenicos se versari existimet mimos? Attamen doctus iste Rabbinista, non studio contentionis cum quoquam, sed solo veritatis investigandæ compulsum desiderio, serio & cogitationibus sæpe iteratis, hæc se scripsisse adfirmat.

Non dubito quin complures futuri sint, qui absurdas & portentosas istiusmodi cogitationes in homine Christiano non mirentur tantum, sed & merito detestentur; verum qui nullos præter Rabbinos legunt & sequuntur interpretes, & qui Thalmudem cum Evangeliis componunt,

nunt, vix eſt ut aliter ſcribant aut ſentiant. Minus mali Chriſtianæ infligeretur reipublicæ, ſi pauci duntaxat hoc adfligerentur morbo, ſed noſtro hoc ſeculo adeo graſſatur hæc peſtis, ut ſi Chriſtianos cum Chriſtianis committas Theologos, longe plures invenias, qui Moſem & Prophetas è Thalmude, quam ex Evangeliis malint interpretari. Utinam inconſultis iſtis comes non acceſſiſſet P. Simonius, nec tam futili adhæſiſſet commento de concinnata ab univerſo Hieroſolymitano Synedrio in fraudem humani generis S. literarum verſione, cui tamen, ut volunt, ſubſcripſerint & Chriſtus & Apoſtoli. Quidni dicunt illi qui ab omni libenter religione ſe exemtos velint, ſi plerique populi Judaici ſacerdotes in propaganda ſpuria S. literarum verſione conſpirarint, etiam conſpirare potuerunt in fingendis & ad lubitum depravandis omnibus quoque ſacris libris, præſertim cum & illos quoque plurimum immutatos & interpolatos fuiſſe admittat P. Simonius? Si ſic ſentiamus, quæ fides, aut quid demum ſupererit integrum, aut quæ conſtabit veritas, ſi de iis quoque dubitemus, quæ omnium ſeculorum ſanxit conſenſus, & ne iſtis, qui rebus geſtis interfuere, credamus ſcriptoribus? Quod ſi ullo alio, noſtro certe hoc ſeculo complures reperiuntur ita animati, ut nihil omnino, niſi quod ſuis conveniat admittant ſenſibus. Memini mihi non ſemel colloquium interceſſiſſe cum viro cætera prudenti, magnæque inter ſuos auctoritatis, qui poſt plurium annorum ſæpe repetitas cogitationes luculentam ſatis in Cæſaris de bello Gallico commentarios conſcripſiſſe ſe adfirmaret diſſertationem, qua invictiſſimis argumentis falſa eſſe convinceret, quæcunque iſtis continerentur libris, & copioſe inſuper oſtenderet Cæſarem nunquam tranſiiſſe Alpes, & ne vidiſſe quidem Galliam. Quærenti mihi quibus rationibus & teſtibus tantam rem peregiſſet, ſatis promte reſpondit, mille teſtium loco ad hoc probandum ſuffeciſſe ſibi rectos bonoſque quos ſemper ſequeretur ſenſus.

Indoctis

Indoctis nempe ſuis nihil eſt ſanctius ſenſibus, & quamvis illis fere careant, hos tamen ſolos adorant, curtaque adeo menſura metiuntur omnia. Sed vero cum quot capita, totidem quoque occurrant ſententiæ, nec deſint qui quælibet etiam ſomnia & deliria ſenſuum teſtimonio firmare conentur: non futilis tantum, ſed & ſtulta quoque illorum eſt exiſtimanda præſumtio, qui hiſtoriarum vel levi, vel nulla omnino inſtructi peritia, judices nihilominus earum ſe conſtituunt rerum, quarum non ex arbitrio, ſed ex teſtium examine & multiplici cognitione tota pendet veritas. Attamen qui ſolis obſequuntur ſenſibus, plus etiamnum ſapiunt, quam qui non Chriſtianæ tantum fidei, ſed & communis inimicos ſenſus ſequuntur Rabbinos. Sæpiſſime quidem fallunt ſenſus, illis tamen tutius creditur quam falſis teſtibus qui ſemper fallunt. Adeone quis demens ſit, ut illis credat, qui id ipſum quod ſe neſcire fatentur, aliis tamen audacter affirment? Paucæ admodum verſiones Judæorum in lucem prodiere, & tamen nulla eſt quæ ab ipſis probetur, aperte negantibus S. Scripturas nec poſſe, nec debere gentium exprimi ſermone, cum enim S. literæ Septuaginta & plures admittant ſenſus, non eſſe cujuſquam hominis divinare, quiſnam ſit ſenſus veritatis. Sed vero quid ſentiendum eſt de Chriſtianis, qui etiam non credentibus credentes Rabbinis, & ſuperiori & noſtro hoc ſeculo tot edidere verſiones, ut earum vix aliquis ineat numerum, omnes tamen ad placitum Rabbinorum, & ad veritatem, ut ipſi loquuntur, expreſſas Hebraicam, ſed tam diſcrepantes, ut merito P. Simonius nullam probet, & aliam inſtituendam eſte exiſtimet, quæ veritati conveniat & cui tuto acquieſcere poſſimus? Verum ſiqua ſit admittenda verſio, ecqua poſſit produci alia, atque illa quam & Chriſtus & Apoſtoli & omnes qui illos præceſſere ſecuti ſunt Judæi? Inſtant nihilominus, illam eſſe erroneam & fraudulentam. Sed ſi ut volunt, omnes Judæorum ſacerdotes in decipiendis gentibus, quibus

veritatem revelare noluerint, olim convenere; ecquis ab hodiernis expectet Rabbinis, ut veros S. literarum ſenſus pandant Chriſtianis? Qua denique ratione ab illis S. literarum petamus expoſitionem, qui fatentur ſe illas non intelligere, quique unanimiter affirmant codices Hebræos eſſe non tantum obſcuros & ſibi repugnantes, ſed & omnino cœcos, mutos & nemini explicabiles, niſi forſan per orales, ut ipſi loquuntur, traditiones, quas tamen incertas & lubricas eſſe ipſi non diffitentur, nos futiles & commentitias eſſe certo ſcimus? Sit tandem pudor manifeſtæ adverſari veritati, & ſi Chriſto & Apoſtolis credere nolimus, credamus ſenſibus, qui abunde docebunt, verſionem quæ ab illis qui florente & ſuperſtite etiamnum Hebræa facta ſit lingua, veriorem eſſe iſtis tranſlationibus, quæ nec ſibi conſtant & ab imperitis factæ ſint interpretibus. Vel ipſis credamus Rabbinis, cum periiſſe linguam Hebræam & vocales novitium eſſe fatentur commentum. Denique ſi non omnino inepti & ridiculi eſſe velimus, credamus tam veteris quam novi Teſtamenti ſenſus ſolo Græcæ & Latinæ linguæ beneficio ad nos eſſe propagatos, & hujus veritatis luculentiſſimos & certiſſimos teſtes eſſe vel ipſos Hebræos codices, dummodo auferantur puncta vocalia à Rabbinis appoſita; id enim ſi fiat, invenietur ſenſus quem LXX. poſuere interpretes & ſimul patefiet fucus & fraus Rabbinorum. Quod ſi quis neget Græcæ & poſtea Latinæ linguæ beneficio S. literarum cognitionem ad nos perveniſſe, oſtendat aliam linguam, viam & rationem, quam ſequamur & inſiſtamus ad eruendos S. literarum ſenſus. Stultum eſt ad linguam Hebræam provocare, cum ea perierit, & ſiqua ejus ſuperſint fragmenta, illa ipſa Græci & Latini ſermonis beneficio ad nos pervenerint. Si quis totum perambulet terrarum orbem & omnium gentium conſulat memorias, nullam omnino inveniet linguam, quæ ad tria, vel utplurimum quatuor conſervata ſit ſecula. Quod Serum, qui vulgo Sinæ dicuntur, jam per tot annorum millia ſubſiſtant annales,

annales, id non linguæ, quæ æque apud illos ac apud alias gentes fluxa & inſtabilis fuit, ſed characterum ſeu notarum factum eſt beneficio. Sola Græca & Latina linguæ hanc evaſere calamitatem, quarum hæc bis mille annorum ætatem ſuperat, altera trium fere millium memorias complectitur. Si duæ iſtæ tollantur linguæ, nullæ ſupererunt machinæ, quibus attingere poſſimus ea quæ priſcis facta fuere temporibus. Nullus erit Hector aut Achilles, non Cæſar vel Alexander, nulla vel Moyſis vel Salomonis fama, nullum vetus aut novum Teſtamentum, nullæ omnino artes aut ſcientiæ ſupererunt, nullæque rerum præteritarum memoriæ: peribunt omnia & mera ſuccedet barbaries, cum ſoli ſint Græci & Latini libri, quibus omnia hæc & continentur & propagantur. Tamdiu autem artes & ſcientiæ propagantur, quamdiu perſtant linguæ & libri intelliguntur. Serum quidem ſeu Sinenſium lingua non eſt perennis, notas tamen ſeu characteras, ut diximus, habent perennes, & intelligunt libros ante quinque fere annorum millia conſcriptos, & hinc omnino factum, ut propter tam diuturnum & nunquam interruptum literarum uſum, artes & ſcientiæ ad majus ab iis provectæ ſint culmen, quam apud ullas alias gentes. Verum cum Sinenſium characteres ad intellectum S. literarum nihil conferant, omnino nobis recurrendum ad Græcum & Latinum ſermonem, qui ſi tollantur, jam quoque tolletur omnis rerum præteritarum ſcientia. Quapropter ſatis mirari nequeo, noſtro hoc ſeculo reperiri nonnullos, qui ſpretis & contemptis iis linguis, quibus ſolis tota continetur antiquitatis hiſtoria, libenter pro illis ſubſtituant & obtrudant vernaculas ſuas, non barbaras tantum, ſed & mox perituras. Dicunt nempe illi Græcos & Latinos ſcriptores magna jam ex parte contineri linguis vernaculis, utpote Germanice, Gallice & Anglice verſos, ideoque tuto nos carere poſſe Græco & Latino ſermone. Quid ſi verſiones iſtæ minime fuerint bonæ? Ponamus tamen noſtro hoc ſeculo

videri bonas, attamen ætatem non ferent, cum infinitis jam conſtet experimentis, verſiones iſtas ſingulis renovari ſeculis, nec ullos eſſe perennes libros, niſi qui Latine ſcribuntur, cum cæteri, quibuſcunque demum ſcribuntur linguis, vix uno alterove ſubſiſtant ſeculo. Laudandus idcirco Carolus Magnus, qui ſeu amore literarum, ſeu ut Romanorum potius quam barbarorum Rex crederetur, poſthabitis Gothica, Saxonica, Francica, aliiſque Teutonicæ linguæ dialectis, una cum imperio ſermonem quoque adſcivit Romanum, cui non in ſacris modo, ſed & in quibuſvis aliis vitæ humanæ actibus locum adſignavit principem. Et ſane ſi lingua non conſervata fuiſſet Latina, ne Caroli quidem Magni ſupereſſet nomen. Omnia denique antiqua & vetuſta jamdudum oblivioni tradita & profundis obruta fuiſſent tenebris, ſi Græca & Latina linguæ non eſſent ſuperſtites. Nulla eſt in Europa natio, quæ aliquid norit de rebus, quæ ante tria vel quatuor geſta fuere ſecula, niſi Latinæ linguæ beneficio. Sed neque Arabes quantumvis late pateant, & linguæ ſuæ fuerint ſatis ſtudioſi, ullam antiquarum rerum habent peritiam, quam non è Græcorum hauſerint libris. Ipſi quin etiam Indi, ſi quid de Alexandro ſciant Magno, habent id ipſum ab Arabibus, qui tamen à Græcis ea ſe accepiſſe fatentur. Superſunt quidem toto orientæ monumenta antiqua marmorea, vernaculis gentium inſcripta literis, ſed quæ nemo legere, nedum intelligere poſſit. Cum itaque luce meridiana clarius ſit, ſolis libris Græcis & exinde factis Latinis totam veritatem & totam rerum antiquarum claudi & contineri ſcientiam, quænam dementia eſt ad Rabbinos divertere, qui ante pauca demum floruerunt ſecula, quique nullam aut rerum, aut verborum, aut hiſtoriarum habent peritiam, niſi quam à Græcis aut Latinis acceperunt, à quibus quotieſcunque recedunt, tum demum nugas & portenta loquuntur. Hos tamen fere ſolos ſeculi noſtri ſequuntur Chriſtiani, & ſæpe quanto minus norunt, tanto magis admirantur. Cum vero etiam

etiam isti, qui in Rabbinorum scriptis sunt versatissimi, videant nullis argumentis, aut antiquis testibus, posse fulciri Thalmudica commenta; eo prolapsi sunt insaniæ, ut ad futilissimas orales, ut vocantur, confugiant traditiones; Deum enim non loqui inquiunt, nisi per fauces Rabbinorum, iisque inseruisse omnem præteritarum & futurarum rerum peritiam, adeoque illos solos esse veritatis promos & condos, utpote quibus λόγια sua Deus commiserit, ac si de istis, à quibus omnis ablata est scientia, non autem de illis Hebræis, qui olim Deo placuere, accipienda essent isthæc Apostoli verba. Quid attinet memorare complures nostri & superioris seculi homines futili hac persuasione à Judæis deceptos, quos tamen postmodum, detectis istorum offuciis, credulitatis suæ puduerit? Testes sint Picus Mirandulanus, Reuchlinus & præcipue hujus discipulus Johannes Forsterus, cujus, siquis quam Hebraico quod Basileæ prodiit lexico perlegat præfationem, protinus cognoscet, quam ille magnifice de Judæis primo senserit, quantumque postea pœnituerit, ubi comperit, nullam lucem, nullamque omnino veram expositionem in Rabbinorum occurrere libris, illosque ut cæterarum rerum, ita linguæ quoque Hebraicæ penitus esse ignaros. Attamen vix minimam impostturarum & fraudum Judaicarum ille adsecutus est partem, feliciusque hac in parte se gessisset, si neglectis omnino Rabbinorum vocalibus punctis, Græcam secutus fuisset expositionem & ex illa Hebraicam conatus fuisset interpretari veritatem. Laudanda interim ejus est voluntas, & bene de se, & bene de Scripturis merebuntur, si qui ejus in contemnendis Rabbinis sequantur exemplum, & quam ille aut neglexit, aut potius non vidit insistant viam, ut nempe posthabitis vocalibus punctis, illos solum probent sensus, quos LXX. tradidere interpretes, & ad horum, non autem Rabbinorum, aut fallacium & lubricorum sensuum arbitrium exigant & exponant Hebraicarum vocum & phrasium potestatem

&c.

& ſignificationem. Quod ſi qui adeo obſtinato & refractario ſint ingenio, ut nec tam claris argumentis, nec tam certis cedant teſtimoniis, per me licet ut ſuis iſti fruantur moribus: mihi quidem recta monenti, ſatis magno erit ſolatio, meruiſſe potius quam obtinuiſſe ſeculi ſuffragia & ſolis diſplicuiſſe indoctis.

A D

ISAACI VOSSII

AD

Iteratas P. SIMONII

OBJECTIONES RESPONSIO.

ISAACI VOSSII

AD

Iteratas P. Simonii Obiectiones Reſponſio.

LIcet ea quæ ante quinquennium ſcripſi ſufficere P. Simonio debuiſſent, quia tamen ante paucos dies alter ejus de variis S. Scripturæ editionibus prodiit liber, quo non acquieſcere ſe meis teſtatur reſponſis, & nonnulla inſeruit, in quibus palam me erraſſe exiſtimat; operæ pretium fuerit ea expendere, ut æqui lectores, uter noſtrum rectius ſentiat, cognoſcant.

Primum itaque & præcipuum niſi fallor quod reprehendit cap. x, eſt illud, quod audacter affirmarim Judæos ſtudio & nequitia depravaſſe codices & Chronologiam ſacram, ut lucrarentur bis mille annos. Dicit hoc meum eſſe commentum; neque enim à vetuſtioribus Chriſtianis, licet iſtam codicum diſcrepantiam obſervarint, Judæos hoc crimine fuiſſe notatos. Verum etiamſi iſtud cenceſſerimus, cum & Auguſtinus palam profiteatur ignorare ſe hujus diſcrepantiæ cauſam, nihil tamen exin confici poſſit, niſi obſervatum quidem fuiſſe facinus hoc ab antiquis ſcriptoribus, verum illos facinoris ignoraſſe cauſam. Neque bona neque mala

ſemper opera ſimulac fiunt ſtatim innoteſcunt. Seculis ſæpe opus eſt antequam clareſcant fraudes & emergat veritas. Non defuiſſe tamen etiam olim, qui depravationis hujus reos peragant Judæos, ex Juliano facile cognoſcas Pomerio. Sed & ex illis quoque Judæis qui ad Chriſtianos ſe contulerunt, uti ex Hieronymo à S. Fide & compluribus aliis idem ſatis intelligas. Plerique quoque Arabes hoc præcipue ad convincendos Judæos utuntur argumento. Sufficiant vel ſola Abulpharaii verba quæ non pigebit integra, uti ea reddidit doctiſſimus Pokockius, adſcribere; unde facile colligat P. Simonius non me unum eſſe, qui affirmarim depravatos à Judæis fuiſſe codices ſacros. *Ab initio mundi uſque ad Meſſiam ſecundum computum qui in manibus Judæorum eſt, anni ſunt fere quatuor mille ducenti viginti. At ſecundum computum legis ex verſione* LXX, *quæ in manibus Græcorum & reliquarum inter Chriſtianos ſectarum exceptis Syris, anni fere quinquies mille quingenti octoginta ſex: deficiente computo priori à ſecundo annis mille trecentis ſeptuaginta quinque: qui defectus adſcribitur doctoribus Judæorum. Nam cum prænuntiatum eſſet in lege & prophetis de Meſſia, miſſum iri ipſum ultimis temporibus, nec aliud eſſet Rabbinis antiquioribus commentum quo Chriſtum rejicerent, quam ſi hominum ætates, quibus dignoſceretur mundi Epoche mutarent, ſubtraxerunt de vita Adami, donec naſceretur Seth, centum annos, eoſque reliquæ ipſius vitæ addiderunt: idemque fecere in ritis reliquorum Adami, filiorum uſque Abrahamum; atque ita factum eſt ut indicet ipſorum computus manifeſtatum eſſe Chriſtum millenario quinto, prope accedente ad medium annorum mundi, qui omnes ſecundum ipſos futuri ſunt ſepties mille; dixeruntque, Nos adhuc in medio temporis ſumus, & nondum adeſt tempus adventui Meſſiæ aſſignatum. At computus* LXX *ſeniorum indicat manifeſtatum eſſe Chriſtum millenario ſexto, atque adfuiſſe tempus ipſius.*

Clara

Clara & manifeſta hæc & talia niſi fallor, ut etiam cujuſvis oculos animumque oportune feriant. Videamus nunc quid ad hæc P. Simonius; dicit quod meo meipſum jugulem gladio, cum ob res Chronologicas Judæos falſitatis reos facio, quandoquidem hodierna codicis Hebræi Chronologia Judæos longe magis urget, quam illa LXX interpetum agnoſcere enim Judæos tranſiiſſe jam tempus adventus Meſſiæ, ſed addunt illum propter eorum iniquitates non adveniſſe. Quis non miretur liberalitatem P. Simonii qui tanti roboris promittat argumentum ut eo omnes conficiat Judæos; quod tamen ipſe paulo poſt velut nullius momenti & futile otioſi alicujus magiſtri commentum explodat? Ridet me quod dixerim à Judæis vaticinium hoc de duratione mundi Eliæ prophetæ attribui, cum tamen de eo antiqui non dubitarint Rabbini, & ne nunc quidem dubitent, dummodo & illius eſſe admittantur illa quæ ſequuntur verba; *Sed propter peccata noſtra præterierunt anni qui præterierunt.* In Thalmude prolixe narratur congreſſus Judæorum cum Hieronymo à Sancta Fide Rabbino Hiſpano, ſed ante trecentos fere annos facto Chriſtiano. Adfirmabat ille poſtrema hæc quæ attulimus verba, eſſe additionem magiſtrorum. Negabant Judæi, ſed convicti, tum demum reſpondent; *Non certo conſtare an hic Elias ſit propheta ille antiquus, an vero alius quidam Rabbi. Veriſimili eſſe, fuiſſe alium Rabbi.* At vero P. Simonius in gratiam Judæorum ipſis Rabbinis Rabbinior, audacter affirmat hunc Eliam fuiſſe Rabbinum, & hac ratione deſtruit prophetiam ex qua multo fortuis paulo ante dicebat poſſe urgeri Judæos, quam ex Chronologia LXX interpretum. Sed ſibi ſervet P. Simonius, ſibi quoque ſervent Judæi quæ iſtiuſmodi conditionibus ad roborandam fidem noſtram largiuntur argumenta. Tuto tali beneficio carere poſſit Chriſtiana reſpublica. Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα.

Adjecta porro à Rabbinis fuiſſe ea quæ diximus verba, nemo qui aliquo prædictus ſit judicio, negaverit ut puto.

Ipſa id ſatis teſtatur phraſis, cum Eliæ vaticinium Chaldæo, additamentum vero Hebræo ſit expreſſum ſermone. Totum quoque perit vaticinium, ſi poſtrema admittamus verba, ita enim fiet ut tempus legis non ſit bis mille annorum ſed quatuor millium.

Quam vero recenter hæc verba addita ſint, ſatis intelligi poteſt ex alio Thalmudis loco ubi clauſula hæc ſic concipitur; *propter peccata noſtra quæ multa ſunt, præterlapſi ſunt ex iis anni ſeptingenti quatuordecim.* Sed neque in ſcripto Hieronymi à S. Fide reperitur hoc additamentum, ut merito aliquis ſuſpicari poſſit ſero demum clauſulam hanc fuiſſe aſſutam, & Judæos non admodum bona fide iſtam deſcripſiſſe diſputationem. In hoc ipſo vaticinio bis mille annos, qui dicuntur ante legem effluxiſſe, accipiendos eſſe monui de tempore quod à diluvio ad Moyſem & legem latam interceſſit. Non Apoſtolus tantum, ſed & pleræque Orientis gentes, quæ aliquam diluvii habent cognitionem, ſic loquuntur, mundi initium à diluvio arceſſentes aut à Noacho, quem Adamum ſecundum aut abſolute etiam Adamum appellant. Verum P. Simonius hæc tanquam frigida explodit, quia ſenſum habent & quidem valde bonum & veritati convenientem. Quid enim clarius eo, ab inſtaurato mundo & reparatione generis humani, id eſt à Noa uſque ad legem ſive Moyſem numerari bis mille annos. A Moyſe ad Chriſtum iterum bis mille annis. A Chriſto uſque ad conſummationem ſeculorum totidem? P. Simonius qui nihil amat, niſi quod diſtortum ſit, & cui ſolemne eſt prophetias in nihilum redigere; per legem dicit hic intelligi tempus iſtud quo Abrahamus relictis idolis ad veri dei cultum acceſſit. Pro Elia propheta ſubſtituit nugatorem aliquem Rabbinum. Hoc pacto ſubverſo penitus vaticinio, ita ut neque principium, neque medium, neque finis ullam certam & determinatam habeant ſignificationem: perſuadere tamen conatur ad convincendam Judaicam Chronologiam

ſeſe

ſeſe mirificum conferre beneficium. Verum ſiquis Judæos hac ratione aggrediatur, ludibrio erit & nihil niſi riſum referet, jubebuntque expectare, donec ſextus exſpirarit millenarius, præſertim ſi & clauſula admittatur.

Quæ deinceps ſequuntur legant qui velint, neque enim aliquid iis ſolidi ſubeſſe exiſtimo. Nam quale eſt iſtud, quod & illos quoque codices, quibus LXX uſi fuere interpretes, mutos fuiſſe adfirmet? Sed vero interpretes illi antiqui ſuperſtite etiamnum lingua Hebræa legere & intelligere mutos iſtos norant codices, quos hodierni Judæi nec legere, nec intelligere ſe poſſe unanimiter fatentur. Cap. XVI. dicit me fœde erraſſe in locis Juſtini Martyris aliorumque patrum, idque ſe alibi demonſtraſſe. Ubinam rogo? Somniabat profecto P. Simonius cum hæc ſcriberet.

Pergit dein eodem capite Rabbinicum diſtringere enſem; & me, licet non aſſuetum vanis & inanibus cedere minis, jamdudum latebras quærere affirmat; quia nempe dixi non recte locutum eſſe Hieronymum, cum LXX non prophetas, ſed interpretes fuiſſe ſcribit. *Nam*, inquit, *Hieronymo optime vocis hujus proprietatem notam fuiſſe, quandoquidem animadvertit poetam Græcum à Paulo prophetam vocatum fuiſſe*, at vero Hieronymus hunc Pauli locum fuſe explicans. Affirmat Epimenidem per illuſionem & ironiam ab Apoſtolo vocari prophetam. Judicet ergo Simonius, egone, an vero ipſe proprio ſeipſum jugulet gladio. Pergit tamen, *me ad objectiones nuperæ criticæ ſacræ cuneos captantem ubique tergiverſari.* Scio ſit cuneus, ſed quid ſit cuneos captare, neſcio an quiſquam prophetes divinaverit.

Dicit poſtea; *ſe fuſe oſtendiſſe, quæ fuerit de præſenti negotio B. Hieronymi ſententia, quæ Voſſio latuit.* Sic loquitur. Sed valde mirabitur Voſſius. ſi quidquam hac de re ſcripſerit Simonius, quod Voſſium latuerit. Dein carpit me ac ſi dixerim præcepta grammatica à Judæis

ante

ante ſexcentos demum annos fuiſſe compilata, cum nongentis ut affirmat annis ſint antiquiora. Verum nuſquam tale quid dixi, ſed puncta vocalia Judæorum non excedere ſex ſeculorum ætatem pluribus in locis monui. Grammatica vero præcepta dixi ante undecim minimum ſecula fuiſſe introducta.

Quod autem ſcripſi in Ægypto Syriaque tempore Apoſtolorum ſolam linguam Græcam fuiſſe vernaculam; excipit P. Simonius; *Imo præter linguam Græcam in Ægypto audiebatur lingua Coptica, in Syria Syriaca & in Judæa Judaica ſeu Chaldæo Syriaca.* Fallitur P. Simonius, cum ne nomen quidem Copticæ linguæ exſtiterit, antequam Arabes potirentur Ægypto. Ipſa quin etiam id ſatis teſtatur lingua, quæ tota ex Græco & Arabico conflata eſt ſermone. Sed & tum quoque fallitur cum Judaicam à Syriaca diſtinguit, cum neutra Hieroſolymis fuerit vernacula. Verum plura de his poſtea.

Negat P. Simonius riſum ſe poſſe continere quod dixerim δὶπρώσεων ſeu traditionum pleraque monumenta quibus uſi fuere Judæi jam à temporibus Chriſti & diu antea, uſque ad id tempus quo Hebraice ſcribere cœperunt; Græco fuiſſe concinnata ſermone: ſed per me licet ut quantum velit ſibi placeat P. Simonius; caveat tamen ne intempeſtivo riſu ipſe fiat ridiculus. Debuiſſet oſtendere, ſi non Græco, quo demum ſermone conſcriptus fuerit liber ille traditionum ſeu δὶπρώσεων cujus mentionem facit Juſtinianus, cum in toto imperio Romano Græca, non ulla alia Judæorum vernacula fuerit lingua. Quocunque ſe vertat, nullum P. Simonius inveniet effugium, niſi ex oralibus, ut vocant, ſcriptum hoc compilatum fuiſſe dixerit traditionibus. Atqui iſtas merito explodunt prudentiores Rabbini, & liber Cozri pleraſque orales periiſſe affirmat traditiones. Supereſt itaque, ut ſi quæ ſcriptæ extiterint traditiones, omnes eæ Græco fuerint expreſſæ ſermone. Et ſane ecquis dubitet traditiones Hebraicas Hieronymi

ronymi in Geneſin & reliquos S. Scripturæ libros è Græco fuiſſe tranſlatas ſermone? Ipſum quoque δευτερώσεων nomen an non clare ſatis Græcam teſtatur ſcriptionem? Verum ut cognoſcamus quiſnam iſte δευτερώσεων ſeu traditionum fuerit collector, unde tam multa Origenes, Hieronymus & alii ex antiquis patribus hauſerunt; ſufficiat examinaſſe verba Juſtiniani, quæ non patiuntur ut primus traditionum diutius lateat compilator Aquila. Juſtinianus ergo novella CXLVI, poſtquam Judæis legendi in ſuis Synagogis verſionem Aquilæ conceſſit licentiam, ſine mora ſubjungit; τὸ δὲ παρ' αὐτοῖς λεγομένην δευτέρωσιν ἀπαγορεύομεν παντελῶς, ὡς τῆς μὲν ἱερᾶς οὐ συναναειλημμένην βίβλοις, οὐδὲ ἄνωθεν παραδεδομένην ἐκ τῶν προφητῶν, ἐξεύρεσιν δὲ οὖσαν ἀνδρῶν ἐκ μόνης λαλουμένων τῆς γῆς καὶ Θεῖον ἐν αὐτοῖς ἐχόντων οὐδ' ὅν. Antiquus harum Novellarum interpres δευτέρωσιν hoc in loco reddidit *ſecundam editionem*. Vulgo tamen hoc reprehendunt, ſed an ſatis bene, ipſi viderint. Secunda enim editio Aquilæ, quam Judæi κατ' ἀκρίβειαν factam contendebant, non tantum δευτέρα παράδοσις, ſed & δευτέρωσις vocabatur, ſcilicet ſecundum parœmiam δευτέρων ἀμεινόνων. Permittit itaque Juſtinianus ut Judæi in Synagogis legant primam Aquilæ tranſlationem non item ſecundam, utpote in qua omnia de Chriſto vaticinia penitus fierent irrita. Iſtam autem δευτέραν Aquilæ ἔκδοσιν dictam fuiſſe δευτέρωσιν, ſatis clare docet Anaſtaſius Sinaita in Ὁδηγῷ, addens illam continuiſſe ἡ ὁρωδὴς περὶ ἑβδομήκοντα ἑρμηνευτῶν τὴν ἀναίρεσιν καὶ τὴν θείαν λόγων κατάλυσιν. Unde facile conficias recte vertiſſe veterem Novellarum interpretem, nec audiendos eſſe Druſium, Morinum & alios, qui id ipſum negant. Non eſt itaque dubitandum quin ſecunda Aquilæ editio dicta fuerit δευτέρωσις. Verum obſtat quod mox addit Juſtinianus, cum ſcribit iſtam δευτέρωσιν ſeu ſecundam editionem continuiſſe multas traditiones non ſcriptas, ſed ore tantum propagatas, & quod Anaſtaſius non uno loco Severi

veri monophyſitæ ſcriptum comparet δόυπρώσει, & traditionibus Aquilæ. Ut itaque totam rem conficiamus, neceſſum eſt ſecundam iſtam Aquilæ editionem, non tantum ſacrorum librorum continuiſſe verſionem, ſed & commentariis ſeu annotationibus margini adſcriptis fuiſſe inſtructam, ex Judæorum traditionibus ab eodem compilatis Aquila. Nec dubito quin magnam Hebraicarum traditionum partem exinde deſcripſerit Hieronymus. Iſtas vero Aquilæ traditiones Hebraice fuiſſe converſas & ex illis deſumtum & conformatum eſſe librum Miſna, licet ex iis quæ jam diximus ſatis verſimiliter colligi poſſit, ut tamen certius id ipſum cognoſcamus, hoc quoque addo. Poſt Moyſem & prophetas primas δόυπρώσεις ſeu traditiones Judæi adſcribunt Rabbi Akibæ, ut non uno loco teſtatur Epiphanius. Sed & recentiores Rabbini unanimiter fatentur quicquid δόυπρώσεων ſeu traditionum hodie ſupereſt, beneficio Rabbi Akibæ ad ſe perveniſſe. Ipſum quoque Miſnæ ſcriptum id ſatis declarat. At vero Aquilam proſelytum interpretem ſcripturæ & collectorem δόυπρώων omnia à R. Akiba hauſiſſe neceſſe eſt, utpote cujus fuiſſe diſcipulum teſtatur Hieronymus ad Eſaiam cap. VIII. Ad compeſcendum P. Simonii hæc ut puto ſufficient riſum.

Nonnulla deinde S. Scripturæ profert loca, ut oſtendat B. Hieronymum aliquando bene, aliquando male LXX reprehendiſſe interpretes. Recte ab eo notatos exiſtimat in loco Eſaiæ cap. v. v. 17. ubi Judaicas Aquilæ & Symmachi ſecutus verſiones, dicit ſeſe neſcire quid ſibi voluerint LXX interpretes, cum pro agnis tauros, & pro advenis agnos poſuerint. Verum ipſe Hieronymus ſui immemor & ſeſe corrigens ſic tandem deſinit; *Pulchre juxta* LXX *direpti ſunt atque vaſtati & ducti in captivitatem quaſi tauri, de quibus dominus dixerat, tauri pingues obſiderunt me, ut loca taurorum occuparent agni.* Sed verba Græca ad verbum reddita ſic ſonant; *Paſcentur ſpoliati ut tauri; deſerta ve-*

ro

ro ereptorum agni comedent. Comminatur vero propheta Judæis, pinguia pascua quæ ipsi eripuissent gentibus, reditura iterum ad gentes, quæ velut feroces tauri illa occupent; jejuna vero & deserta loca similiter erepta gentibus, & illa quoque reditura ad priores dominos & cessura lanigeris gregibus. Hebraica conveniunt præsertim si in voce כרבלם pro daleth ponatur aleph ut Capello placuit, quamvis & alterum retineri & ad idem reduci possit. מחם non ad radicem מוח sed ad בחה referendum. אלים sunt ἄρνες, ϑοσκήματα, πρόμματα; à קול πέφειν, βόσκειν.

In loco Esaiæ qui occurrit Esaiæ IX, dicit omnia aperta esse in versione Aquilæ & Symmachi, quam secutus est Hieronymus, quum LXX interpretum versio vix intelligi possit. Sed cum Hieronymus utriusque versionis sententiam exponat, velim veritatis amantes ipsum adeant Hieronymum, ut videant quantum laboret, in emendo istorum verborum sensu, *primo tempore alleviata est terra Zabulon & terra Nephthalim, & novissimo aggravata est via maris trans Jordanem Galileæ gentium.* At vero quam pulchra & Evangelicæ historiæ conveniens sit illa expositio, quam ad mentem LXX adfert interpretum, facile perspiciet, qui bona à malis norit distinguere. Prudenter tamen fecit Hieronymus, quod in expungendo Galileæ nomine non secutus sit Aquilam & Symmachum, rectius tamen facturus, si totum illorum contemsisset interpretamentum.

Quod recte LXX interpretes ab Hieronymo reprehendi existimat Simonius, quum eodem cap. v. 6. dicit illos omisisse quæ in Hebræo codice leguntur, & apposuisse quæ non habentur, & tum quoque cum Hieronymo insigniter fallitur. Quod enim in Hebræo est מלא דעץ אל id ipsum quam fidelissime reddidere μεγάλης βουλῆς ἄγγελος, & sic quoque vetus Latina versio *magni consilii angelus.*

Circa finem cap. x. apud Eſaiam falſum eſſe dicit Hieronymus id quod LXX poſuere, neque enim Rama, ſed Gabna fuiſſe civitatem Saulis. Sed omnino ipſe errat Hieronymus, quando urbem Saulis putat eſſe epitheton τῷ Ράμᾳ, quippe urbs Saulis eſt periphraſis Gabaæ & cum ſequentibus conſtrui debet. Siquis exiſtimet rectius interpretaturos fuiſſe ſi vertiſſent Gabaam Saulis, non recte ſentiet, cum Græcus ſermo non amet iſtud loquendi genus. Sed neque bene reddidiſſent, ſi *collem Saulis* poſuiſſent, & collem pro urbe nominaſſent. Vana eſt itaque Hieronymi reprehenſio. Contrarium huic commiſit errorem, cum in Evangelio Rama non de urbe ſed de excelſo colle accipi debere contendit, qua ratione nobilis alias prophetia in nihilum pene redigitur.

Pergit P. Simonius & oſtendere conatur Hieronymum de lingua LXX interpretum longe aliter ſenſiſſe, atque ipſe ſentiam, cum prorſus Græcam eſſe affirmavi. Ut hoc conficiat mirifico ſane utitur argumento. Adfert enim locum ejus ex XIV. cap. commentariorum ad Eſaiam, ubi ſcribit gioram, quod LXX habent interpretes, Hebræam ſeu Syriacam eſſe vocem, non Græcam, licet nonnulla ſic exiſtimarint, ac ſi ex γῆ & ὦρα id eſt φροντὶς ſeu ſollicitudo eſſet conflata. Recte quidem Hieronymus Hebræam eſſe dicit hanc vocem, & perſtringit eos qui Græcum huic adſignarent etymum, quod tamen peritiores non ab ὦρα φροντὶς, ſed ab ὠρεῖν, φυλάττειν formabant, ac ſi γειτῶρες iidem fuiſſent qui γεωφύλακες. Sed quomodo P. Simonius exinde concludit verſionem hanc non eſſe græcam? An quia in Evangeliis complura Hebræa occurrunt vocabula, ideo definunt eſſe Græca? Si exiſtimat rectius & Græce magis interpretaturos fuiſſe LXX, ſi περιτμητον reddidiſſent, & tum quoque fallitur, nam neque περιτμητος eſt ſatis Græcum, utpote à Judæis parum analogice formatum vocabulum. Præterea multo latius patet proſelyti vox quam gioræ. Qui enim mixti eſſent

generis

generis & ex matre Judæa, patre vero gentili seu contra nascerentur, illi proprie dicebantur gioræ. Proselyti vero à Judæis dicebantur quotquot inter illos versabantur peregrini. Ex illis nascebantur gioræ. In tertia demum generatione civibus Judæis accensebantur. Quamvis ut plurimum proselyti seu προσήλυτοι cum circumcisione religionem quoque amplecterentur Judaicam, tamen etiamsi id non fieret, erant tamen proselyti, ut multis potest ostendi exemplis, cum vox hæc licet late admodum pateat, in legitima tamen significatione accepta, advenam seu peregrinum simpliciter notet.

In loco Esaiæ cap. IX. ubi legitur *mortem misit Dominus in Jacob*, & iterum cap. XXIV. cum dicit, *labefactum iri lateres & lapsurum murum*; quanto melior sit Græca versio quam istud quod ex Judaicis interpretibus reposuit Hieronymus, opus non est ut moneam, cum sequentia satis id ipsum ostendant.

Verba dein affert Hieronymi ex Josepho affirmantis LXX interpretes solos quinque Moysis libros Græce reddidisse. Sed nusquam hoc scripsit Josephus, verum ille legem tantum eos vertisse affirmat, quo nomine totam Hebræam scripturam intelligi adeo claris ostendimus argumentis, ut nihil quod opponat habeat P. Simonius. Quod vero subjungit mihique tribuit, ac si credam LXX. interpretes in libris obscurioribus, veluti Jobi & proverbiorum, magis accuratos se ostendere, id nunquam vel scripsi vel cogitavi, utpote qui certo sciam eos ubique optimorum interpretum adeo bene functos esse munere, ut si vel unum saltem qui non recte ab illis expressus sit reperturum se P. Simonius speret locum, frustra semper sit laboraturus etiam mille vixerit annis.

Ille quoque qui statim postea adducitur locus ex cap. XXVII. Ezechielis *filii Rhodiorum*, perperam ab Hieronymo reprehenditur. Dedan enim nullum hic potest habere locum, utpote de quo ejusdem capitis v. 20 agatur. Nul-

li præterea in Arabia elephantes, nec ullum Dedanitis cum Indis commercium. At vero ebur & eburna ſupellex, quæ à Rhodiis, qui tum Phœnicibus parebant, Tyrum deportabatur, illa non ex Indicis, ſed ex Libycis erat dentibus. Neque enim aliud quam Libycum ebur antiquiores norant Græci. Rhodiorum autem quantum in Libyco littore olim fuerit commercium, vel exinde conjiciat aliquis, quod & ipſa quoque Pharus illorum fuerit tributaria inſula, ut ex Ammiano cognoſcas. Illuc enim ut nunc, ita quoque olim Libyes ebur venale deferebant. Recte itaque LXX interpretes. Sed & Hebræi codices initio Paralipomenon recte habent Rhodanim. Male vero in iiſdem Hebræis codicibus x Geneſ. v. 4. Dodanim vocantur hæc Javanis poſteritas, cum Rhodanim verum ſit, uti etiam habet Samariticum exemplar.

Capite XXIV Numerorum in prophetia Balaami ubi Agag legitur pro Gog, & hoc quoque quam inepte factum ſit ſatis oſtendimus in appendice ſcripti de LXX interpretibus. Lectionem horum interpretum confirmat codex Samariticus. Perit prophetia ſi Agag legamus. Per Gog vero & Magog ut alibi, ita quoque hic intelligitur plenitudo gentium in Chriſtum credentium.

Tranſeamus nunc ad XVIII caput, quo P. Simonius ea, quæ de ordine & conſtitutione hexaplorum & tetraplorum Origenis ſcripſi, conatur refellere. Monueram ut ab Epiphanio ſibi ipſi contradicente & ab aliis qui eum ſecuti ſunt ſibi caveret; ille tamen neglecto ſalubri quod dederam conſilio, dum erranti Epiphanio ejuſque interpreti credit Petavio, mavult ſeipſum turpiter exponere, quam recte ſentientibus ſuffragari. Ecquid enim clarius teſtimonio Euſebii in hiſtoria Eccleſiaſtica ubi de Origene agit, cum hexapla dicta eſſe affirmat, quod ſex continerent verſiones, tetrapla autem quod quatuor; Conſulat ad illum locum præſtantiſſimi viri Henrici Valeſii annotata & deſinat nugari. Nihil illum juvant ſchemata quæ appoſuit Petavii, cujus ſententiam merito explodit idem Valeſius. Ad

Ad ſæpius dein iteratas P. Simonius relabitur ineptias, & Origenem ne per ſomnium quidem de Samaritico unquam cogitaſſe dicit codice, & mentitum fuiſſe Africanum, qui non uno in loco ætates Patriarcharum ex Samaritico codice prototypis Hebræorum literis exarato, fideliter ſe deſcripſiſſe teſtatur: cum teſte Simonio, non ipſos codices, ſed Græcam ſolum viderit verſionem, de qua ſcilicet intelligi debeant pleraque patrum loca, quoties ad Samariticum remittunt exemplar. Siquis cauſam quærat quamobrem pulchra iſtiuſmodi nugamenta commentus fuerit P. Simonius, nullam profecto aliam inveniet, niſi ut excluſo Samaritico, ſua concinnaret octapla. Eadem illam impulit ratio, ut quantumvis clara & manifeſta ſint verba Euſebii cum dicit Origenem ſibi quoque comparaſſe ea Hebraica exemplaria, quæ prototypis Hebræorum eſſent deſcripta literis, negat tamen de Samariticis ea eſſe accipienda codicibus. Adeone ergo ineptus fuit Euſebius, ut poſtquam dixit Origenem Hebræam quoque addidiciſſe linguam, tanquam rem magnam addat, illum quoque Hebræum ſibi comparaſſe exemplar ubique inter Judæos obvium? At vero ſi rectam ſequamur interpretationem deſinit hæc balbuties: dicit enim Euſebius Origenem non contentum Hebræis codicibus quibus Judæi utuntur, comparaſſe ſibi etiam exemplaria, quæ apud Samaritas proſtarent. Nec contentum ſimiliter ſola LXX. interpretum tranſlatione. alias etiam inveſtigaſſe verſiones, quibus hexapla ſua inſtrueret. Ut hæc tam manifeſta eludat, mirifica ſane comminiſcitur P. Simonius; Origenem ne per ſomnium quidem unquam de Samaritico cogitaſſe exemplari; & tamen pagina ſequenti contrarium dicit & fatetur Origeni non ignotum fuiſſe codicem Samariticum. Africanum mentitum eſſe cum toties ad antiquum & prototypis Hebræorum exaratum literis Samariticum provocat exemplar: hujus enim verſionem Græcam tantum conſuluiſſe, ac ſi illa verſio Græca prototypo Samaritarum ſcripta eſſe potuerit cha-

charactere. Nequis autem miretur Africanum, virum Syriacæ, Chaldaicæ & Arabicæ linguæ peritiſſimum in dignoſcendis literis turpiter adeo cæcutiiſſe, affirmat Paulo poſt eodem capite etiam Juſtinum Martyrem in dialogo contra Tryphonem adeo miſere hallucinatum fuiſſe, ut verſionem Græcam Aquilæ crediderit eſſe ipſiſſimum Hebræum exemplar. Sed mos ſcimus non Juſtinum, ſed Simonium miſere hallucinari & non intellexiſſe verba hujus Martyris. Verum & hoc quoque mirificum, Africanum quidem prototypas Hebræorum literas vocaſſe Samariticas, non item Origenem, utpote qui prototypas Hebræorum literas Judaicas eſſe affirmarit, ſi Euſebii verba ita ut Simonius vult accipiamus. Denique & hoc quoque quis expediat, Samariticum exemplar ut vocat Africanus vel verſionem ut loquitur Simonius, habuiſſe quidem Africanum; Origenem vero, quem dilectum ſuum Africanus nominat filium non habuiſſe. Si quæras quorſum omnia iſtæc commenta, quorum ne unum quidem poſſit adſtruere P. Simonius, ratio eſt manifeſta, nempe ut evincat hexapla non à ſex appellata fuiſſe verſionibus, ſed ea vere octapla fuiſſe, & ſic dicta fuiſſe ab octo columellis, quas ipſe ſemper columnellas vocat, ut hac ſcilicet ratione Samaritica exulet Scriptura. Sed profecto longe rectius fecerit P. Simonius, ſi miſſis tot errorum ambagibus, deſinat vexare antiquorum patrum ſcripta, illoſque admittat ſenſus, qui primo ſtatim ſeſe offerunt aſpectu. Si enim ſingula perſequi velimus, nullus erit ineptiarum modus. Nam quale eſt iſtud quod Africani verba decurtata, quæ mirifice torquere conatur, è Chronico producat Euſebii? Debuiſſet Syncellum conſulere, qui integra verba & integros Africani profert ſenſus, quique paſſim Euſebium, quia id non fecit, reprehendit. Sed non videtur Syncellum vidiſſe P. Simonius, cum negat Africanum codices conſuluiſſe Samariticos. Pejus etiamnum facit, ſi viderit & diſſimulet.

Paulo

Paulo poſt dicit Aquilam ad amuſſim & longe melius quam cæteri interpretes Hebraica reddidiſſe. Ita quidem Judæi, nec tamen omnes: at vero nemo unquam hoc dixit Chriſtianus. De ordine vero & ratione quam in digerendis hexaplis & tetraplis tenuit Origenes, meliora & exactiora ſunt multo quæ H. Valeſius, quam quæ P. Simonius congeſſit.

Paulo poſt eadem pagina & ſequenti dicit Origenem ingens iſtud hexaplorum opus *ſub unam repræſentaſſe lineam.* Atqui cum opus iſtud Origenis dextra, ſiniſtra, ſurſum deorſum plurimis & pene infinitis conſtaret lineis, quomodo ſub una potuit conſpici linea? Auctor ſim P. Simonio ut pleraſque iſtas de hexaplis & tetraplis obſervationes mittat in crucem, ubi demum una & recta fiant linea.

De hodiernis, aut etiam illis verſionibus quæ ante non multa ſecula à Chriſtianis aut aliis fuere concinnatæ, per me licet ut P. Simonius ſentiat prout velit. Nihil illæ ad LXX interpretes & ne ad me quidem, qui ſolam illam quam & Chriſtus & Apoſtoli approbarunt & tradiderunt ſequor verſionem.

Excutiamus nunc ſequens opuſculum quod caſtigationes P. Simonii ad ſcriptum de Sibyllinis oraculis & vindicias ſimul priorum continet objectionum, ut cognoſcamus verumne ſit, quod ipſe adfirmat, ſcribere me de rebus parum mihi cognitis.

Ac primum quidem illud demiror quod cum ſibi ipſe non ſufficiat P. Simonius, & tam male ſe defendat, ut errores ſemper erroribus accumulet; alienæ tamen opem ferat nequitiæ & patrocinetur nebulonibus. In epiſtola præfixa ſcripto de Sibyllinis adduxi verba Hieronymi, ut opus non ſit ea hic repetere. Adduxi quoque verba ab iſtoc homine nequiter interpolata. Monui conſuluiſſe me complura exemplaria manu exarata, & in omnibus inveniſſe ſcripturam convenientem cum editis, niſi quod *apponunt*

nunt habeant pro *appungunt*, quam vocem nuſquam vel apud Hieronymum, vel apud quemquam Latinum invenias ſcriptorem. Vociferatur hic Simonius me Sibylliſtam & falſificum, utpote qui doctiſſimi patris verba minime intellecta pervertam: quin & mendacem vocat, utpote qui neget in ullis probæ notæ ſic legi exemplaribus. Sed compeſcat bilem bonus Simonius, qui nulla vel bonæ vel malæ notæ unquam Hieronymi inſpexit exemplaria; ſi enim conſuluiſſet, etiam in iis eam quam diximus inveniſſet ſcripturam. Quia vero poſtulat, ut ſignificem, ubinam inveniantur iſti codices, & hoc quoque libenter expediam. In bibliotheca itaque Sereniſſimi noſtri Regis duos inveni codices qui ſcriptum iſtud Hieronymi de traditionibus continent. Alterum exemplar exhibuit bibliotheca Collegii S. Trinitatis apud Cantabrigienſes. Inter meos vero libros habeo unum pervetuſtum, & alterum ab amico conceſſum, quod etiamnum penes me ſervo. In omnibus autem quos recenſui membranaceis libris *apponunt* non *appungunt* conſtanter ſcriptum inveni. Et tamen me falſarium vocat P. Simonius. Quærit quis ſenſus ex verbis Hieronymi erui poſſit, ſi iſtam ſequamur lectionem? Quamvis librorum ſcriptorum lectio melior ſit & magis Latina, tamen ſive hanc, ſive illam ſequaris, adeo planus eſt ſenſus, ut illum vel ſemifatui facile intelligant. Ad locum Geneſeos ubi Lothus dicitur inſcius cum ſuis concubuiſſe filiabus, dicit adſcriptam, appoſitam vel appictam fuiſſe hanc Rabbinicam annotationem, *quod rerum natura non permittat coire aliquem neſcientem.* Quis enim neſcit iſtiuſmodi difficultates paſſim moveri à Judæorum magiſtris, quas poſtmodum facile ſolvant, diſtinguendo inter ſobrios & ebrios, qualis erat Lothus? Velim nunc Simonius explicet ſenſum verborum Hieronymi, prout ab iſto depravata fuere nebulone, qui non dubitavit affirmare Hieronymum ibi mentionem facere punctorum irregularium, unde concludit ergo Hieronymo etiam nota fuiſſe regularia puncta. Indignatur

dignatur Simonius quod hominem istum nebulonem vocarim, ac si scelus sit res quasque propriis signare nominibus. Si bonus P. Simonius est patronus, tollat crimen, & cessabit approbrium. Frustra est cum dicit aliqua etiam puncta Hieronymo nota esse potuisse, oportet ut irregularium punctorum hoc in loco Hieronymum mentionem fecisse ostendat.

Quod Sibyllistam me vocet, æquo id sane fero animo, cum sciam fuisse Christianos, quos sub hoc titulo traduxit Celsus. Rectius facturum me putat P, Simonius, si inter Christianos & Judæos medius incedam, quia mediam in omnibus ipse maxime probat & commendat viam. Auctor itaque est mihi, ut ad semirabbinorum transeam castra. Ni enim id faciam, futurum inquit ut rideant Semirabbini, si quando in meis legant scriptis ne sex quidem effluxisse secula, ex quo primum usurpari cœperint puncta Judæorum vocalia. Sed ego Semirabbinorum & Simonii risum non moror. Dicit jam à nongentis annis usurpata fuisse istæc puncta & testem affert R. Saadiam Gaon. Iste autem Saadias floruisse dicitur anno 927 id est ante annos 756, quæ summa multum abest à nongentis annis. Libenter autem dederim istoc tempore innotuisse puncta Rabbinis, verum non id est quod quæritur, sed quando puncta vocalia Scripturis apponi cœperint. Græci habuere accentus jam ante bis mille annos: nullum tamen invenias Græcum codicem, accentibus notatum, qui non mille annis sit recentior. Arabes à quibus puncta sua accepere Judæi, pluribus quam ducentis & quinquaginta annis habuere puncta & apices, priusquam eæ Alcorano appingerentur. Ut itaque Simonius conficiat puncta istæc ante octo vel novem secula fuisse apposita, oportet ut vel unum tantæ vetustatis ostendat aut indicet exemplar. In sola Serenissimæ Christinæ Suedorum Reginæ bibliotheca, antequam ea Cardinali Mazarino & D. Gaulmino suos remitteret libros, plures quam septingentos He-

braicos manu exaratos numeravi codices, præter Syriacos, Copticos, Samariticos & Arabicos. In tanta tamen libraria ſupellectili, nullos comparebat codex Hebraicus quadringentis aut ut plurimum quingentis vetuſtior annis cui puncta adſcriberentur vocalia, uno excepto qui quod forma quadrata & in delicatiori eſſet exaratus membrana certiſſimo antiquitatis ſigno; contineret quidem vocales, ſed alio annotatas attramento, fatentibus id ipſum Manaſſe ben Iſrael & aliis duobus Rabbinis, qui Antwerpiam ſpectatum venerant. Cum libri illi magna ex parte ad Illuſtriſſimi Colberti migrarint bibliothecam, certus ſum ſiqui aut ad hanc, aut etiam ad illam Seguierii, & ipſam libris Hebraicis inſtructiſſimam, ſeſe conferant; facile mihi aſſenſuros, dummodo in tractandis membranis non adeo rudes & parum fuerint exercitati in dignoſcenda librorum ſcriptorum ætate non totis aberrent ſeculis. Accipiat hæc P. Simonius quomodocunque placuerit, rideat, indignetur, faciat quidquid velit; nunquam tamen ille codicem aliquem Hebræum vocalibus inſtructum inveniet, quem quinque eſſe antiquiorem ſeculis perſuadeat antiquariis. Quamvis autem apud Arabas integro minimum ſeculo vocalium adſcribendarum ſit antiquior ratio, nulli tamen reperiuntur Alcorani ſignis inſtructi vocalibus, qui ſexcentorum excedant annorum ætatem.

Pergit dein cavillari Simonius & verba mea pervertit, ac ſi puncta Hebræorum ex officina Bombergi primum prodiiſſe ſcripſiſſim. Quin & fabellas pluſquam Rabbinicas me fingere affirmat, quod ſcripſerim Danielim Bombergum, in finienda ut ipſe ſperabat Maſora, & alendis aliquot Judæorum centuriis, dilapidaſſe partrimonium ſuum. Veriſſima tamen hæc eſſe optime norunt Judæi Veneti, qui etiam ædes Bombergianas oſtendunt & loca ubi convenire ſoleret ſenatus Rabbinicus ex variis orbis locis convocatus præſidente Jacobo Chaim Afro Tunetano. Rideat P. Simonius iſtas

istas ædes perinde ac ædiculas LXX interpretum in Pharo, temperasset tamen ab inepto risu si Leonem Juda Mutinensem hæc coram referentem audisset. De impensis autem in edendis majoribus bibliis à Bombergo factis & immensis opibus quas in alenda tam numerosa Rabbinorum multitudine prodegerit, Præsertim postquam relicto præceptore suo Felice pratensi Judæorum factus est præda, licet multa scitu digna cognoverim ab avunculo Junio, cujus atavus erat D. Bombergus, libens tamen illa prætermittam, sufficient enim verba Scaligeri è Scaligerianis, *Bombergue qui estoit d' Anvers, & duquel le fils est venu a Venise, & la a tout consomme son bien, a si bien imprime les livres Hebreux! les Juifs corrigeoient & præsidebant a l'imprimerie. Il a imprimè des livres pour plus de quatre millions d'or. Il a imprime tant de belles bibles avec les Rabbins, trois foix le Talmud tout entier*, &c.

Dixeram ex Ignatii epistola ad Philadelphenses clare satis ostendi posse tempus quo primum Hebraicæ corrumpi cœperint scripturæ. Ridet & negat hæc P. Simonius & ipsissima ut jactat producit Ignatii verba, nihilque eorum quæ dixi iis contineri affirmat. Sed vero ego supinitatem miror Simonii, qui cum criticum se profiteatur pro vero & genuino Ignatio, spurii adducat verba Ignatii, è quibus tamen sensum conatur exsculpere legitimum. Ut itaque cognoscam quam turpiter errarit, ipsa adscribam Ignatii verba; Φλακαλῶ ἢ ὑμᾶς μηδὲν κατ' ἐριθείαν πράσσειν, ἀλλὰ κατὰ χριστομαθίαν, ἐπεὶ ἤκουσα τινῶν λεγόντων, ὅτι ἐὰν μὴ ἐν τοῖς ἀρχαίοις εὕρω, ἐν τῷ εὐαγγελίῳ οὐ πιστεύω· καὶ λέγοντός μοῦ αὐτοῖς, ὅτι γέγραπται, ἀπεκρίθησάν μοι, ὅτι πρόκειται· ἐμοὶ ἡ ἀρχεῖα ἔστιν Ἰησοῦς χριστός· τὰ ἄθικτα ἀρχεῖα ὁ σταυρὸς αὐτοῦ καὶ ὁ θάνατος, καὶ ἡ ἀνάστασις αὐτοῦ, καὶ ἡ πίστις ἡ δι' αὐτοῦ. Hæc sunt sincera Ignatii verba, prout concipiuntur in Florentino codice, nec quidquam in illis mutandum. Ἀρχαῖοις enim ut recte exponit Hesychius est τοῖς ἐξ ἀρχῆς φλαδεδομένοις. Sed & recte se habet πρόκειται, quod παρέκειται interpretatur

idem Heſychius. Ut tamen plenius verba Ignatii intelligantur, & ut ſciamus quam rationem in diſputationibus cum Judæis & ipſe & alii Chriſtianorum tenuerint, operæpretium erit de acceptione hujus vocabuli pauca præmittere. Græcæ LXX interpretum verſioni in iis voluminibus, quæ in Alexandrinam relata fuere bibliothecam, acceſſiſſe quoque Hebraica omnino conſtat. Quin ad illorum exemplum conſtructa fuerint complura exemplaria in quibus Græca & Hebræa junctim proſtarent, quæque in Synagogis diu etiam ante tempora Chriſti legerentur, de eo quoque nulla omnino ut dubitemus eſt cauſa. Jam vero quod vulgo, quamvis non ſatis Latine *textum* ſeu *contextum* vocant, id à Græcis paſſim dici τὸ κείμενον, & hoc quoque notum eſt ſatis. Verum in eo diſſentiebant Judæi à Chriſtianis, quod illis τὸ κείμενον abſolute poſitum Hebræi codicis verba ſignificet, & κεῖται idem illis ſit quod γέγραπται. At vero apud Philonem & Græcos patres τὸ κείμενον notat verba LXX interpretum, utpote ejuſdem auctoritatis & prorſus ἰσοδυναμοῦντα Scripturæ Hebraicæ. Judæi quibuſcum hic diſputat Ignatius id ipſum negabant, dicentes τὸ κεῖται, τὸ γέγραπται, ἀλλὰ πέφκειται Sive autem πέφκειται accipias pro πεφύκειται ut Heſychius; ſive notiori ſignificatione de re vulgo ubique obvia & omnium oculis expoſita; idem manet ſenſus, cum manifeſtum ſit agi hic de verſione LXX interpretum. Apud Epiphanium ubi de lemniſco loquitur eadem ratione vox πέφκειται accipitur de verſione Aquilæ, neque enim audiendus doctiſſimus Valeſius, qui πεφύκειται legendum cenſet. Πεφκειμέναι enim γεαφαὶ ſunt libri omnibus uſitati & omnium oculis expoſiti uti LXX interpretum verſio Chriſtianis, Aquilæ vero Judæis. Senſus autem verborum Ignatii eſt planiſſimus. Rogat Philadelphenſes nequid agant per contentionem, ſed in omnibus Chriſti doctrinam ſequantur. Audiviſſe enim ſe quoſdam dicentes, niſi ea quæ in Evangelio poſita ſunt inveniantur etiam in antiquis, id eſt Hebræis exemplaribus, ſeſe nolle credere

dere Evangelio. Reſpondet Ignatius ſcripta eſſe, eademque quæ in Evangelio, inveniri quoque in antiquis exemplaribus. Negabant Judæi dicentes in Hebræis non legi, ſed tantum in adjacente verſione: vel ſi alteram ſequaris expoſitionem, vulgo quidem legi, non autem in antiquis. Illis autem reſpondet Ignatius, ſibi pro incorruptis & inviolatis archivis ſeu exemplaribus antiquis eſſe Jeſum Chriſtum. Illi, velut ſummo Sacerdoti, credendum potius quam aliis Sacerdotibus. Ipſi commiſſa eſſe Sancta Sanctorum & arcana Dei. Ipſum eſſe portam patris per quam ingrediantur patriarchæ, prophetæ, apoſtoli & eccleſia. Evangelio itaque præcipue credendum, utpote per quod veteribus non tantum credamus Scripturis, ſed & vitæ æternæ fiamus participes. Omnia denique bona eſſe, ſi fides noſtra conjuncta ſit cum caritate. De loco Ignatii hæc dicta ſufficiant; quæ ideo lubentius monui, ut videant noſtri ſeculi homines quam diverſa primorum Chriſtianorum fuerit ratio, ſi cum Judæis congrederentur. In interpretandis Scripturis ſuprema illis lex erat Chriſtus. Solas quas LXX interpretes & poſtea Chriſtus & Apoſtoli tradidiſſent & commendaſſent admittebant Scripturas, Has ſolas ſinceras, incorruptas & illabatas eſſe affirmabant. Non Hebraica quam primus Hieronymus introduxit, ſed Evangelica ubique audiebatur & perſonabat veritas. Noſtro vero ſeculo ubique fere exulat hæc veritas: & cum olim Veteri Teſtamento crederetur propter Novum, nunc Novo non creditur, niſi quatenus cum litera convenit mortua, tradita nobis ab inimicis Evangelii. Ne ipſum quidem Chriſtum loquentem admittimus, niſi per os loquatur Rabbinorum. Sed redeamus ad P. Simonium.

Is itaque poſtquam multum ſe torſit in exponendo ſpurii Ignatii loco ad Eram ſe confert Hiſpanicam, & quamvis nihil habeat quod iis quæ ſcripſi opponat, quærit tamen ex quo Sibyllino hauſerim oraculo Judæos credere Meſſiam peregrinum ſen proſelytum fore. Miror P. Simonium.

monium neſcire id quod omnes quotquot toto reperiuntur orbe ſciunt & fatentur Judæi, quodque ex ipſis quoque Sacris clare adeo cognoſcitur literis. An non Ægyptiacæ ſervitutis tempore omnes Hebræi erant peregrini, proſelyti ſeu gerim? Si quis dubitet, audiat vel ipſum Deum loquentem, cum alibi, tum Exod. 22. 21. ubi LXX, προσήλυτον οὐ κακώσετε, ὅτι γὰρ προσήλυτοι ἐγένεσθε ἐν γῇ Αἰγύπτῳ. *Ne affligite proſelytum, nam & vos fuiſtis proſelyti in Ægypto.* Quomodo fieri poteſt ut nunc toto orbe diſperſi Judæi, non ſint peregrini, proſelyti ſeu gerim? Quomodo inter illos naſci poteſt Meſſias, qui & ipſe non ſit peregrinus aut proſelytus? Affirmant Rabbini etiam ſiqui Judæi Hieroſolymis vivant, eſſe tamen peregrinos etiam in propria patria, nec ceſſaturum eorum exilium ante adventum Meſſiæ. Nihil juvat Simonium quod dicit Judæos unanimiter credere Meſſiam fore Judæum ex Judæis, non peregrinum aut proſelytum. Cum enim etiam veri Judæi hoc tempore ſint ubique peregrini & proſelyti, neceſſum eſt talem quoque fore quicunque inter illos prodeat Meſſias. Itaque nihil aliud inde confici poteſt, niſi Meſſiam fore quidem proſelytum, ſed non proſelytum proſelytorum. Attamen neque in hoc conſentiunt Judæi, cum ut recte monet P. Simonius quoſvis ſibi faventes parati ſint pro Meſſia agnoſcere. Vidi pauperes è Polonia Judæos qui ſtipem porrigentes Meſſiæ nomine ſalutarent. Quamvis autem major Judæorum pars è Davidica ſtirpe Meſſiam proditurum exiſtiment, attamen novi qui & hoc quoque negarent. Memini Manaſſem ben Iſrael quod uxorem duxiſſet cujus atavus fuiſſet Don Iſaac Abrabanel, qui genus ſuum referebat ad Davidem regem, præſentibus multis affirmaſſe ex hoc conjugio proditurum Meſſiam; cui mox alter Judæus Maurus, poſſe id fieri reſpondit; Si enim Dominus Deus è lapide poſſit ſuſcitare filios Abrahæ teſte Thalmude, quidni etiam poſſit efficere ut è cucurbita naſcatur Meſſias. Sed Manaſſes illum nebu-

nebulonem vocabat quod verba Evangelii Thalmudi affingeret. Iſte tamen Maurus perſtabat poſſe è lapide Meſſiam naſci ſecundum Thalmudem.

Paulo poſt dicit Simonius Hegiram non Hebraicam, ſed vero Arabicam eſſe vocem; ſed fallitur cum æque Hebræa ſit ac Arabica. Ut enim apud Græcos & alias gentes, ita quoque apud Hebræos & Arabas, eadem vox fugam, exilium & peregrinationem ſignificat.

In illis quæ deinceps ſequuntur valde ſibi placet & ſibi applaudit P. Simonius. Elegantias & venuſtates promit mirificas, ſed quas ſine periculo & invidia cujuſquam intactas & illibatas ſolus poſſideat. Dicit me velle canonem Scripturæ novis locupletare prophetis. Comparat me cum Poſtello, homine non ſatis ſani ſincipitis, ſic tamen ut illum longe oculatiorem nugatorem, quam egomet ſim, fuiſſe affirmet. Dicit me LXXII & magno aliorum prophetarum ſtipatum agmine jamjam ad fundenda me accingere oracula. Ego vero licet propheta aut vates non ſim, ſi tamen ad vaticinandum compellar, auſim affirmare P. Simonium, niſi ſtylum vertat, ſolis ſemper placiturum ſemidoctis.

Multa dein congerit de apocryphis & millies dicta repetit, eorum vero quæ ad rem pertineant, cavet ſibi quam diligentiſſime. Quæſtio eſt qua ratione libri ſacri, reconditi, & non omnium uſui expoſiti, cum prius apocryphi dicerentur; poſtea factum ſit ut hæc vox in pravam detorta fuerit ſignificationem, ita ut apocryphi habiti fuerint pro ſpuriis aut dubiæ fidei libris. Cum ne unus quidem uſque ad tempora Aquilæ ex quocunque ſcriptore produci poſſit locus in quo vox hæc in bonam non accipiatur partem, dixi manifeſte exinde colligi poſſe Judæos fuiſſe, qui novam vocis hujus expoſitionem fabricarint, eo nempe conſilio ut deſtruerent auctoritatem librorum qui Vetus Teſtamentum cum Evangeliis connectunt, & ſimul illorum in quibus adventus Chriſti clarius quam ab antiquis annuntiaretur.

tiaretur prophetis. Tacet hic P. Simonius & cum nihil habeat quod poſſit reponere, quærit tamen unde iſtas hauſerim ineptias, ſeu ut ipſe loquitur *coglionerie*. Satis quidem verniliter, verum, ut puto, loco non ſatis convenienti. Ne itaque gratum & amicum P. Simonio vocabulum tam alieno & inconſpicuo poſitum pereat in loco, auctor ſim ut ad frontes & titulos ſuorum id transferat librorum, id enim ſi fiat, omnia recte & ſignificanter ſe habebunt.

Quæ deinceps habet P. Simonius talia ſunt ut nihil omnino ex illis erui poſſit, niſi id unum Simonium parum acrem eſſe diſputatorem. Dicit ſcribas qui res Hebræorum chartis committerent, & pleroſque magni Synedrii aſſeſſores prophetas fuiſſe & à ſpiritu ſancto afflatos. Cur ergo negat tales quoque fuiſſe LXX interpretes? Quod addit *ſed non fatidicos*, id rectius abeſſet, neque enim ſic Chriſtiani loquuntur. Quod vero non uno ſcribit in loco, auctorem me eſſe ut in Eccleſiis poſthac libri legantur Sibyllini & canonicis annumerentur ſcripturis, id nuſquam dixi. Magnæ quidem auctoritatis in primitiva eccleſia erant illi libri, cum & ab ipſo commendata Apoſtolo fuerit eorum lectio, ſed non inde ſequitur eſſe Canonicos. Verum negat id ipſum Simonius & mentitum fuiſſe exiſtimat Clementem cum dicit Paulum ad Sibyllæ & Hyſtaſpis libros, unde futurum Chriſti cognoſcant adventum remiſiſſe Chriſtianos. Vafros enim, id eſt ſubdolos & malitioſos priſcos fuiſſe dicit patres & imprimis Clementem Alexandrinum, ſi quando cum Judæis & gentilibus diſputarent. At ſic melius Judæi & gentiles quam Chriſtiani loquantur. Addit Clementem non eſſe errorum immunem. Scio quidem non deeſſe alios qui ſimiliter ſentiant. Oſtendendum illum erraſſe vel mentitum eſſe cum affirmat Apoſtolum commendaſſe lectionem Sibyllinorum & Hyſtaſpis. Interim colligantur errores Clementis. Id ſi fiat, auſim de plano affirmare illum ne in omnibus quidem toties erraſſe operibus, quoties vel in uno P. Simonius erraverit capite.

Iterum

Iterum ad Poſtellum & neſcio quas aliorum me relegat ineptias, ac ſi non ſufficiant Simonianæ. Multa dein habet de canonicis, apocryphis & hagiographis ſcripturis, quæ ſiquis excutiat, nullum tamen laboris & patientiæ ſeu fructum ſeu mercedem referet. Multos quidem citat tanquam teſtes, & ſane potuiſſet etiam centies plures producere, ſed nihil ad inſtitutum facientes, cum omnes Aquila ſint poſteriores. Debuiſſet vel unum aliquod ex antiquioribus Judæis vel Chriſtianis depromere teſtimonium, quo iſta Scripturarum diviſio quam commentus eſt Aquila, aut qui ejus ætate vixere Judæi, aliqua ſaltem ex parte confirmaretur. Verum ne unum quidem in illis invenias, qui vel canonicorum S. Scripturæ librorum, vel hagiographorum vel etiam apocryphorum eo quo vulgo exponunt ſenſu, fecerit mentionem. Altum apud omnes ſilentium, unde clare ſatis cognoſcas Aquilam primum fuiſſe qui diviſionem iſtam introduxerit, quem temere ſecuti ſunt non verpi tantum doctores, quos P. Simonius ſatis inepte recutitos vocat, ſed & multi è Chriſtianis. Quod dein Sixti Senenſis probet ſententiam dividentis S. Scripturas in libros protocanonicos & deuterocanonicos, nec in eo viros doctos conſentientes habebit, qui merito iſtiuſmodi contra uſum & naturam linguæ Græcæ conficta explodunt vocabula. Rectius multo faciemus ſi ab omnibus iſtiuſmodi abſtineamus diviſionibus & primorum Chriſtianorum & Judæorum veterum ſequamur exemplum, non Aquilam & Judæos poſteriores, qui ſolis Hebraicis totam Scripturam includunt libris: quorum ſi admittamus decreta, jam ne Evangelia quidem, præcipua Sacrarum literarum pars, & velut Sacri operis complementum & apex, libris erunt annumeranda canonicis. Sed negant quidam Evangelia ad vetus pertinere teſtamentum. Verum non ſunt Chriſtiani qui jubentibus Judæis Vetus à Novo avelli patiuntur teſtamento, cum prioris veritas & auctoritas tota pendeat ab Evangeliis. De intermediis libris, ſatis jam diximus.

In emendando gemino Hieronymi loco, ubi libros Tobiæ & Judithæ inter hagiographa ab Hebræis recenſeri ſcribit, ne in hoc quidem eruditorum ſuffragio donabitur P. Simonius. Putat nempe *hagiographa* iſtis in locis mutandum eſſe in *apocrypha*. Sed profecto criticæ periti norunt notiora vocabula à librariis non permutari ignotioribus. Si omnia quotquot reperiuntur antiqua conſulat exemplaria ubique conſpirantem cum vulgatis libris lectionem inveniet. Itaque manifeſtum eſt ineptam iſtam hagiographorum vocem latius apud Judæos interpretes patuiſſe, quam canonicorum, ut ipſi loquebantur, librorum appellationem, & duplicis apud illos generis fuiſſe hagiographa, alia quidem canonica, alia vero extra canonem, ſeu ἀναγόνιστα.

Pergit Simonius me non contentum novos procudere prophetas, novum etiam librorum S. Scripturæ velle introducere ordinem, utpote qui ex uno quinque faciam Moyſis volumina. Pentateuchum nempe ſeu quinque libros Moyſis totidem appellavi volumina. Ipſe vero hoc negat, nam quinque iſtæc volumina, unum tantum affirmat conſtituere volumen, quia hodierni in ſuis ſynagogis Judæi uno volumine omnes deſcribunt Moyſis libros. Quid ſi omnes S. Scripturæ libri ad unum redigantur volumen, ideone plura deſinent conſtituere volumina? Quin & Chriſti ætate idem factum fuiſſe cenſet P. Simonius, ut ſcilicet uno volumine totus deſcriberetur pentateuchus. Verum contrarium liquet ex hiſtoria Ariſteæ cum pluribus voluminibus legem deſcriptam fuiſſe docet. Cum infiniti ſuperſint libri in volumina diſtincti, vel unum in tota antiquitate oſtendatur volumen, quod ad tantam excreſcat molem, ut vel dimidiam librorum Moyſis partem exæquet. An ſoli Hebræi juſtam voluminum ignorarunt menſuram? Adeone illi inſaniverunt, ut ſibi tam prolixa & enormia conſtruerent volumina, quæ nec manu teneri, nec mento ut ſolebant ſubjici, & exigente ut ſæpe

fit

fit neceſſitate, tota tamen in quantumvis longa explicari non poſſint porticu? Qualia fere ſunt iſtæc quæ in Judæorum vulgo viſuntur ſynagogis, ad pompam potius & ſtultam oſtentationem, quam ad aliquem parata uſum, cum tantæ ſint vaſtitatis, ut à duobus vix geſtentur hominibus, aperiantur niſi à multis, legantur vero à nullis? Sed profecto quid verbis opus, cum omnis ætas & omnia ſecula, non unum, ſed quinque ſemper Moyſis agnoverit volumina.

Dixeram Judæos Danielem non agnoſcere pro propheta. Reponit Simonius; *Quaſi vero Judæi non æque fidem adhibeant Danielis de Meſſia vaticiniis, ac Chriſtiani.* Profecto ſi hoc verum eſſet, non eſſent Judæi. At vero illos negare Danielem fuiſſe prophetam, Hieronymus, Theodoretus & complures alii teſtantur. Quod ſi illis non credat, ipſis ſaltem credat Judæis, paſſim id affirmantibus. In Thalmude ſcripto de ſynedrio movetur quæſtio qui fieri potuerit, ut Daniel, qui non fuit propheta, viderit tamen ea, quæ nec Haggæus, nec Zacharias, nec Malachias viderent. Si quis ridere velit, legat ſequentia, ut ſciat quo pacto hic ſe expediant Rabbini. Felicius hanc quæſtionem ſolvebat Montabeus Judæus, affirmans Danielem eadem prorſus ratione illa quæ ſcribit vidiſſe, atque aſinam Balaami, cernentem ea, quæ ipſe non videret Balaamus.

De chetubim opus non eſt ut Simonius moneat. Scimus nos Judæos ſimul flare & ſorbere didiciſſe, norunt atrum albo permutare ſi res poſtulet. Viliſſimos & famoſos ſæpe ſic vocant libellos. Nec hoc tantum ſeculo, ſed & olim quoque hoc iis ſolemne fuiſſe, ſatis nos docet Epiphanius ubi de Nazarenis agit, cum ſcribit libros hagiographos à Judæis etiam appellari γεγραφεῖα, voce quidem inepta & ab Aquila, ut puto, conficta; ſed quæ tamen clare oſtendat, quo honore & titulo Danielis proſecuti fuerint prophetias, ſcriptiunculas eas appellantes, & ne dignas quidem librorum nomine.

Cum ironiis valde delectetur P. Simonius dicit dein me ex Rabbiniſta factum eſſe doctorem Thalmudicum, quia nempe dixi in Thalmude ſæpius occurrere; *bonum eſt ut evellatur litera de lege, & ut ſanctificetur nomen domini.* Ipſe ex libro qui continet colloquium regis Gazariæ & Judæi, dictum hoc ſic interpretatur, non licitum fuiſſe cuilibet è plebe verba Scripturæ immutare, ſed ſolis magni Synedrii aſſeſſoribus, *quia ſcilicet non unius Moſis fuit ſanctiones condere, ſed & aliorum quoque prophetarum, ſacerdotum & judicum, quibus idem ſpiritus dei interfuit.* Licet R. Chaia filius Aba, & R. Jochanan, & alii qui in Thalmude hoc loco nominantur non fuerint prophetæ, libenter tamen acquieſco, cum verbis tam claris & perſpicuis ultro quod petam concedat Simonius. Verum illa quæ ſequuntur mirabor ſi vel ipſe poſſit explicare P. Simonius; *Is eſt niſi fallor genuinus doctrinæ Thalmudicæ ſenſus quæ in everſionem verborum contextus ſacri trahi non poteſt, cum de tollenda litera imo dictione nec non ſententia aliqua inter explicandum contextum illum agatur, minime vero de mutandis eradendiſque ejuſdem contextus literis aut dictionibus.*

Quod ſubjungit P. Simonius me omnia quæ Rabbinologiam ſapiunt mutuatum eſſe à Morino, meque totum à Morino pendere; id quam verum ſit, judicent illi, qui utriuſque noſtrum ſcripta legunt. Quin & Simium ejus alibi me appellat, quia nempe valde probo, cum alia quædam, tum præcipue illa, quæ de ætate & literatura Rabbinorum ſcripſit Morinus, cujus obtrectator perpetuus eſt P. Simonius, rectius longe facturus, ſi & ipſe hujus fiat Simius.

Ut evincat LXX interpretes ignaros fuiſſe linguæ Hebraicæ, profert teſtimonium Ludovici Capelli, exiſtimantis, ut ipſe affirmat, linguam Hebræam deperditam fuiſſe in captivitate Babylonica totis ducentis ante LXX interpretes annis. Sed vero ex Eſdra & Nehemia contrarium pater.

patet. Poſt mortem vero horum ſtatim periiſſe linguam, qui fieri poteſt, cum Judæi integra fruerentur libertate, & nullis aliis miſcerentur gentibus? Stetit illorum reſpublica uſque ad tempora Alexandri magni. Sed neque illius tempeſtate aliqua accidere potuit mutatio, cum omnia ſalva & integra Judæis permiſerit, contentus modico tributo. Si quis recte calculum ponat, velit nolit fatetur neceſſe eſt, non potuiſſe inſigniter mutari linguam ante Olympiadis CXVII annum primum, quando nempe à Ptolemæo Lagi filio dolo capta fuere Hieroſolyma. Cum vero viginti ſeptem annis poſtea Sacræ literæ à LXX in Græcum fuerint converſæ ſermonem, neceſſe eſt brevi hoc ſpatio totam interiiſſe Hebræam linguam, quod nemo prudens ut exiſtimo facile admiſerit, præſertim cum ſeſquiſeculo pene poſtea uſitatam etiamnum fuiſſe eam linguam conſtet ex Joſepho ſcripto de Machabæis, ubi mater filios ſuos Hebraice alloquitur.

Profert dein verba mea P. Simonius, & dicit quot verba, totidem quoque illa continere commenta. Sed malim ea quæ ſcripſi in meis legi libris, quam uti ab illo truncata producuntur, ac ſi dixiſſem in Synagogis lectam fuiſſe verſionem Græcam, antequam illa extaret. Iſtis tamen ita mutilatis verbis recte ſubjungit; *Ante conditam* LXX *Seniorum verſionem ab Eſdræ temporibus conſtat non aliam in Judæorum Synagogis lectam fuiſſe ſcripturam, quam contextum Hebraicum.* Libenter hæc admitto, ſed ſi hæc ita ſeſe habeant, quomodo verum eſſe poteſt id quod paulo ante affirmavit P. Simonius, linguam Hebræam periiſſe pluribus quam ducentis ante LXX interpretes annis?

Videamus nunc num in ſequentibus dum mea ut vocat figmenta convellere conatur fortius & felicius ſe gerat P. Simonius. Dixeram tempore Chriſti, & ante, & poſtea in omnibus Judæorum Synagogis toto Romano orbe diſperſis, ſolam lectam fuiſſe LXX interpretum verſionem, etiam in ipſis Hieroſolymis. Quid adhæc P. Simonius? Nullo

omnino

omnino teſte, licet ad me provocet, qui nunquam tale quid ſomniavi, affirmat Fl. Joſephum legem Moyſis in Synagoga Hebraice interpretatum fuiſſe. Quin & Hiſtoriam belli Judaici, antequam Græce ederet, Hebraice conſcripſiſſe, id eſt Syriace, ut vult P. Simonius. Syrorum quidem paſſim occurrit mentio, ſed vero tempore Apoſtolorum & Joſephi, qui in imperio Romano linguæ meminerit Syriacæ, invenias neminem. Ut in tota ditione Romana, ita quoque in Syria Palæſtina, Græca erat vernacula lingua. Eſto ut non admodum ea fuerit pura, cum multis jam ab antiquo permixta eſſet Chaldaicis, Arabicis & Romanis vocabulis, non tamen propterea deſinebat eſſe Græca. Joſephum vero ſpurio hoc & impuro ſermone & lingua hybrida iſtam conſcripſiſſe hiſtoriam, nemo ſanæ mentis dixerit. An ergo mentitus Joſephus? Et hoc quoque futile. Mentem Joſephi nec P. Simonius, nec interpretes intellexerunt. Verba ejus initio belli Judaici hæc ſunt; Προὐθέμην ἐγὼ τοῖς κατὰ τὴν Ῥωμαίων ἡγεμονίαν Ἑλλάδι γλώσσῃ μεταβαλὼν ἃ τοῖς ἄνω βαρβάροις τῇ πατρίῳ συντάξας ἀνέπεμψα πρότερον ἀφηγήσασθαι. Ineptiſſime hæc reddidere interpretes, ac ſi οἱ ἄνω βάρβαροι ſint barbari qui retro fuerunt, & Joſephus in uſum jam olim defunctorum iſtam condidiſſet hiſtoriam. Οἱ ἄνω βάρβαροι ſunt ſuperioris continentis barbari, Judæi nempe qui extra Romanum viverent imperium. Sic ὁ ἄνω βασιλεὺς vocatur rex Perſarum ſeu Parthorum. Αἱ ἄνω ἐπαρχίαι provinciæ quæ longius abſunt à mari, ut αἱ κάτω mari propiores. Itaque ἡ κάτω Συρία eſt Syria mari Mediterraneo vicina, ἡ ἄνω vero ſuperior, ſive Aſſyria & Babylon. Jam olim ad Melam hæc monuimus. Dicit ergo Joſephus ſeſe antequam bellum Judaicum Græco ſcriberet ſermone, eandem hiſtoriam patria id eſt Chaldaica tradidiſſe lingua, in uſum illorum barbarorum, qui extra fines Romani imperii trans Euſratem viverent, utpote qui excuſſo jamdudum Græcorum jugo, avitam fere conſervaſſent linguam. Neque enim unquam in partibus trans Euphratem tam

tam altas Græcorum principatus egit radices, ut etiam eorum ibi prævaluerit lingua. Clarum eſt itaque Joſephum libros de bello Judaico quos Hebraice edidit, non ſcripſiſſe Judæis in orbe Romano viventibus, ſed vero Trans-Euphratenſibus Parthicæ ditioni obnoxiis, Chaldaice quidem, non item Græce peritis. Aperit dein cauſam quamobrem id fecerit: ut nempe cognoſcant, quanta mala Judæis Hieroſolymitanis illorum eveniſſent culpa. In ſuſcipiendo infelici hoc contra Romanos bello præſto ſibi affutura ſperaverant auxilia Judæorum, qui extra Romanum viverent imperium, nec eos ſolum qui Parthico ſubeſſent regno, ſed & quotquot inter remotiores agerent Arabes ſimul ad arma conſurrecturos certo ſibi promiſerant. Quid vero compulerit Joſephum ut eandem hiſtoriam Græce quoque deſcriberet, id in ſequentibus declarat. Dicit enim cum Hebraice ſcripſeri illis gentibus & illis Judæis qui Hebraice intelligunt, quales ſunt Parthi, Babylonii, Arabes, Tranſeufratenſes & Adiabeni; abſurdum eſſe ſi non etiam inſtruat Græcos & Romanos qui bello huic non interfuiſſent, & Hebræam quam ſcripſiſſet non intelligerent hiſtoriam.

Videat nunc vel ipſe P. Simonius, quam verum ſit illud quod affirmat, Joſephum Syriace ſcripſiſſe & quidem Judæis Palæſtinis, qui fere nulli ſupererant, quando iſta ſcribebat Joſephus. Pergit tamen Simonius Chriſtum & Apoſtolos Hieroſolymis locutos fuiſſe Syriace. Et ſane infinitum poſſit producere non ſemidoctorum tantum, ſed & fanaticorum ſic ſentientium agmen, in templo & ſynagogis non libenter admittentium linguam ut ipſi loquuntur profanam. Sed cum omnium Syrorum in toto Romano imperio communis fuerit lingua Græca, quomodo efficient ut præter hanc alia quoque peculiaris fuerit lingua quam ipſi Syriacam vocant? Vel unum ſaltem proferant teſtem qui tempore Apoſtolorum linguæ hujus fecerit mentionem. Sero demum in inferiore Syria ſive Palæſtina

læstina auditum est nomen linguæ Syriacæ, postquam nempe Arabes vacantes Judæorum invasere terras. Stante imperio Romano solus ibi regnabat Græcus sermo. Cujus rei clarum argumentum quod in tota ditione Romana nullum invenias scriptorem qui Syriace scripserit. Græce omnes scripsere, Græce etiam loquebantur. Extra orbem Romanum progrediendum si Syriacam linguam, aut homines qui Syriace scripserint invenire velimus. Itaque omnes isti Christiani patres qui apud Eusebium in historia Ecclesiastica & alibi memorantur, quales sunt Bardesanes, Archelaus, Eusebius Emissenus, Ephraim & cæteri qui Syriace scripsere, illi omnes Parthici vel Arabici fuere generis. Parthis autem tam bene notum fuisse sermonem Syriacum, quam Romanis Græcum, scimus non tantum ex hoc Josephi loco, sed & ex Epiphanio. Verum istæc Syriaca nihil ad linguam quæ Hierosolymis erat in usu, quæ non alia erat, quam sit lingua Evangeliorum. At vero altera, quam addiscebant Parthi, quaque Josephus scripsit, illa erat Chaldæa seu Assyria, Arabicæ nempe illius temporis dialectus. Quicquid enim erat ultra Jordanem fluvium usque ad ostia Euphratis, Arabiæ accensebatur. Perperam tamen lingua hæc Syriaca à scriptoribus dicitur, cum Assyria fuerit, ideo nempe, quod à Græcis & Latinis Syrorum nomen manifesto errore tribuatur quoque Assyriis. Inter Assyrios igitur & Arabas in profundiore Syria habitantes quærenda est lingua quæ Syriaca dicebatur, non inter Syros Romanæ ditionis. Ipsum hoc confirmat Epiphanius ubi de Manichæis agit; Ἄλλοι δὲ δῆθεν τὴν βαθυτάτην τῶν Σύρων διάλεκτον σεμνύονται τήν τε τῶν κατὰ τὴν Παλμύραν διάλεκτον. *Alii vero quæ est in profundiore Syria & illam quæ circa Palmyram obtinet magnifice commendant dialectum.* Male itaque in Evangelio & in actibus Apostolorum per linguam Hebræam intelligunt Syriacam. Si Assyriam aut Chaldaicam dixissent, non peccassent. Sic Philo, sic Josephus, sic omnes illorum

illorum temporum locuti fuere ſcriptores. Hebræam linguam ſemper vocant Chaldæam, nunquam vero Syriacam, Quæ ſi proprie loqui velimus, eadem erat ac Phœnicia ſeu Cananæa, quæque poſt tempora Alexandri paulatim in Græcum abiit ſermonem eſſe deſiit. Quamvis vero propter longam moram in terris Cananæorum lingua Hebræa & ipſa quoque fere facta fuerit Cananæa, quod vel Phœniciæ quas aſſumſere ſatis teſtantur literæ; nunquam tamen Judæi paſſi ſunt linguam ſuam appellari Cananæam ſeu Syriacam. Sed neque Arabicam eam dici permiſerunt, niſi quatenus Chaldæa lingua ſit dialectus Arabicæ. Etiam ſervitutis Ægyptiacæ tempore & ſe Chaldæos, & linguam ſuam Chaldæam vocarunt, omnia nempe ſua ad Abrahamum referentes Chaldæum, cujus linguam in tam longa conſervavere captivitate. At vero in Babyloniea captivitate brevi tempore & linguam & literas dedidicere Syriacas, & libenter adſcivere non literas tantum, ſed & linguam, Chaldaicam, velut poſtliminio redeuntes ad linguam & ſcripturam Abrahamo vernaculam. Licet vero multis poſtmodum ſeculis plurimum immutatus fuerit ſermo Chaldæus, permanſiſſe tamen morem ut Hebræus diceretur, ex iis quæ jam diximus clare ſatis confici poteſt. Valeat ergo Hieroſolymitana iſta Syriaca lingua æque vana ac Helleniſtica. Valeant quoque cavillationes P. Simonii, cum ex omnibus ne una quidem ſuccedat. Ut paucis quid ſentiam perficiam, puto me non errare, ſi audacter affirmavero tempore Chriſti in omnibus Hieroſolymitanis ſynagogis, paucis forſan exceptis quas Parthici & Arabici generis frequentarent Judæi, ſolas lectas fuiſſe quas LXX interpretes tradiderunt ſcripturas, cum ſola iis Græca eſſet vernacula lingua, Hebræa autem id eſt Chaldaica ſive Arabica illius temporis, à doctis tantum, aut ab illis, quos dixi intelligeretur advenis. In ipſo vero templo Hieroſolymitano habitas fuiſſe conciones lingua Hebræa, aut quocunque alio Græcis & Romanis

ignoto sermone, id omnino Romanæ non permisissent leges, quæ una cum jugo, Græcæ quoque aut Latinæ linguæ necessitatem omnibus à se victis imposuere gentibus. Supereſt itaque ut in templo & in præcipuis synagogis ea sola usurpata fuerit lingua, quæ omnibus esset familiaris, quamque ipsi quoque infantes cum lacte imbiberent materno. Siquidem ut habet Theodoretus; τὰ Ἑβραίων παιδία οὐ τῇ Ἑβραίων ἐστὶν διρεῖν διδοὺς κεχρημένα φωνῇ, ἀλλὰ τῇ ἐκείνων παρ' οἷς ἐγεννήθησαν· εἶτα μειράκια γενόμενα, διδάσκεται τῆς γραμμάτων τὰς χαρακτῆρας· μανθάνει δὲ διὰ τῆς γραμμάτων τὴν θείαν γραφὴν τῇ Ἑβραΐδι γεγραμμένην φωνῇ. *Nulli Hebræorum reperiuntur pueri, qui statim Hebraica utantur lingua, sed demum illarum gentium lingua apud quas nati sunt. Ubi adoleverint, docentur literarum characteres, & per has addiscunt scripturam Sacram Hebraicam.* Et sane quomodo potuisset vita miseris constare Judæis, si Hebraicæ seu ut volunt Syriacæ tantum gnari linguæ eo redacti fuissent necessitatis, ut nec testamentum condere, nec contractus & obligationes facere & signare potuissent, cum leges Græcum & Romanum tantum admitterent sermonem, quæraturque in jure utrum stipulatio Punico aut Assyrio concepta sermone possit subsistere. Quod autem magna pars Judæorum, propter crebra cum vicinis Arabibus commercia, & simul propter affinitatem quam illorum lingua cum veteri haberet Hebraica, facile & libenter sermonem addiscerent Abraicum, sive ut ipsi loquebantur Chaldæum; id quidem verum est; sed sufficit ostendisse istum sermonem seu istam linguam ad scitam fuisse & arcessitam, non autem nativam & vernaculam.

Agit dein P. Simonius de traditionibus ut vocant oralibus, & quærit quomodo absque his potuerint LXX interpretes versionem suam perficere, cum lingua Hebræa ducentis & pluribus annis perierit antequam illi ad hoc opus se accingerent? Sed vero quantum in hoc quoque fallatur

fallatur P. Simonius patet ex iis que paulo ante monuimus.

In ſequentibus pergit orationem de traditionibus pertexere, & quamvis paſſim adfirmat parum ſe tribuere commentis Rabbinicis, ſiquis tamen illa aggrediatur, animoſius ſe gerit P. Simonius quam ipſimet Rabbini, adeoque quidem ut etiam laudet & probet id, quod omnium figmentorum longe eſt futiliſſimum, vocales nempe ſeu puncta Moyſi à Deo in monte Sinai revelata, & non niſi à Maſorethis poſt exacta tria annorum millia legi adſcribenda; non ullis libris, ſed per cabalam ſeu traditionem oralem in ſola Rabbinorum conſervata fuiſſe memoria. Attamen liber inſcriptus nomine Cozri id eſt regis Chazarorum in Taurica Cherſoneſo, non Coſrois ut vulgo putant, affirmat periiſſe pleraſque traditiones orales. Scio quidem Buxtorfium & hæc, & multa alia conatum fuiſſe aliter exponere, ſed ſincerior hac in parte fuit Hiſpanus interpres R. Abendana, qui omnia integra reliquit.

Cum nova jamdudum deficiant argumenta, quibus ea quæ ſcripſi vel minimum infirmentur, ad prius dicta relabitur, & exhauſtos vel diſſipatos in priori conflictu P. Simonius recolligit ſpiritus, ut reparatis viribus feliciori certamen inſtauret ſucceſſu. Sed fruſtra, cum intempeſtiva ſint pleraque quæ jacit tela, & tranſverſa cadant.

Dixerit in interpretandis ſcripturis præcipue audiendos eſſe Rabbinos, cum unicuique in ea quam exerceat arte ſit credendum. Reſpondi non eſſe credendum inimicis, non illis qui inter ſe diſſentiant, & qui id ipſum quod docent, neſcire ſe profitentur. Quod ſi ad Judæos ſit divertendum, illos ſolos eſſe adeundos, qui ſuperſtite etiamnum Hebræa lingua ſacras fuere interpretati literas. Reponit Simonius, & ſe quoque antiquiores ſequi Judæos in traditione lectionis, verum non hos ſolos, ſed & Aquilam, Symmachum, Theodotionem, Hieronymum & alios. Quia ars nulla perficitur ab uno aut altero, ſed ab omnibus ſi-

mul. Quid per traditionem lectionis intelligat Simonius, paulo ante explicavit Cabalam nempe ſeu traditionem, ut vocant, oralem, quam deus à temporibus Moyſis faucibus & palato Rabbinorum alligavit, mutam & clauſam totis tribus annorum millibus, & revelatam demum ante pauca ſecula à Maſorethis. Ridet & explodit ubique P. Simonius Rabbinorum figmenta, ſolam excipit oralem traditionem, quam paſſim non tuetur tantum, ſed & propugnat. Nec deerunt Judæi quibus hoc commentum imprimis placeat. Si enim omnium abſurdorum longe maximum poſſint ſuperare, nulla ſupererit difficultas, quo minus omnes quæ toto continentur Thalmude admittantur fabellæ. Mirum vero in conſtruenda nova Scriptura ſolos à P. Simonio adduci Judæos, Maſorethas videlicet, Aquilam, Symmachum, Theodotionem, & Hieronymum, quia in multis paſſus ſit à Judæis ſe decipi; nulla facta mentione LXX interpretum & antiquiorum Judæorum, qui omnes ſolam horum ſecuti ſunt verſionem, non Apoſtolorum, non denique ipſius Chriſti. Cauſam nempe ſubjungit, *Quod nullius magiſtri legibus ſe addictum profiteatur Simonius.*

In loco quem poſtea adducit ex Origene κυριώτατα non eſt *aptiſſime*, ſed *maxime proprie*, quoniam verbum verbo reddere conatus eſt Aquila, uti ſolent inepti interpretes, qui proprietatem verborum ſectantes, ſenſum ut plurimum deſtruunt. Loquitur autem hic Origenes ex opinione Judæorum, & ipſe ſeipſum interpretatur in Epiſtola ad Africanum. Quod autem ſubjungit P. Simonius Origenem exiſtimaſſe pluribus in locis Aquilam melius reddidiſſe verba Hebræa quam LXX interpretes, vel uno ſi poſſit probet exemplo. Nam in hoc ipſo Geneſeos loco, de quo hic agit Origenes, quam futiliter à LXX interpretibus receſſerit Aquila, infra oſtendemus.

Nihilo meliora ſunt ea quæ ſequentur, in quibus negat, ut libros Hebræos, ita quoque Hebræorum verborum

rum ſonum & pronuntiationem Græcis literis expreſſam à Judæis accepiſſe Origenem. Dicit quippe Origenem *ut linguæ ſuæ hominibus ſe accommodaret, verba Hebraica primum Hebraicis literis, deinde Græcis characteribus, expreſſiſſe, ut etiam Hebraica legere poſſent, qui nihil ſcirent Hebraice.* Libenter iſtud concedo, verum quid hoc ad rem facit? Cum enim Hebræi codices careant vocalibus, quæritur ſi non à Judæis, unde & à quibus haurire potuerit Origenes rationem reſarciendi iſtum vocalium defectum. Pergit; *Judæi ſiquidem illis temporibus, ut & hodierni contextum ſuum abſque punctis vocalibus facili negotio legebant.* Scio quidem poſtquam ſtabilita eſt lectio à Maſorethis, vulgo etiam legi libros à quibus abſint vocales, verum non hoc, ſed iſtud explicare debuerat Simonius, quo pacto Judæi veteres toto Romano diſperſi imperio Hebraicam addiſcere potuerint lectionem, ſi non illa quam Origenes tradidit ratione, apponendo nempe eadem Hebraica Græcis literis, ſed vocalibus inſtructa. Ut nunc qui Maſorethicæ lectioni adſueti ſunt, facile etiam legunt libros à quibus abſunt vocales; ita quoque olim, qui exercitati eſſent in ſcriptura, quæ vocales contineret; facile etiam alteram compendiariam adſequebantur ſcripturam. Ut itaque nunc, ita quoque olim tempore Origenis habuere Judæi normas & regulas legendi & pronuntiandi, quas non diſcipuli tantum, ſed & ipſi quoque obſervarent & ſequerentur magiſtri. Si enim non habuere, & unicuique pro lubitu licitum fuerit addere aut variare vocales, quomodo ſibi conſtare potuit lectionis & pronuntiationis ratio? Ut tamen oſtendat P. Simonius iſtos de quibus loquimur Judæos etiam abſque tali auxilio legere potuiſſe Sacros libros, mirifico ſane utitur argumento, ſed quo ipſe ſeipſum conficiat. Dicit enim Judæos Græcos & Hiſpanos habere libros Græca & Hiſpanica lingua ſed literis excuſos Hebraicis, quos tamen expeditiſſime legant. Promiſit his plurimos in Germania à Judæis editos addere

re

re libros, lingua quidem Germanica literis tamen deſcriptos Hebraicis, qui tamen etiam ab idiotis, dummodo alphabetum norint Hebræum, ſine hæſitatione evolvuntur. Quid mirum? Cum ut in iſtis, quæ P. Simonius profert exemplis, ita & in iis quos dixi libris omnes exprimantur vocales. Si ſacrorum eadem foret librorum conditio, non Origenis tantum in deſcribenda literis Græcis Hebræorum codicum ſectione, ſed & Maſoretharum in addendis punctis vocalibus, non ſupervacua tantum, ſed & ſtulta fuiſſet diligentia.

Pergit tamen P. Simonius, citat Teixeram, ad linguas provocat Orientales, & tandem concudit, licet *illæ linguæ punctis vocalibus ſint deſtitutæ, non idcirco vocalibus penitus deſtituuntur.* Verum non hoc, quod omnes concedunt exceptis Rabbinis, qui nullam nec in alphabeto, nec in ſcripturis vocalem agnoſcunt; ſed iſtud oſtendere debuerat P. Simonius quomodo ad perficiendam lectionem paucæ iſtæ vocales, quæ tantum ambiguæ lectionis vocibus apponuntur; poſſint ſufficere ad legendas etiam illas voces, à quibus omnino abſunt vocales.

Repetit dein quæ jam ſæpius dixit, & quibus non ſemel reſpondimus, & demum addit; *Sed pudet in his refellendis, quæ aperte falſa ſunt, longius detineri.* Merito pudeat P. Simonium, quod cum præcipua nuſquam attingat, & tantum minutias ſectetur & vellicet, adeo tamen infeliciter in illis verſetur, ut nunquam ſcopum feriat. Ubique me fingere & falſa ſcribere affirmat. Ego vero licet affirmavero in omnibus quæ contra me habet P. Simonius ne ſemel quidem verum dixiſſe, profecto non mentiar.

Quam male à Maſorethis appoſitæ ſint vocales, vel ex ipſis nominibus propriis ſatis manifeſtum eſſe dixeram, cum patriarcharum, progenitorum & prophetarum nomina adeo diſcrepantia ſint ab iis quæ in Evangeliis occurrunt, ut nullam omnino habeant ſimilitudinem, cum iis quas Maſorethæ appoſuere vocalibus. Reponit optimus Si-

Simonius, me non advertisse eadem quoque nomina diversimode à Judæis nostri temporis proferri & scribi. Affert exempla unde conficiat Judæos, Italos, Hispanos & Germanos non eandem observare pronuntiationem. Quin & voces Latinas ab iisdem populis non eadem proferri ratione. Germanorum sermonem esse asperiorem, quam aliarum gentium, utpote qui alias pro aliis literas substituant consonas. Probat id ipsum exemplo doctoris aulici in Germania. Scimus quidem istæc, sed quid ea ad propositum? Non de consonis, sed de vocalibus quæstio est literis, in quarum pronuntiatione omnes gentes conveniunt. Ostendat qua ratione vocales, quas Masorethæ addiderunt, conveniant cum iis, quæ in Evangeliis exprimuntur. Ostendat illos sub sole homines, in quorum ore Nabuchodonosor & Nebuchadnesar eundem efficiant sonum.

Cum Rabbini S. Scripturas affirment LXXII habere facies, interpretatusque id fuerim de totidem sensibus quos sacri admittant libri, si Judæos audiamus, negat me Rabbinos intellexisse, dicit enim *nomine* LXXII *facierum venire tantum sensus allegoricos, qui tot sunt, quot otiosi magistri possunt comminisci.* An ergo sensus allegorici non sunt sensus? Non sic loquuntur Rabbini, cum allegoricos vocant sensus sublimiores. Rursus quomodo unus idemque locus LXXII potest continere sensus allegoricos, nisi etiam totidem habeat sensus simplices seu literales ut loquuntur? Dicit Carræos & Abenesram unum tantum admittere sensum. Recte quidem: sed si septuaginta duos consulamus Rabbinos, totidem quoque habebimus sensus. Quis non miretur, non Rabbinos tantum, sed & Christianos complures adeo multiplicem probare interpretationem, Mercerum dico & multos alios, in quorum scriptis sæpe invenias, *hic locus quindecim, aut etiam viginti admittit expositiones, & quidem omnes præclaras?*

Iterum

Iterum dein litem movet & me in jus vocat P. Simonius de nomine prophetæ, & an LXX interpretes eo ſint cenſendi titulo. Et ſane hic eſt locus, hæc arena in qua omnes contendere nervos & totum ingenii acumen explicare debuiſſet P. Simonius. Sed vero ſi pleraquæ quæ hic ſcribit quam diligentiſſime excutias, nihil omnino invenies, præter frigidas cavillationes, nullo ordine, nullo judicio, nec ſatis apto verborum inter ſe nexu colligatas. Primo dicit me tergiverſari. Sed fruſtra ſemper erit P. Simonius, ſi me terga vertentem ſperet viſurum unquam, aſſuetum jampridem etiam cum fortioribus congredi. Pergit, ea quæ de varia acceptione vocis prophetarum & προφητεύειν ſcripſi, ea ad rem non facere & plane eſſe inutilia. Nempe quia tam clare & manifeſte ſententiam P. Simonii convellunt, nt ne quidem quod hiſcat ſuperſit, niſi palam ineptire velit. Quia dixi à Chriſto & Apoſtolis prophetas appellari omnes eos, qui S. Scripturas intelligunt & recte interpretantur, reſpondet; *quaſi vero de hoc prophetiæ genere in præſentia agatur.* Dicat ergo P. Simonius, ſi non iſtos quos Chriſtus & Apoſtoli, quoſnam ergo vocet Prophetas? Quomodocunque vocem hanc accipiat, nunquam efficiet ut LXXII interpretes non fuerint prophetæ, præſertim cum ipſe Simonius fateatur *Scribas qui res Hebræorum chartis committerent & pleroſque Synedrii magni aſſeſſores prophetas fuiſſe & à deo inſpiratos.* Subjicit dein; deriſum alicubi à Simonio fuiſſe Voſſium. Sed vero riſum ineptum non moratur Voſſius. Liceat Simonio ἀχημονεῖν & indecore ſe gerere. Dixeram idolorum etiam cultores ſæpe in ſacris literis prophetas appellari. Reponit hæc non facere ad inſtitutum. Imo inde facile intelligimus, ſi illi recte prophetæ vocentur, multo magis nomen hoc convenire veris Dei ſacerdotibus. At vero inquit iſtam LXX interpretum prophetiam jampridem ab Hieronymo fuiſſe ſublatam. Cum nullum alium præter Hieronymum ſiſtere poſſit teſtem, ſemper ad illum

lum tanquam ad ſacram ſe confert ancoram. Verum cum omnia quæ ad ſtabiliendam ſuam ſententiam vel Hieronymus, vel ex illo alii produxere argumenta ita feliciter profligaverimus, ut ne unum quidem ſalvum ſuperſit; debuiſſet Simonius aliis telis & aliunde quæſitis ſubſidiis intentatam tam animoſe pertinacius perſequi litem, & laboranti jamdudum & pene deſolato ſuccurrere Hieronymo. Verum ipſe relicta quam vix incœperat cauſa, præcipiti ſaltu ad protomartyrem tranſit Stephanum, ejus nomine novam mihi ſuſcitans litem. Dicit illum non Græce, ſed Syriace ultimam ſuam abſolviſſe concionem, & loca S. Scripturæ non ex LXX interpretibus, ſed ex Hebræis hauſiſſe codicibus. Verum quid opus eſt fingere, cum ſuperſint ipſa Stephani verba, & loca Scripturæ in iis conveniant cum LXX interpretibus, non autem cum hodiernis Hebræis libris? Ut autem Hebraice vel Syriace fuerit locutus, fieri hoc qui poteſt apud Romani & Græci generis Judæos, Libertinos videlicet, Cyrenæos, Alexandrinos, Cilices & Aſiaticos, qui omnes hoc loco memorantur in geſtis Apoſtolorum, quibus denique omnibus Græca erat familiaris & vernacula lingua, non autem Hebræa aut fictitia Syriaca?

Malignitatem deinceps vocat, quod verba ejus, quæ hic repetit ſecutus, dixerim ideo à Simonio ſcriptum Ariſteæ velut commentitium explodi, quod Judæis ſolemne fuerit fingere & ſcribere incredibilia. Affirmat enim oſtendiſſe ſe Philonis Herennii teſtimonio, quod refert Origenes, *Judæos illius temporis multa confinxiſſe parum veriſimilia.* Nihil tale Origenes, cujus verba primo contra Celſum libro hæc ſunt; *Fertur & Hecatæi hiſtorici de Judæis liber, in quo adeo probat hujus gentis ſapientiam, ut Herennius Philo in commentariis ſuis de Judæis, primum dubitet, an hujus hiſtorici id ſcriptum ſit: deinde addat, ſi quidem ejus eſt, videri eum corruptum Judæorum perſuaſionibus, probaſſeque illorum placita.* Videatur de hoc loco liber patris mei de hiſtoricis

Græcis, ubi agit de Hecatæo Abderita. Nihil itaque aliud ex his Origenis conficias verbis, quam Simonium non esse admodum acrem disputatorem. Addit sese firmissimis ex Aristea desumtis id ipsum ostendisse argumentis, sed jam vidimus quantum ea habeant soliditatis, utpote quæ primo aspectu & examine tota in fumum abeant & evanescant.

Repetit dein nonnulla jam sæpius dicta & sæpius à nobis explosa, & tandem ad suum relabitur Hieronymum, ut ex eo conficiat Origenem in homiliis seu concionibus apud vulgum habitis solos secutum fuisse LXX interpretes, in tomis vero etiam peregrinæ linguæ quæsivisse auxilia. Verum ut ut hæc admiserimus, quomodo vel ex hoc, vel ex altero quem adducit Origenis loco efficiat prælatam ab eo unquam LXX interpretibus Aquilæ fuisse versionem? Clarius profecto locutus fuisse Hieronymus, si hoc verum esset; sed verum non potest esse, cum ipse contrarium testetur Origenes, qui in epistola ad Africanum & alibi affirmat non esse recedendum à terminis quos Christus & Apostoli statuerunt, nec alio se consilio apposuisse Aquilæ & similium interpretamenta, quam ut cognoscamus, quo pacto sequiores Scripturas explicent Judæi. Ut itaque alibi, ita quoque in hoc Exodi loco, ad quem remittit P. Simonius, & ad ampliandos S. Scripturæ sensus, & simul ne cavillationi occasio detur, ac si aliter esset in Hebræis exemplaribus ac LXX reddiderunt interpretes, utramque Origenes affert expositionem, illam LXX & alteram Aquilæ, ut ostendat ex utrisque sequi, esse quendam infestum Judæorum genti angelum, qui non circumcisos lædat, circumcisos non item, quod tamen ipse vix ausus est affirmare; subjicit enim; ἀλλὰ ταῦτα μὲν περιεργότερά πως εἶναι δοκοῦντα, καὶ οὐ κατὰ τὴν τῶν πολλῶν ἀκοὴν, παρακεκινδυνευμένως ἐστὶ τοσοῦτον λελέχθω. *Et hæc quidem quæ nimis affectata & longius quodammodo petita esse videntur, nec apta multorum auribus; periculose & audacter hactenus à nobis dicta sufficiant.*

Mirum

Mirum vero qua ratione ex hoc loco Simonius exſculpere potuerit Origenem relictis LXX interpretibus adhæſiſſe verſioni Aquilæ, cum iſtæc quæ affert verba referenda ſint ad malevolum iſtum Judæis non circumciſis angelum, non ad hanc aut iſtam interpretationem. Ipſum vero Exodi quod attinet locum, minime dubitandum quin verſio LXX interpretum ſit præferenda cum optima & clariſſima ſit, illa vero Aquilæ nullum fere conſtituat ſenſum, quantumvis in ea explicanda & Origenes & Rabbini laborent. Sed neque antiqui Judæi Aquilæ in hoc loco admiſere interpretationem, exiſtimantes circumciſionis quam urgerent neceſſitatem fortius adſtrui ſi alteram ſequerentur expoſitionem. Itaque in catenis Græcis poſt verba Euſebii Emiſſeni hæc ſequuntur; Ὁ Ἀκύλας ἀντὶ τοῦ, ἕως τὸ αἷμα τῆς περιτομῆς, εἶπε, νυμφίον αἱματῶν ἐμοῦ; ὁ δὲ Ἑβραῖος; Ἐσφαγμὸν τοῦ αἵματος περιτομῆς. Idem vero eſt σφαγίζειν αἷμα & ἱστάναι αἷμα *ſtagnare* ſeu *ſiſtere ſanguinem*. Apparet itaque in Hebræis codicibus olim ſcriptum fuiſſe חתן non חתן aut ſi id aliter ſe habeat, affinia & ejuſdem ſignificationis fuiſſe vocabula. Nam certe poſterioris hujus voeis tam late apud Arabas patet acceptio, ut priorem etiam ſuo comprehendat ſignificatu. Non enim ipſam tantum circumciſionem, ſed & quidquid ad hanc perficiendam requiritur, adeoque ipſum quoque quod celebrant feſtum & convivium, uno omnia nomine chatanæ appellant. Dicit itaque Sepphora angelo mortem filio minanti, ſtagnatum jam eſſe ſanguinem & peractam filii circumciſionem. Totum vero locum commode interpretabimur, ſi miſſis Rabbinorum figmentis ipſa Scripturæ ſectemur verba. Nam quod & illi, & qui eos ſequuntur exiſtimant Deum hoc loco mortem intentare Moyſi, propter neglectam filiorum circumciſionem, id nullam omnino veritatis habet umbram. Jam per quadraginta pene annos cum uxore vixerat Moyſes, nec credibile eſt tam ſero, & adeo parum oportuno tempore, quo irrita facta fuiſſet legatio ad Pharaonem ſuſcepta; Deum voluiſſe non obſervati moris

pœnas exigere, cum totis quadraginta sequentibus annis ab omnibus Israelitis impune omissa fuerit circumcisio. Taceo alias difficultates, quas jam olim complures è Græcis moverunt patribus, uti videre est in catenis, quæ passim in bibliothecis inveniuntur. Ut paucis absolvam, non agitur hic de occidendo Moyse, sed cui minatur Angelus, is est Gerson filius Moysis major natu. Ultima verba Dei ad Moysem loquentis hæc sunt; *Ecce igitur ego interficiam filium tuum primogenitum.* Sequitur deinceps; *Factum est autem in via in diversorio occurrit illi* (nempe primogenito) *Angelus domini & quærebat interficere illum.* Postrema Dei verba, quæ demum in Pharaonis completa fuere primogenito, audiens Sepphora Moysis conjux, ad suum pertinere credebat primogenitum, præsertim cum non obliquo, sed recto hæc à Deo dicerentur sermone. Ad augendum itaque matris metum irruit angelus in Gersonem Moysis primogenitum, non occidendi, sed terroris incutiendi gratia. Sed malim verbis Chrysostomi quam meis reliqua explicare. Ille itaque in Synopsi veteris testamenti, digna sane quæ lucem aspiciat sic scribit; Ἀπήγειλε ὁ Μωυσῆς τῷ πενθερῷ αὐτοῦ, διωνύμῳ ὄντι. Ραγουὴλ καὶ Ἰοθόρ, ὅτι μέλλει εἰς Αἴγυπτον ἀπέναι, καὶ πλουτήσαντος τοῦ βασιλέως τοῦ ζητοῦντος αὐτοῦ τὴν ψυχήν, φησὶν αὐτῷ ὁ Θεὸς, εἴσελθε εἰς Αἴγυπτον· ὁδῷ τὴν γυναῖκα καὶ τὰ παιδία αὐτοῦ λαβὼν ὕπως εἰσῇει· διὸ καὶ ἄγγελος φαίνεται φοβῶν αὐτὸν, ὡς ἐχὰ τὴν πρωτοτοκίαν, εἰ γὰρ τὴν πρωτοτοκίας ἔνεκεν, ἔχρην μὴ πρότερον ἀποσῆναι τὸ ἄγγελον, ἕως οὗ καὶ τὸ ἕτερον πρωτότοκον ἢ μήτρα· ἀλλ' ὑπὲρ τοῦ μάτην γυναῖκα λαβεῖν εἰς Αἴγυπτον, ὡ γὰρ οἰκήσαι ἐπέμποτο, ἀλλ' ἐξαγαγεῖν τὸ Ἰσραὴλ, ὅπερ καὶ αὐτὸς σωιδὼν ἀφῆκε τὴν γυναῖκα· καὶ πόθεν δῆλον ὅτι ἀφῆκε; Ἐξελθόντι αὐτῷ ἐξ Αἰγύπτου ἀπήντα μὲν τὸ γυναικὸς ὁ πενθερὸς Ἰοθόρ. *Significavit vero Moses socero suo, qui erat binominis Raguel videlicet & Jothor, abiturum se in Ægyptum. Mortuo ergo rege qui animam ejus quærebat, dixit ipsi Deus, ingredere in Ægyptum. Moyses vero illam ingrediebatur simul ducens*

conjugem

conjugem & filios. Quamobrem apparuit angelus terrorem incutiens, non propter circumcisionem, si enim circumcisionis ergo, oportuisset non prius discedere angelum, priusquam & alterum filium circumcidisset mater; sed quod frustra uxorem secum duxisset in Ægyptum, non enim habitandi, sed Israelem ex Ægypto educendi gratia mittebatur. Quod postquam perspexisset, dimisit uxorem. Unde vero patet quod dimiserit? Egredienti ex Ægypto occurrit cum conjuge Sepphora, socer Jothor.

Pergit dein ad alia P. Simonius, sed adeo desultorie, ut nusquam subsistat, nusquam pedem figat, nullum persequatur argumentum. Ubique incipit, ubique desinit. Dicit ignotas mihi esse œconomiæ leges, quas veteres secuti sunt Patres, meque ignorare illos aliter apud plebem, aliter apud doctos fuisse locutos. Mox transit ad portentosos Aristæi de LXX interpretibus sermones; verum non addit quinam illi sint, & ubinam legantur: nam certe in illis quæ vulgo feruntur nihil tale occurrit exemplaribus. Scribit dein se maxime accedere ad sententiam semichristiani istius Thalmudistæ, de quo in priori egimus responsione, affirmantis istam versionem, quæ vulgo LXX tribuitur interpretibus, ita dictam esse, quod à LXX magni synedrii sacerdotibus, quos supra prophetas fuisse asseruit, conficta & approbata sit. Illam tamen versionem licet approbatam ab istis quos vocat senatoribus seu prophetis, non sinceram & legitimam, sed dolosam, perfidam & summa cum astutia ad decipiendas concinnatam fuisse gentes. Diximus jam qua ratione iste Thalmudicarum in Evangelia explicationum scriptor occurrat testimoniis Christi & Apostolorum. Nempe uti P. Simonius existimat nos non habere scripta prophetarum veteris testamenti integra, sed ampliata, decurtata & variis modis pro lubitu & ratione temporum à sacerdotibus magni synedrii interpolata: ita quoque iste Evangelista Rabbinus negat nos vera habere Evangelia & Apostolica monumenta prout ab

ipsis

ipſis exarata fuere Evangeliſtis & Apoſtolis, ſed demum qualia nobis obtruſerunt Evangeliſtarum & Apoſtolorum amanuenſes. Qua vero ratione factum ſit, ut in perfida & fraudulenta ſacrarum literarum procudenda verſione conſpirarint omnes iſti qui ſynedrium magnum conſtituerent Judæorum prophetæ, id non explicat P. Simonius, ſed ſimilitudine declarat; dicit enim id eadem factum fuiſſe ratione, qua verſio vulgaris Latina approbata & introducta fuit à Tridentini Concilii patribus. Sed certe non conſenſiſſent patres Tridentini in approbanda hac verſione, niſi eam optimam eſſe exiſtimaſſent: utique illam condemnaturi & anathemate proſcripturi, ſi peſſimam & ad fallendos tantum fabricatam fuiſſe credidiſſent homines, quemadmodum de Græca verſione cenſuit Thalmudiſta iſte, cujus ſententiam hoc in loco probat P. Simonius. Alterutrum itaque neceſſe, aut omnes illos magni ſynedrii ſacerdotes ſeu prophetas qui improbam iſtam procuderunt & approbarunt verſionem, nebulones fuiſſe ſceleſtiſſimos; aut ſi relicto ſuo Thalmudiſta modeſtius de hac verſione ſentiat P. Simonius, tantumdem huic tribuat auctoritatis, quantam verſioni vulgari attribuerunt Tridentini Concilii patres.

Prodit tandem Helleniſtica, quam jamdudum mortuam, ſepultam & ad inferos à Salmaſio miſſam, denuo ſuſcitare & in vitam reducere conatur P. Simonius. Dicit Salmaſium *de umbra aſini diſputantem de nomine tantum litigaſſe.* Verum ſic vulgus loquitur qui neſciunt res eſſe mortuas niſi verborum acceſſerit poteſtas. Eſt quidem verum cum quæritur quinam ſint helleniſtæ & quænam helleniſtica, diſputationem fieri de nomine, ſed ſine nominum intellectu, res ipſæ intelligi non poſſunt. Quod ſi res non conveniant cum ſuis nominibus, certum eſt nomina non recte eſſe indita. Ut autem ſciamus quænam ſit lingua helleniſtica, velim vel tria ſolum P. Simonius helleniſtica edat vocabula, unde colligere poſſimus, an

Græca

Græca, an Hebræa, an ex utriſque mixta, an vero peculiaris & ſui generis aliqua exſtiterit lingua. Sed vero, ut paſſim alibi ſolet P. Simonius, quandocunque aliqua occurrit difficultas, ad alia etiam nihil ad rem pertinentia ſe conferre, ita quoque hic relicta lingua Helleniſtica, ilico ad κακοζηλίαν Judaicorum tranſit interpretum. nec tamen addit de quibus loquatur interpretibus. Si Aquilam intelligat, recte ſentit, utpote cujus κακοζηλία merito ab omnibus taxatur. Recte quoque in Hiſpanica Ferrarienſi aliiſque verſionibus hodiernis idem reprehendit vitium. At vero in verſione LXX interpretum nemo unquam vel Chriſtianus, vel Judæus κακοζηλίαν ſomniavit. Pergit dein ad Helleniſtas, ſed necdum Helleniſticam aut ſynagogæ video linguam. Quæ de vera ſignificatione vocis Ελληνίζειν ſcripſi, ea dicit me oſtentandæ ſcientiæ gratia ſcripſiſſe. Sed ſi vera ſunt quæ dixi, utique non eſt opus oſtentatione. Audiamus vero quid ad ea quæ ſcripſi de vocibus Ελληνίζειν, Ἀνιωνίζειν, & Μηδίζειν reponat P. Simonius; *Verum perinde eſt ac ſi dixerim in præſenti negotio, ubi de re critica lis movetur cum Voſſio, non modo Voſſium eſſe rei criticæ peritiſſimum, ſed & canonicum Vuinſorienſem, qui liturgiam Anglicanam in templo belle decantet.* Inexplicabile profecto hoc ænigma, quodque ne ipſe quidem qui proponit diſſolvat: quin potius tanto ſemper fiet obſcurius, quanto prolixior acceſſerit expoſitio. Fieri tamen poteſt ut aliquid inaudierit P. Simonius, me non ſolere in Eccleſia vel alibi canere, ideo forſan dicit, ea quæ de voce Ελλωίζειν ſcripſi, eſſe tam vera, quam verum ſit me belle decantare liturgias in Eccleſia. Id ſi ſit, facetus profecto & dictioſus homo & P. Simonius, qui profundi adeo acumiris norit conſtruere griphos.

Longe dein lateque per totum P. Simonius peregrinatur Orientem, & vagatur tanquam ovicula ſine paſtore, ut omnes undique inquirat helleniſtas, & quamvis illos

etiam

etiam nominet qui non fuere helleniſtæ, ut Parthici generis & τὺς τῆς διασπορᾶς Judæos, præcipuos tamen neglexit, recutitos nempe, qui utique in ſummo gradu fuere helleniſtæ. Si potuiſſet oſtendere recutitos peculiarem & diſtinctam ab aliis Judæis habuiſſe linguam, confeciſſet negotium & gloriari potuiſſet inventam à ſe tandem linguam eſſe helleniſticam. Sed ipſe recutitorum linguam non uno loco vocat Rabbinicam, cum tamen Rabbini non ſoliti fuerint ſibi præputium adducere, ne Romæ quidem, ubi tamen pars hæc vectigalis erat.

Iterum dein ad LXX relabitur interpretes & iterum negat eos recte vertiſſe initio geneſeos εἰς ἀρχὰς ἡμέρας καὶ εἰς ἀρχὰς νυκτός. Dicit ancipitem eſſe vocem ἀρχὰς, cum & principatum & principium notet. Addit diligentis eſſe interpretis vitare ambiguitatem, quam ipſe amphibologiam, ſed qui Græce norunt amphiboliam vocant. Cur non & Chriſtum & Apoſtolos carpit, qui paſſim ſimiliter loquuntur? Quis non primo ſtatim aſpectu videat, utrum vox hæc accipienda ſit pro principio, ut cum in actibus Apoſtolorum vas ſeu linteum cœlo dimittitur πτλαρσι ἀρχαῖς; an vero pro principatu, ut cum dicitur ὕπ ἀγγελοι, ὕπ ἀρχαὶ, ὕπ ἐξυσίαι? Adeone quis ineptus ſit, ut cum Deus conderet ſolem & lunam, ut præſint diei & nocti, τῷ ἄρχειν τῆς ἡμέρας καὶ τῆς νυκτός, vocem ἄρχειν accipiendam eſſe exiſtimet de principio diei & noctis, cum ſæpe totis noctibus abſit luna, quamobrem additur καὶ τὺς ἀστέρας, ſive ſtellas, quæ nempe noctu ſilente luna lucem funderent vicariam? Recte itaque ἀρχὰς, & quidem plurali id eſt amplificativo numero ut ſolent Græci, ad declarandam majoris principatus ſignificationem. Sed P. Simonius præfert Aquilam, qui ἐξυσίαν hoc loco poſuit, quia nempe LXX interpretes vocem Hebræam aliis in locis ſic reddiderunt. Sed profecto ſi & hoc loco ἐξυσίαν poſſuiſſent interpretes, alteram ineptus iſte interpres reduxiſſet lectionem: utpote cujus unicum fuit ſtudium

dium invertere ordinem verborum quem LXX posuere interpretes, ut hac ratione sensum Scripturæ obscuraret & in nihilum redigeret & admirationi esset fatuis;

Omnia enim stolidi magis admirantur, amantque
Inversis quæ sub verbis latitantia cernunt.

Et tamen hic est ille Aquila quem deperit P. Simonius & quo præcipue duce novam S. literarum meditatur editionem. Quod autem addit ab Origene magis probatam hoc in loco Aquilæ fuisse lectionem, & hoc quoque aliter se habere jam ante diximus,

Repetit dein locum Genes. iii. 14. ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ πάντων τῶν κτηνῶν. Negat P. Simonius ἀπὸ hic locum habere, comparative enim hæc dici existimat. Sed fallitur, plane enim est prosopopoia, qua ut passim, non brutis tantum animalibus, sed & mutis & inanimis rebus sermo & ratio tribuitur. Imprecatur enim serpenti deus ut omnia animalia tam fera quam mansueta maledictis illam incessant. Capite sequenti v. 11. de Caino similiter ἐπικατάρατος σὺ ἀπὸ τῆς γῆς, *maledictus tu à terra.* Perperam & hæc quoque comparative vulgo dici existimant.

Paulo post eodem cap. ubi vulgo πρήσει legitur, dixeram si quid mutandum sit, scribi posse χρήσει, neque enim Græcum esse πιρήσει pro πρεῖ. P. Simonius tanquam rem novam monet verbum πίρω habere futurum primum πίρσω. Verum egregie fallitur, quamvis non solus, quod nesciat multa esse verba, quæ si habeant futurum prius, careant altero; & contra si primum habeant futurum, carent secundo. Itaque futurum primum hujus verbi nusquam invenias. Nam πίρσω quod apud poetas passim occurrit, non posse esse à πίρω, vel ipsa docet significatio. Omnino verum est quod notant Grammatici

veteres futurum Æolicum πέρσω, esse ab Æolico πέρσειν id est, *siccare, calefacere, urere.* At vero istæ significationes in hoc Genes. loco plane sunt alienæ. Quidquid contradicant Rabbinistæ, recte se habet versio LXX interpretum, πρεῖν enim non tantum servare sed & observare & insidias struere significat, idemque prorsus quod φυλάττειν. Itaque recte apud Procopium Gazæum & in catenis adducitur hoc loco è Psalm. LV. αὐτὸ τὴν πέρναν μου φυλάξουσι.

Quærit dein quare non possit navis construi ex planeis quadratis? Sed vero jam dixi tam futilem istiusmodi fore navem, quam sit futilis ipsa locutio. Demus tamen posse construi, quomodo istæc verba convenient cum Hebraicis? At vero nostram expositionem ad amussim convenire, nemo ut opinor negaverit præter Simonium, qui videtur nescire quid rei sit navis.

Tandem relictis LXX interpretibus & meis ad suas objectiones responsis, ad ea quæ majoris dicit esse momenti se confert P. Simonius. Scribit me maligno animo invidiam ipsi velle creare, quod dixerim, de incerto scriptorum veteris testamenti, ipsum paria sentire ac senserit Spinosa. Si hæc ægre fert, quare ergo subjicit; *Verum indoctiores ipso Spinosa se ostendunt, qui libros scripturæ sacræ statim tribuendos esse existimant quorum nomina præferunt.* Ut hanc suam stabiliat opinionem, relegat ad Theodoretum & alios Patres, in quibus tamen nihil occurrit, quod non libenter legant & approbent Christiani.

Singulos dein producit Prophetas & primo quidem in aciem prodit Moses. Postquam dixit Judæos credere, ne unam quidem dictionem vel Syllabam in lege extare, quæ Mosi à Deo non fuerit dictata, addit; *secus sentiunt Christianorum plerique, qui aliqua libris Moysis vel ab Esdra, vel ab aliis qui eos recognoverunt, longo post tempore adjecta*

adjecta fuisse libere affirmant. Scio quidem sic sentire P. Simonium, qui non uno affirmat in loco, prophetis & scribis licitum fuisse impune in alienis grassari operibus, & ipsâ quoque Moysis scripta pro ratione temporis & statu rerum interpolare, & addere vel demere quicquid placuisset, cum tantundem in reformandis quæ vellent, quam Moysi in scribendo quæ vellet haberent potestatis, utpote cum illo quo Moyses, eodem quoque & ipsi, ut affirmat P. Simonius, inspirarentur Dei spiritu: sed quod dicit plerosque sic sentire Christianos, id tantum abest ut verum sit, ut ex omnibus antiquæ Ecclesiæ patribus ne unum quidem possit sistere testem, cui tale quid exciderit. Scio quidem Hieronymum ultima pentateuchi verba de morte Moysis & præterea illud de sepulchro Rachelis *usque in hodiernum diem,* existimasse ab Esdra fuisse addita, sed illum manifesti erroris convincit Samariticum exemplar, in quo totidem verbis hæc ipsa leguntur. Illud autem ab Esdra fuisse interpolatum, nemo sanæ mentis dixerit.

Ut tamen efficiat P. Simonius ab ipso Moyse non fuisse conscriptos libros, qui sub ejus leguntur nomine, dicit, non constare *utrum Moyses ipse eam quam sub ejus nomine habemus historiam totam literis mandarit, vel ex parte à notariis illis qui res ætatis suæ conscribebant, chartis excipi jusserit*; & demum concludit, optime se demonstrasse, perinde esse utrum Moyses ipse, an vero à notariis sit conscriptus Pentateuchus. Verum libenter hic quæram, an ergo mentitus sit Moyses Deuteron. xxxi, cum se hæc scripsisse affirmat, & postquam scripsisset, tradidisse sacerdotibus & Levitis conservanda in arca fœderis? Valeant itaque isti, quos P. Simonius fingit, notarii: valeant quoque omnes isti commentitii scribæ & prophetæ interpolatores & insessores sacrorum librorum. Si tale quid licitum fuisset, quam ridiculus fuisset Josephus primo contra Appio-

nem affirmans, jam à bis mille annis, qui à Moysis temporibus ad suam usque effluxerint ætatem, neminem tantæ temeritatis fuisse repertum, qui in libris Moysis vel addere, vel demere vel quidquam ausus fuerit transponere. Et tamen ridet me P. Simonius velut hominem ad superstitionem usque religiosum, meque delicatulum vocat, quod crudas istiusmodi & à nemine digerendas non possim conco[illegible]re offas.

Post longam dein de sacrorum librorum scriptoribus digressionem, ex Rabbinis & recentibus compilatam theologis, non valde bonam, neque quidquam facientem ad propositum, tandem in libris P. Simonius definit apocryphis; quos ideo vel ipso attestante vocabulo sic dictos esse affirmat, quod illorum auctores occulti sint & incerti. Verum si hæc vocis hujus legitima sit expositio, omnino oportet ut major pars librorum veteris testamenti sint apocryphi, aut, si P. Simonium audiamus, omnes; utpote qui, nescio an vel unum certo alicui relinquat auctori. Ego tamen libenter concedo omnes veteris testamenti & ipsos quoque Moysis libros fuisse olim apocryphos, sed non illo sensu, quo apocryphorum vox post tempora Aquilæ accipiebatur, sed antiquo & legitimo significatu, quo apocryphi iidem sunt qui sacri, & digni qui in armariis & arcis templi conservarentur, unde & arcani dicti, uti apud Juvenalem,

Tradidit arcano quodcunque volumine Moses.

Nec aliter inter se differunt arcanum & apocryphum, nisi quod istud sit Græcum, alterum Latinum.

In fine castigationum postulat à me P. Simonius, ut desinam illum allatrare. Verum amicus quidam monuit, ab istoc nugatore qui præfationem addidit, attextam fuisse hanc clausulam. Libenter sic credo, cum P. Simonius optime norit se primum in scenam contra me prodiisse. Sed &

cum

eum ſibi conſcius ſit vitæ Petri Morini, quam ſcripſit; non ut puto illo quo deſinit me ſignaſſet elogio; *In maledicam animam non introibit ſapientia.* Ut cognoſcat P. Simonius me non eſſe malignum, nec velle maledictis cum illo contendere, cum fauſta apprecatione deſinam, viciſſim rogans, ut miſſis minutis cavillationibus, fortior & paratior in arenam deſcendat; id ſi fecerit, dabit quoque mihi meliora ſcribendi occaſionem.

FINIS.

ERRATA præcipua ſic corrigantur.

PAg. 12. v. 15. Oſtiam, *p.* 16. v. 22. ipſæ urb's portæ, *p.* 19. v. *penult*, ſummaq; ibi columnarum, *p.* 22. v. 5. addit menſuram, *p.* 25. v. 5. Januclenſis, Ib v. 15. plurium. *p.* 26 v. 6. eorum neglectum & omiſſionem certiſſimum, *p.* 27. v. 1. civium, *p.* 29. v. 19. ὑλάξετο, ἦν; *p.* 31. v. 25. crearit, Ib 32. numerarentur, *p.* 35. v. 33. muri. Omnino, *p.* 39. v. Lyci, *p.* 42. v. 19, *& Carthagine, Dele*, *p.* 45. v. 6. fieri, *p.* 49. v. 4. ἐπίτρεψαν. Ib v. 16. Aricinum, Ib. v. 18. tum temporis, *p.* 50. v. 15. cavebant, *p.* 51. v. 3. paulatim, Ib. v. 19. plus, quam quartam, *p.* 52. v. 9. ſcribit, *p.* 53. v. 15. Hannonis, *p.* 54. v. 12. ſociatis viribus, *p.* 61. v. penult. *contratam*, *p.* 64. v. 24. *poſt* appendices, *pone aſteriſcum, multa enim hic omiſſa ſunt. p.* 64. v. 33. quibuſvis gentibus, *p.* 69. v. 1. *dele inſcriptionem & ſcribe maj ſculis literis* DE ARTIBUS ET SCIENTIIS SINARUM, *p.* 70. v. 5 quotve, *p.* 74. v. 30. intra biennium, *p.* 78. v. 7. vectibus, *p.* 79. v. 21. Parci. *p.* 88. v. 23. Dyrracheno Ib. v. 29. *Poſt* incendium *adde*; Rectius chronicon meum vetus, quod igni ſulphureo totum hoc adſcribit, Ib. v. 31. πεμπτύων, *p.* 89. v. 1. Rectius Chronicon &c. *uſque ad* adſcribit, *repone eo quo diximus loco*, Ib. v. 5. dicemus. Ib. v. 9. Pogonato, *p.* 91. v. 2. ante quadringentos & triginta ſex geſſit annos, Ib. v. 14. commentis, Ib. v. 31. Cyreſtidis, *p.* 92. v. 16. *d' enfer*, V. Seq. prodigioſam, *p.* 93. v. 8. Chalcondylas etiam mentionem, *p.* 94. v. 17. peritius, Ib. 17. audendum, *p.* 95. v. 15. & in lyra, *p.* 96. v. 16. *dele iſta verba*, ut vero cognoſcamus *& p. it* Veterum *adde* autem, *p.* 97. v. 20. pulmos majores, *p.* 105. v. 31. prodidere. *p.* 113. v. 8. πεζάχεις, Ib. v. 29. ὑπὸ τείχη, *p.* 121. v. 8. καταπατητόν. *p.* 123. v. *ult.* novem. *p.* 130. v. 4. farburræ, *p.* 131. v. 19. undas ſecent, *p.* 132. v. penult. earum, *p.* 137. v. 15 nullum, Ib. v. 22. crebris, 141. v. 16. perſequuntur, *p.* 143. v. 8. Caralin, *p.* 144. v. 12. Cretæ, Ib. v. *ult. poſt* Græca adde, qua Italica conſcriptos examinet linguæ quanto quis, *p.* 145. v. 16. unguem, *p.* 148. v. 4. Romano, *p.* 151. v. 30. Africum, *p.* 152. v. 4. collocarit, *p.* 153. v. 22. rectitudinem, v. ſeq. exigere, *p.* 158. v. 10. inter meridianos, *p.* 162. v. 18. conficiant, Ib. v. 29. non fere minus quam, *p.* 164. v. 1. negari. *p.* 177. v. 33. relictis fere, *p.* 179. v. 6. uſque ad, *p.* 191. v. 22. longo, *p.* 193. v. 7. veluti quæ, Ib. v. 10. nivibus, *p.* 197. v. 24. luce, Ib v. 30. vanas, Ib v. *ult.* poſſint, *p.* 203. v. 16. ipſa. *p.* 209. v. 10. potuiſſet, *p.* 219. v. 17. inſerta, *p.* 230. v. 18. δωθώνεσι Ib. v. 23. ὀικτρῇ, *p.* 234. v. 16. ut pauca, *p.* 235. v. 3. χαλκὸς *p.* 236. v. 1. Pythagorici, *p.* 237. v. 15. πεποιημένοι, V. ſeq. φύσεως, *p* 239. v. 9. mentium. Ib, v. 30. ἀιῶνος, *p.* 243. v. 25. videamus. *p.* 244. v. 10. everſiſque, Ib v. 23. διαπερεύειν, *p.* 251. v. 11. diſtribuerunt. Ib v. 24. Ultimum, *p.* 252. v. 21. exprimitur. *p.* 253. v. 7. πειπαθῆναι, Ib. v. 10. ἀνέγεται Ib. v. 16. de monte, *p.* 255. v. 13 σαρκοτύπη. *p.* 256. v. 27. πλησθώμεν, *p.* 259. v. [illegible] *p.* 261. v. 8. convincant, *p.* 263. v. 2. *quam*, *p.* 267. v. 15. & donum, Ib. v. 22 πελισκόμενον, *p.* 270. v. 3. נתב, Ib v. ſeq. Nec hoc, Ib v. 20. נתיעה, *p.* 271. v. 2. κλαυθμυείζειν, Ib v. 21. ſacrarum, Ib. v. 25. ut incautos circumveniant. Ib habeant ſibi, *p.* 272. v. 22. a multis, *p.* 273. v. 32. quos propria. *p.* 276. v. 16. tueatur, *p.* 263. v. 2. ſatis ſic ſentientibus *p.* 279. v. 14. כ cum K, *p.* 289. v. 13. *l.* 11. Michab. *p.* 294. v. 3. nolitis, *p.* 303. v. 21. πολλὰ ἔτναι, *p.* 304. v. 1. ſœcundi, *p.* 305. v. 9. cenſum, Ib. v. 10. Origenes, *p.* 307. v. 3. receptam, Ib. v. 18. poterunt, Ib. v. 26. eundem ac Atticus, *p.* 313 v. 18. cedere, Ib. v. 26. τῶν Ο ἑρμηνείας, Ib. v. 28. ταύτῃ, Ib v. 31. τὲ ωπῆες, *p.* 317. v. 5. illos, Ib. v. *ult.* θινῶν, *p.* 320. v. 33. δειλινόν *p.* 321. v. 27. cui jam antea, *p.* 322. v. 10, ἔλκει *p.* 331. v. 19. Non ſatis amat, *p.* 333. v. 22. ſummam, *p.* 346. v. 26. in vitis *p.* 347. v. *ult.* traditus, *p.* 349. v. 24. explicans affirmat, *p.* 351. v. 21. Judæi in Ib v. 28. λόγου, *p.* 352. v. 20. διαπερώσεων, *p.* 353. v. 7. כרבים Ib. v. 10. נרים Ib. a ך, Ib. v. 17. in eraendo iſtorum, Ib. v. 31. פלא יועצאל *p.* 354. v. 3. Gabaa, Ib. v. 21. nonnulli, *p.* 357. v. 24. Nec, *p.* 358. v. 3. paulo, Ib. v. 7. Sed nos, *p.* 361. v. 4. opprobrium, *p.* 362. v. 3. nullus, Ib v. 15. exercitati, ut in, *p.* 363. v. 25. cognoſcat, Ib. v. 30. τὰ ἄθικτα ἀρχεῖα, *p.* 368. v 14. ergo, *p.* 371. v. 22. Montaltus, *p.* 377. v. 5. & eſſe deſiit, *p.* 378. v. 29. adſcitum, *p.* 379. v. 25. Dixerat, *p.* 383. v. 14. ullos, *p.* 384. v. 13. ſcripſi, ad rem.